Digitized by Google

EEK GENT

Digitized by Google



-S. 2751

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCVMENTA LITERARIA

VARII ARGVMENTI

IN LVCEM PROLATA

CVRA

IOHANNIS HEVMANNI

IVR. PROFESS. IN ACADEMIA ALTORFINA.

ALTORFII

APVD LAVR. SCHVPFEL. ACAD. BIBL.

CIƆIƆCCLVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

PERILLVSTRI
AC
SPLENDIDISSIMO
DOMINO
CHRISTOPHORO
IOACHIMO
HALLERO
DE HALLERSTEIN KALCKREVT ET
PVCKENHOF
SERENISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI
CLEMENTIS
VTRIVSQVE BAVARIAE DVCIS COMITIS
PALATINI AD RHENVM ET REL.
CONSILIARIO INTIMO
INCLYTI TRIBVNALIS VRBANI CLARISSIMAE
REIPVBLICAE NORIMBERGENSIS
SCABINO AMPLISSIMO
LIBERALIS DOCTRINAE CVSTODI
ADIVTORI AC PROPVGNATORI
INTEGERRIMO GRAVISSIMOQVE
CVLTIORVM MENTIVM PATRONO
MAXIMO ET PIE COLENDO

S. P. D.
IOHANNES HEVMANNVS.

Digitized by Google

Iucunditate maxima iſtud praeteriti temporis ſpatium recolo, quo Tua, VIR PERILLVSTRIS, mihi frui licuit conſuetudine. Vixdum abhinc amplius annis XV *ueterem* hanc muſarum *uillam* literis optimis operam daturus adieras, ſcholas meas tibi probandas duxiſti; quid? non probaſti tantum, ut reliqua aequalium cohors; ſed Tibi me quaſi proprium ita uindicaſti, ut uarii generis commentationes in multam ſaepe noctem traheremus. Diſceſſiſti non ex Aegypto, non Athenis (quae nunc ueteres tantummodo ruinas oſtendunt),

ſed

Digitized by Google

ſed ex Palaecomes, bonarum artium altricis longe dulciſſimae, ſiluis, diſceſſiſti, inquam, ampliſſimis ſapientiae copiis refertus. Peragraſti terras alienas, non ut alienis, iisque incommodis moribus inquinarere, ſed ut hominum ſtudia uaria quidem, at inania fere omnia, penitus cognoſceres. Reuertiſti feliciter, nihilque hiſce rerum uiciſſitudinibus tuae erga me beneuolentiae detractum uoluiſti. Quid? quod grauiſſimam tandem patris familias perſonam induiſti, ad honores ſplendidos adſcendiſti, curas quasdam reipublicae ſuſcepiſti, quae, niſi pectora uehementer roborentur, facile delent priſtinae conſuetudinis memoriam. At nihil horum Te, FAVTORVM OPTIME, de

 pri-

priſca tua ſententia, de tua in me propenſa uoluntate deturbare potuerat, quamquam, ſi recti honeſtique ſtudium perpetuum tollas (numquam autem mihi id eripi patiar), nihil forſitan in me, quod placeat, agnoſcas. Exemplum rarum ſane ac dignum, quod hoc monimento poſteritati commendetur.

Sed alio praeterea, eoque maxime prono officio monitus libellum hunc nomini Tuo nobiliſſimo inſcribo. Reddo nimirum Tibi, quod fuit ante tuum. Ad operae noſtrae commendationem intereſt, ut rem paullo uberius declaremus. Feliciſſimo foedere Tibi iunxiſti thalami ſociam lectiſſimam, quae cum gentis, auita nobilitate fulgentis, ex qua prodiit, IMHOFIORVM dignita-

nitatem et ornamenta egregie tuetur, tum id iure ſuo ſibi maximae gloriae ducit, quod magnum Bilibaldum Pirckheimerum in maioribus ſuis colat. Tot tantarumque uirtutum gentilitiarum heres legitima ubi in tuam, VIR PERILLVSTRIS, manum conuenit; in ſplendididis Pirckheimeri aedibus magnifice habitare inſtituiſti, quae Te certe poſſeſſorem numquam potuere nanciſci digniorem. Quemadmodum enim immortalis Pirckheimeri domicilium olim commune optimarum artium cultorum perfugium erat et portus: ſic tu quoque non inuſitata tantum humanitate eruditos complecteris, uerum etiam muſas ipſas tecum ſuperbe habitare uoluiſti. Qua in re longe excellis M. Curio, cuius in domo nihil ſplendidum,

 nihil

nihil ornatum, praeter ipſum, fuiſſe fertur. Omine nimirum fauſto largiſſimum tuum librorum ueterumque monimentorum apparatum in ſacello, aedibus tuis adiuncto, collocare animum induxiſti. Neque ulla in conſilio expediendo mora. Caementarius opus aggreſſus mox aliquam muri regionem deſignat, ſuo quidem iudicio, excauatam, nec fallitur. Remotis impedimentis, non in immenſam auri argentique uim, Odini aut draconum cuſtodiae ſempiternae commendatam, ſed in alios theſauros, auro argentoue longe cariores, in Bilibaldi illius incomparabilis ingenii ac induſtriae monimenta fere omnia atque alias uetuſtatis reliquias literarias incidis, iisque excuſſis, nonnullas iſtiusmodi chartarum iam uiri ipſius, laude no-

Digitized by Google

noſtra multo ſuperioris, iuſſu uulgatas, partem uero bene magnam craſſis occultatam tenebris iam aliquot ſaeculis latuiſſe animaduertis. Tam inſperata bonorum acceſſione dum impenſe gaudes, Heumannum tuum in laetitiae ſocietatem uenire iubes. Conuolaui ac Pirckheimeri nomen, labores ac merita iterum iterumque obſtupui. Quam praeclara Graiorum ſapientiae, culto latino ſermone expoſitae, quot rerum mathematicarum, phyſicarum et medicarum notitiae non uulgaris pariter ac hiſtoriarum et politiorum ſacrarumque literarum et legum ſcientiae exquiſitae lateque diffuſae documenta abſconderat murus, quae quo minus lucem conſpiciant, quid impediat? Si ſuperiore aetate IOANNIS IMHOFII, uiri

 ri

ri egregii ac Pirkheimeri pronepotis conſilio, MELCHIOR GOLDASTVS HAIMINSFELDIVS et CVNRADVS RITTERSHVSIVS, eruditorum iſti coryphaei, quorum alter in hac academia artibus optimis ac diſciplinis imbutus opera quam plurima in orbis literati memoriam ſempiternam diſſeminauit, alter uero rariſſimam prorſus atque incredibilem doctrinam cum iurisprudentia coniunxit, noſtroque Themidos delubro celebritatem maximam conciliauit; ſi tanta, inquam, lumina in magni Bilibaldi tabulis disiectis colligendis operam aliquam collocare non dubitarunt, quidni Te, ELEGANTIORVM LITERARVM PRAESIDIVM INSIGNE, auctore, chartaceas iſtas opes, Tuo nunc patrimonio legitima

ra-

ratione adſcriptas, quae, ſpeciminibus iam nobis olim traditis certe non inferiores, inueſtigatorum illorum ſtudio ſe ſubduxiſſe uidentur, ad publica literarum commoda ſupplenda, et ad Pirkheimeri amplitudinem latius explicandam in lucem proferre liceat. Etſi GOLDASTI ac RITTERSHVSII (quantorum nominum!) gloriam mihi temere non arripio: humaniſſimo tamen Tuo de me iudicio nonnihil dedi, cum praeſertim in Pirckheimeri meritis ſuſpiciendis celebrandisque cedam nemini. Accipe igitur, ORDINIS TVI DECVS MAXIMVM, hoc mei in Te obſequii documentum qualecumque fronte benigna. Si quid opera mea in codicillis his antiquis uel digerendis dilucidandisque uel ſiglis enodandis ualuerit: id

omne

Digitized by Google

omne cum Pirkheimeri, tum tuo nomini laudi dandum puto, uotorum ſummam conſecuturus, ſi beneuolentiae Tuae, mihi perſpectiſſimae, uſuram perpetuam praeſtiteris. Summa, quam dudum noſti, animi integritate a Deo immortali precor, ut Te, PRAECLARAE STIRPIS TVAE COLVMEN, tuamque indiuiduam comitem, matronam eximia gratia praeſtantiſſimam, omni bonorum genere cumulatos ſeruet quam diutiſſime, dulciſſimosque Tuos filiolos, in quibus Pirkheimerianam, Hallerianam ac Imhofianam uirtutem iam progerminare mihi uidere uideor, maiorum ſuorum illuſtrium perſequi iubeat ueſtigia conatu fauſtiſſimo. Vale. Altorfii Kal. Mart. CIƆIƆCCLVIII.

COM-

COMMENTATIO ISAGOGICA.

LECTORI CANDIDO S.

Egregios uero ſolertiae hominum fructus, qua quoduis liberalium ſtudiorum genus colunt officiorumque momenta ſolicite ponderant ac definiunt! Tantum denique tot tamque excelſorum ingeniorum contentione, tantum temporum, mitius fluentium, conſiliis profecimus, ut ad praeceptorum, quibus magna mortalium ſocietas continetur, rudimenta et incunabula, tamquam *tyrones* impoliti, redire neceſſe habeamus. Vsque eone fatorum ui urgemur, ut Tuiſtonis progenies, Cadmeis uictoriis, deleatur? Siccine bellum gerendum, ut genus hominum exſcindatur, non ut pax quaeſita uideatur? Caedes, ruinae, flammae, depopulationes, ſqualores, exilia terras cultiſſimas omnibusque praeſidiis, ad bene beateque uiuendum pertinentibus, florentiſſimas penitus deformant. Diffugiunt Camoenae, pubis ad literas optimas inſtituendae congregationes diſſoluuntur, officinae librariae languidae ingemiſcunt

Digitized by Google

ſcunt atque intelligunt forſitan, quam acriter Deus iniurias ſibi et uirtuti et bonis moribus et ſaniori doctrinae, tam immenſo leuiſſimarum chartarum et infamium prouentu, illatas ulciſcatur. Rebus ita perturbatis cum nec praeclara literarum opera in honore pretioue ſint: hoc triſte temporis interuallum (quod aeuo excidat) ſilentio fere transeundum, ac priſtinam potius aetatem, animi reficiendi cauſſa, reuoluendam duximus. Materiae, inueſtigationi noſtrae ſubiectae, particulam tibi, Lector optime, nunc exhibeo, largiorem ſyluam, ſi ſpecimen hoc tibi probaueris, additurus. Epiſtolas quasdam ad BILIB. PIRKHEIMERVM, uirum immortalis gloriae, ſcriptas primum peruulgare conſtitui, quas quidem non omnes permagni ponderis eſſe ſcio (ecquis id poſtulet?) ſed omnes aliquid momenti uel ad rem iſtius aeui literariam uel praecipue ad ſacrorum emendationem dilucidandam habere uidentur. Quo maiore integritate aut mentis certe libertate familiares iſtae epiſtolae exaratae fuerunt: eo accuratius neruos quosdam interiores ex iis cognoſcimus, quos annales plerumque tacent. Singularium uero quorumdam notitia nobis periucunda eſſe ſolet, cum praeſertim, ſaeculis aliquot interiectis, in ea nulla offenſio, nullum odium, nullum periculum eſſe poſſit. Volumen alterum tertiumque, Deo fauente, reliquas aliorum ac ipſius Pirckheimeri epiſtolas, item et documenta theotiſco ſermone conſcripta, trader. Etſi operae noſtrae

non

non adeo amplos fructus reportauerimus; eam tamen non perdidiſſe nobis uidemur, dum Pirkheimeri, literatorum herois maximi, *quo duce*, ERASMO iudice integerrimo, *primum efflorescere coepit apud Germanos eloquentia, quam et morum pietate et fortunae ſplendore illuſtrauit*, memoriam renouare et amplificare licuit. Epiſtolarum documenta omnia authentica eſſe ſuisque ſignis maximam partem adhuc munita et optima fide (ne uitiis quidem temere emendatis) deſcripta ſcias. Inſcriptiones omiſimus non tam ideo, quod chartam nimiam ſibi poſtulauerint, (quae enim in Pirkheimeri laudum praeconiis propagandis chartae iactura?) ſed quod uariae quidem iſtae compellationes; at perhonorificae omnes id comprobant, quod nemo ignorat, Bilibaldum oraculum doctrinae cupidorum decusque ſui ſaeculi ſummum fuiſſe, animoque Herculeo bonarum artium honorem propugnaſſe. Quum noſtra nunc in ſuos cuique uſus uertere liberum ſit; paucas tabulis iſtis annotationes praemiſiſſe ſufficiat.

I. Prodeat IOANNES COCHLAEVS; nomen ualde memorabile. Viri huius uitae rationes cum alii, tum Noribergenſium literati, qui Cochlaeum popularem ſuum appellant, uberius expoſuere. In his excellunt uiri clariſſimi, IO. GABR. DOPPELMAYR, *in der hiſtoriſchen Nachricht von den Nürnbergiſchen Mathematicis und Künſtlern* p. 52. ſq. et GE. ANDR. WILL. *im Nürnbergiſchen Gelehrten*

ten Lexico, qui iam antiquiorum ſcriptorum ſubſidiis et luminibus uſi ſunt; ſed annis iis, in quibus biographi haerent incerti, chartae noſtrae potiſſimum ſuccurrunt. Cochlaeo rectoris ſcholae Laurent. Noriberg. partes a. MDX delatas fuiſſe, literis inclyti magiſtratus Norici authenticis comprobabimus:

Vnſern günſtigen Willen zuvor, Wolgelerter lieber Magiſter. Wir fügen euch hiemit vviſſen, das der ytzig Rector und Schulmeiſter bey Sanct Lorentzen pfarkirchen inn vnnſer Stat auf die Cotember zu pfingſten ſchiriſt künfftig derſelben ſeines Stands vnnd der Schul abtretten vvirdet, vnnd ſo dann Ir von dem Ervvirdigen hochgelerten Herrn Anthoni Kreſſen, Doctor, Probſt vnnd pfarrer der benannten Kirchen vnnd anndern bey Vnns ſollicher Geſchickligkheit, erbern Wandels and Weſens gelobt vnnd berümbdt ſeit, das vvir ſunder Naigung zu euch tragen, haben euch demnach vor andern angeſehen zu einen Rector obgemeldter Schul. Ob ir nun ſolchen ſtannde anzunemen vnd auff angezaigt Zeit anzutretten geſynnt ſeien, oder nicht, des vvollet unns bey dieſem vnnſern poten, den vvir allein dieſer Sachen halb zu euch geſandt, evver verſtendig ſchrifftlich Anntvvort zu fügen, darnach haben zu richten. Datum am Pfingſtag nach dem Suntag Oculi Anno etc. Decimo. Vnnter Vnſers Eltern Burgermeiſters Anthoni Tetzels petſchir.

Burgermeiſter und Rate zu Nürnberg

In-

Inſcriptio:

Dem Wolgelerten Magiſter Iohann Dobneck von Wendelſtein jtzo zu Köln vvonnhafft.

Huic ſuperiorum inuitationi perhumanae ſuas comites adiunxit literas *Antonius Tetzel*, Conſul, quibus Cochlaeum non tam pellicere, quam ſpartam oblatam ſuſpectam reddere uidetur:

Mein freundlich Dinſt ſend euch alzeit zuvor, liber magiſter. Ir habt mir vergangene Zit mer dan einmall geſchrieben, auch müntlich gebeten, euch helffen nach dem peſten zu verſehen, darin ich euch an Antvvort piſsher gelaſſen, aus Vrſache daſs ich nit gebiſt, auch nit fürgefallen iſt, vnd noch, daſs mich bedeucht, für euch zu ſein, aber darumb euer nit vergeſſen, dan ich euer Gemüt allemal alſo verſtanden, daſs ir geren ferner und vveitern Lüſt het zu ſtudiren, dem ich nachgedacht, und nicht gefunden, vvie ir darzu an Koſten her mogen kümen, und vvere daſs mein fürſchlag, daſs etlich iung purgerſskinder in vvelſche lande zu ſtudiren geſchickt vvürden, die euch mit in etliche Iar verzerren vvurden, derer überſeher und Zuchtmeiſter ir ſein ſolt, aldo mocht einer zu groſſen Künſten kümen, vvie dann doctor Ieronimus Münzer durch mich und andere dergleichen zu groſſen dingen kümen iſt, darunder ich auch einen Sün oder zvveen haben vvurd, den einen ich iezund zu Papia hab; aber nach dem ir dem probſt Laurenti vill und flechlich geſchrieben und gepeten habt, alſs er michs leſt hören,

b

ren, euch zu fuderen zu einen Schulmeiſter, iſt euch daſs zugeſagt, vvie auch dan daſs von mein freuden hiemit zugeſchrieben iſt, ſo fer ir daſs annemen vvolt, ich hab aber denneſt euer mutter, dii euch umb ſie vvoll leiden mocht, auch eueren bruder und freundſchafft ſolches zu vviſſen gethan, dii haben nit vill luſt oder gefallen darin, daſs ir daſs annemen ſolt, und zumaln euer bruder zu Schvvabach, deſſ meinung es gar nit iſt, daſs ir allererſt ein Schulmaiſter ſolt vverden, und euer peſte Zeit mit der collaſterey vertreiben ſolt, und denneſt nit vviſſen, vvie lang es vverd, dan leicht einer dem probſt, oder den Knaben vvaſs miſsfellig erzeigen, ſend von ſtund an klagen do, ſo iſt es ein eſſels arbait, und gar vvenig erfahren, dii zu erben kümen ſind, ſo vvird der Stipendia keins an euch raichen, dan ir ſeid nit burgerſskint, ſo künt ir bey uns im ende zu eueren Salario, der auch nit überflüſſig iſt, nit mer erlangen, dan ein pfrünt, der ir mer, dann eine zu kollen, ſo ir euch do niden thun vvolt, ſampt der lectur und andern, ſo euch gevviſs iſt, erlangen, und denneſt ſeinner Zeit, ſo ir daſs euer auff daſs trucken gepracht, do unden beleiben, oder herauff kumen. ſolches alles ſchreib ich euch darumb, ſo ir daſs annemen vvürdet, ſo het es damit alles ſein ende, vvo euch aber daſs nit annemlich ſein vvolt vvie dann euere freundſchaft auch nit luſt darzu haben, daſs ir die Sachen mit dem freuntlichſten und erpittigſten Mainungen dieſer Zeit abſchlugt, als vvert ir verſtrickt und dieſer Zeit verpunden, mit dinſtlicher danckſagung,

vvie

vvie ir zu thun vvoll vviſt, daſs pin ich von euer freundſchafft zu unterricht gepeten, doch iſt mein begeren diſer Schrifft bey anderen auſſerhalb euer perſon nit zu gedencken, noch ſich mercken laſſen, ſunder diſen priff abthun und vertilgen, damit vvas euch lib iſt, und vvo ich ſampt euer freuntſchafft euer ere und nutz künn bedencken und fuderen, vvert ir unſs vvillig vinden. Datum in eill auff ſamſtag nach Oculi *in der faſten anno* 1510.

Anthoni Tetzell, Senior.

Inſcriptio.

Dem Wolgelerten Magiſtro N. Tobenneck von Wendelſtein, meinem guten freund zu ſeinen handen. Kollen.

Sed in aliam ſententiam iuit Antonius Kreſs, praepoſitus diui Laurentii, qui Dobenneckio literis admodum blandis hanc ſibi oblatam conditionem uerbis ampliſſimis commendauit:

S. P. D. Quum nuper ſcholaſticus eccleſia meae mihi ſignificaſſet, uenerande magiſter, ad feſtum S. Trinitatis proximae uenturum ſe regimen ſcholae relicturum, ſtatim memor promiſſionis meae rem ueſtram agere coepi, et quamuis multos habueritis competitores, ego tamen cum amicis meis rem ueſtram adeo fideliter et ſtrenue egi, quod uoti compos factus ſim; itaque prudentiſſimusSenatus huius ciuitatis uos in rectorem ludi literarii elegit, eiusque rei gratia tabellarium,

qui haſce literas uobis reddet, ad uos miſit, ut literas, quibus ad hanc prouinciam ſubeundam inuitamini, uobis deferret. Poteſtis igitur negotia ueſtra diſponere, ut ad feſtum pentecoſtes uel paullo ante apud nos ſitis, et quandocumque ueneritis et ante diſceſſum anteceſſoris ueſtri in domum meam diuertatis. Nec ſit uobis graue hoc onus ſubire, habebitis enim ſtatum honorificum; hoſpitium et tabulam non ſolum Cerere, ſed et Baccho inſtructam in domo mea habebitis, nec etiam numi deerunt, nam anteceſſor ueſter mihi ingenue confeſſus eſt, ſe hoc anno ultra ſalaria collaboratorum habuiſſe florenos Rhenenſes 80, inſuper Senatus decreuit pro anno futuro 20 fl. pro augmento ſalarii ſcholaſtici, ut in literis humanitatis iuuentutem huius parochiae erudiat, quod exercitium uobis non iniucundum erit, et praeter ſalarium, ut ſpero, haud parum emolumenti afferet, itaque forte ad ſummam 100 fl. habere poteſtis, tamen in hoc non poteſt certitudo haberi, quia emolumenta creſcunt et decreſcunt ſecundum uarietates temporum et diligentiam rectoris. Quantum in me eſt, conſilio et auxilio uobis non deero, familiareſque meos ut itidem faciant, admonebo. Reliquum eſt, ut cum praeſentium latore, an, et quando uenturi ſitis, ſignificetis; ſi ad dominos Senatores ſcribere uolueritis, conſulite aliquem, qui ſtilum noſtrarum partium noſcat, quoniam ex literis ueſtris Senatus non paruum iudicium ſumet,

quid

quid de uobis ſperandum ſit. Expediret, ut copiam literarum uulgarium, quas ad Senatum ſcribetis, mihi transmitteretis, quam cum uidiſſem, iudicare poſſem, num literae illae praeſentandae eſſent, nec ne? curabitis ergo, ut literae, quas ſcribetis, mihi primo praeſententur; de uno uos admonere uolui, ſi forte interim aliqui uobis meliorem conditionem offerrent, ne de eis confidatis, oſtendunt enim mella et porrigunt uenenum; habuiſtis enim competitorem, cuius fautores et parentes omni induſtria et arte uſi ſunt, ut uobis praeferretur, ſed litus ararunt, timeo autem, ne forte nunc uel meliorem conditionem fraudulenter offerendo uobis contemtorem huius ſtatus efficiant, uel uerbis, neſcio quibus terreant, quia nihil intentatum relinquent, quare ab inſidiis eorum ut caueretis, uos admonere uolui. Valete et reſcribite. Rapte feſtino calamo. Nurembergae VII Martii anno 1510.

Anton. Kreſs. I. V. doctor etc.

Inſcriptio.

Venerabili ac egregio Ioanni Bendelſtein, bonarum artium magiſtro, Coloniae agenti, amico ſuo. Coloniae.

Peruicit Praepoſiti uotum, Cochlaeus uenit, ſcholam recturus, eiusque commodis uariis libellis proſpicit, in quibus *Pomponii Melae* geographiam excudendam curauit, eamque anno 1511 Pirckheimero nuncupauit; (uid. opera Pirckheimeri pag. 327.) ſed uel Pirckheimeri hortatu, uel ſcholae faſti-

dio ſatiatus priſtinum, quod Tetzelius, con-
ſul, ſuggeſſerat, conſilium, mente ſua reuolu-
bat. Italia nimirum uiſenda erat, parat iter,
optatorum (mox noui faſtidii) ſummam iam
1515 conſecutus uidetur, cuius rei documen-
ſunt hae literae Bilibaldi, auunculi, nepotibu
ſuis ſcriptae:

S. Non ſolum Chriſtiani ueraeque religio-
nes cultores, ſed et gentilium ſapientes in prim
dium timere, inde parentes uenerari, filios ſu
os docere conſueuerunt, non minus uere, quan
pie exiſtimantes, omnem humanam ſapient
am ac fortunam, absque timore domini, u
nam ac penitus nullam eſſe, unde pſalmoru
auctor initium omnis ſapientiae timorem do-
mini aſſerit; parentum uero ueneratio quantum
omni religione ſit commendata ſuperuacuum
eſt enumerare, cum omnes paternam pietatem
colendam uno ore clament, et quemadmodum
diuinis cultoribus, parentumque honoratoribu
cum praeſenti, tum futuro ſaeculo omnia bona
honores, felicitatem, uitamque longaeuam
promittunt: ita diuinae religionis contemptori-
bus, paternique iuris uiolatoribus contraria
augurantur. Proinde qua poena in alio mundo
transgreſſores tales plectantur, nobis manifeſte
non patet; uerum hoc plane cernimus, dei ac
parentum contemtores, dum in hac uita agunt
non ſolum miſerabiliter uiuere, ſed et infelici-
ter occumbere. Haec ideo ſcribo, ut quamuis
in cunctis negotiis uirtuoſe uos uiuere deceat,
praecipue tamen horum duorum praeceptorum

memo-

Digitized by Google

memores eſſe oporteat, quae ita inuicem cohaerent, ut unum ſine alio perfecte adimpleri non ualeat. Deum itaque inprimis timete ac colite, inde uero parentes, id facietis, ſi memores eritis, quanta bona diuina pietas uobis conceſſerit, quam benigneque parentes ueſtri ea uobis impendant, easque referetis grates, quae in ueſtra poſitae ſunt poteſtate, uidelicet uirtuoſe uiuere, temporis et pecuniae iacturam non facere, literis uehementer incumbere, praecipueque praeceptori ueſtro in cunctis obedire; nam cum ſit uir non minus bonus, quam doctus, nil unquam, cuius uos poenitere poterit, praecipiet. Agite igitur, ut decet bonos iuuenes; ita deum parentes ac praeceptorem (qui uobis parentis ſit loco) colite, ut non minus humanarum, quam coeleſtium memores ſitis felicitatum. Id ſi feceritis, in eos, quos ſperamus, euadetis uiros, ſin ſecus, omnia ſiniſtra expectate. Valete et iterum memores ſitis, cuius rei gratia parentes ueſtri tantis ſumptibus in Italia uos suſtineant. Ex Nurnberga ultima Septembr. 1515. Quare et epiſtola noſtra I (*noſtra*, inquam, *prima*: hanc enim alias praeceſſiſſe, docet haec epiſtola ipſa) Cochlaeum iam anno 1516 Bononiae lares, ſuos habuiſſe confirmat. Martinus Geuder, qui ſumma Magiſtratus honores gerebat prudentia, ex Bilibaldi ſorore filios quatuor ſuſceperat, ex quibus tres Iohannem, Georgium et Sebaldum (quartum, cui Martino nomen erat, epiſtolae non habent) Cochlaei, moderatoris ſtudiorum, fidei tradidit, poſtquam Pirck-

heimerus ipſe hos ſuos nepotes et latinis et graecis literis inſtituerat, cuius rei teſtem non Cochlaeum modo, (in ep. 1.) uerum etiam rariſſimum iſtud ingenium, *Vlricum Huttenum*, teſtem appellamus haec in epiſtola ad Pirckheimerum (in cel. IAC. BVRCKARDI uita Hutteni P. I. pag. 11.) perhibentem; Vt Sueuiam ſuam „excoluit et hoc exornauit decore Capnion, „ita tu ciuitatis tuae iuuentutem ad quem cul„tum, qua Dii boni ſolertia perduxiſti? id quod „in illis uidere eſt cognatis tuis Geuderis tuo be„neficio graece et latine ſcientibus, idque opti„me, quos primum domi tuae erudiiſti, ni„hil ueritus homo patricius, praemanſum cibum „in ora puerorum infarcire, deinde in Italiam „quoque miſiſti. Quod animaduertentes tui „ciues et ipſi ſunt imitati, argumento abs te „ſumto, quantum ſit recte inſtitui, recte di„ſcere.

Caeterum uel nobis tacentibus patet, Cochlaeum Noriberga idcirco, ut religionis diſſidium effugeret, diſceſſiſſe perperam perhiberi. Etenim ea tempeſtate Reuchlinum ſectari et religionis corruptelas deteſtari uidebatur.

Marcum Hutteni in epigrammatibus Francof. 1538. 8. diuulgatis offendimus. Iam tertium Italiam adiiſſe uidetur Huttenus. uid. IAC. BVRCKHARD. uita eiusd. P. I. pag. 101. ſeq. Bilibaldus contra uſuram ideo ſcripſiſſe dicitur, quod PLVTARCHI libellum de uitanda uſura in latinum ſermonem translatum edidit Noribergae 1513, 1515 (uid. opera Pirckheym. pag.

p. 232.) Neſcio, an ea, quae de diſputatione Bononienſi dicuntur, epiſt. Cochl. II p. 2 et Ioann. *Fabri* epiſt. pag. 91 explicari poſſint. Certe diſputationem hanc Bononienſem memorant etiam epiſt. obſcur. uir. t. I. p. 193 in magiſtri cuiusdam itineris enarratione:

tranſiui ad Nurbergam,
Vbi quidam Pirckheymer, qui non eſt magiſter,
Fecit mihi inſtantiam, ſed audiui ibi clam,
Quod cum multis ſociis, in partibus diuerſis,
Magna in coniuratione, uellet ſtare pro Capnione
Et contra nos Theologos facere multos libros.
Et ſuit mihi dictum, quod nouiter unum librum
Scripſit de uſura, quam admittit Theologia,
Sicut Bononiae eſt diſputatum et per magiſtros noſtros probatum.

In epiſt. II conſilium ſuum iuris ciuilis Iuſtinianei repurgandi expromit Cochlaeus, idque poſtea epiſt. VI, VII, VIII, VIIII uehementius urget. In eo certe non hallucinatur uir eruditionis laude non defraudandus, quod legum libri, Iuſtiniano imperatore auctore, conſarcinati naeuis ſcateant quam plurimis, nec quisquam facile repugnabit, iurisprudentiam tum maxime pulchriore forma impertiendam fuiſſe, cum in bonis artibus, ac ſincerae religionis inſtitutis, renouandis propugnandisque feruerent animi, imo non inuitus dabo, Pirckheimero noſtro doctiſſimo prudendiſſimoque, pro ea, qua apud Maximilianum Imp. fide ualebat et gratia, tantum opus moliri in primis conueniſſe, nec perperam praedixiſſe quere-

 larum

larum in Iuſtinianum coaceruatorem, tam exoptata ſi amitteretur ευκαιρια, occaſionem poſthaec caluam fore. At enim uero quis hominis uanitatem non miretur et audaciam, qui legum ſcientiam uix primoribus labris cum attigiſſet, eum ſe putauit, qui malo infinitis difficultatibus implicato inueteratoque mederi poſſet? Quin usque eo arrogantia deſipuit, ut Bilibaldo, iuſtitiae ſacerdoti ſanctiſſimo, quisquilias ſuas eo pacto obtrudere auderet, quo Caeſar et imperium nouo huic Lycurgo aſſurgerent. Profecto ſi uiri huius deſultoriam ſtudiorum tractandorum rationem et quas ipſe in his epiſtoclis perſpicue expreſſit, haracteris ſui lineas intuemur, IO. BRENTIVS in epiſtola quadam ad Wenceslaum Lincum p. 159 de Cochlaeo non infeſte iudicaſſe uidetur: *homo ſtultus eſt et ardelio, qui etſi nec noſtram doctrinam, nec etiam ſua Papiſtica intelligit, tamen implet ſcriptis ſuis orbem terrae.* Ceterum tantum aberat, ut Maximil. I Imp. ius Romanum abrogandum duceret, ut id tamquam *ius Caeſareum commune ſcriptum*, patriis legibus deficientibus, reſpici uellet. Sane quam prudenter. Minus enim periculi habet ius ſcriptum, licet non ex omni parte perfectum, quam uaga iudicis aequitas et commentitia. Ecquis ordinibus imperii omnibus, autonomia ornatis, unum iuris uniuerſi ſyſtema, idque iuſtum approbauerit?

pag. 4. Epiſt. III. *Huttenus, Reuchlinus* et *Eraſmus* ut aeui ſui, ita et epiſtolarum noſtrarum fabula perpetua. Sed quum uiri ſolertiſſimi in

heroum

heroum iſtorum meritis exponendis iam ſatis elaborarint: commentationibus eorum uti cuiuis, ac non nihil ex noſtris addere licebit. conf. IAC. BVRCKHARD. commentarius de fatis et meritis Vlr. de Hutten. Wolffenb. Part. III. 1717 - 1723. 8. Analecta ad Vlr. Hutteni uitam acceſſere IAC. BVRCKHARDI analectis ad uitam propriam p. 37 - 67. Halae. 1749. 8. IO. FRID. CHRIST. de moribus, ſcriptis et imaginibus Vlr. ab Hutten diſſ. Halae. 1727. 4. ERASMVM Roterod. noſces ex operibus eius Lugd. Bat. 1730. ſq. f. tom. X editis. IO. HENR. MAII uita Io. Reuchlini Francof. et Spirae. 1687. 8. HERMANN VON DER HARDT hiſtor. literaria Reformat. Part. V. Francof. et Lipſ. 1717. f. IO. HENR. a SEELEN iureconſultorum, qui Lutheraniſmo inſigniter profuerunt tetras, in Stromat. Lutheran p. 430. (Laudantur Io. Reuchlin, Bil. Pirkheimer. Hieron. Schurf. Conr. Heresbach.) Reuchlini uictoriam ſaepe memorant epiſtolae noſtrae. Acta iudiciorum inter Fr. Iacob. Hochſtraten, inquiſitorem Colonienſem, et Ioh. Reuchlin leg. doctorem ex regiſtro publico authentico et ſigillato prodierunt Hagenoae a. 1518, eaque cel. HERMANN *von der* HARDT in hiſtor. liter. reform. P. II p. 94 recepit. Iam. a. 1514 Reuchlinus, auctoritate praeſulis Spirenſis a calumnia liberatus et Hochſtratenius in expenſas litis condemnatus fuit. Sententiam definitiuam acta, quae modo diximus apud *von der Hardt*

Hardt p. 114, item et cl MAII uita Reuchlini p. 412, immo REVCHLINVS ipſe in epiſt. nuncup. ad Iac. Aurel. Queſtembergum, ICtum, Leon. X. P. cubicular. et a ſecretis, S. Athanaſio in libr. pſalmor. e graeco in lat. traducto 1515, Tubing. 4, praemiſſa, ſed non integram, exhibent, quo circa nobis eam ex antiquo exemplo, typis expreſſo, ſupellectilis Pirckheymerianae, depromere placet. Subnotatio Notarii non formis, ſed manu ipſius propria exſcripta:

Dieſe vrtheil iſt wyder der prediger zu Coln Ketzermeiſtèr vnd ſeyne anbenger von dem Durchleuchtigen, hochwurdigen und hochgebohrnen Furſten und herrn herrn Georgen, Pfaltzgrauen bey Rhein und Herzogen in Beyern, Ervvelten und beſtettigten Biſchoffen zu Spyer, von Bapſtlicher heiligkeit ſonnderlich in dem handel des Ougenſpiegels darzu verordnet, in eygener perſon gegeben vnd geſprochen.

Chriſti nomine inuocato; pro tribunali ſedentes et ſolum deum prae oculis habentes per hanc noſtram diffinitiuam ſententiam, quam de peritorum conſilio et aſſenſu ferimus, in his ſcriptis pronunciamus, decernimus et declaramus in cauſa et cauſis, quae inter eximium dominum Iohannem Reuchlin, Legum doctorem Pfortzen. Spirenſis dyoceſis ex una et Religioſum fratrem Iacobum de Hochſtraten, ſacrae Theologiae et ordinis praedicatorum profeſſorem et in certis prouinciis, Germanicae nationis, haereticae prauitatis inquiſitorem partibus

Digitized by Google

tibus ex altera, de et ſuper quodam libello ſpeculum oculare nuncupato, ac per praefatum dominum Iohannem doctorem edito, nobis apoſtolica auctoritate ſpecialiter commiſſa, et coram nobis indeciſa pendente, bene fuiſſe et eſſe appellatum et nulliter proceſſum. Nec non libellum ocularis ſpeculi ante dictum cum ſua annexa declaratione in actis cauſae huiusmodi deductum (cum ex declaratione et declarato ſit unus et idem liber et ſui ipſius declaratiuus) a praefato domino Iohanne Reuchlin doctore compilatum, ut praefertur, atque editum, de ſuſpicione atque inſimulatione haereticae prauitatis aliisque criminibus ſibi per fratrem Iacobum ante dictum hac in cauſa aduerſarium ex aduerſo principalem, eidemque adhaerentes indebite, temerarie et iniuſte, tacita ueritate fuiſſe et eſſe notatum atque diffamatum, ſibique fratri Iacobo et eidem adhaerentibus aut ſua quoslibet intereſſe habere putantibus, diffamatione et incuſatione huiusmodi facere et publicare minime licuiſſe, neque licere, et eisdem omnibus aduerſariis et ſingulis aliis ſuper praemiſſis perpetuum ſilentium imponendum fore et imponimus. Nec non pari noſtra diffinitiua ſententia decernimus et declaramus ſupra nominatum libellum cum eius declaratione annexa ut praefertur, nullam haereſim aut errorem ab eccleſia publice damnatam manifeſte ſapere aut continere, perfidis Iudeis non plus, quam deceat, aut iura permittant, fauorabilem fore, aut eccleſiae dei, ſeu

ſacris

ſacris eiusdem doctoribus, neque iniurioſum, neque irreuerentialem eſſe, et ab omnibus ipſum oculare ſpeculum cum eius annexa declaratione (quam in ſingulis coniunctam cum libello et repetitam eſſe uolumus) legi et publicari poſſe, diffamatione in contrarium ab aduerſariis deducta non obſtante. Simili modo pari noſtra diffinitiua ſententia ante dictum fratrem Iacobum inquiſitorem in expenſas in huiusmodi cauſa pro parte dicti domini Ioannis Reuchlin doctoris, tam coram nobis et noſtris ſubdelegatis; quam Moguntiae legitime factas, condemnandum fore et condemnamus, quarum taxationem nobis in poſterum reſeruamus.

Lata et promulgata fuit haec praeinſerta ſententia diffinitiua per Reuerendiſſimum in Chriſto patrem illuſtrem principem et dominum dominum Georgium electum et confirmatum eccleſiae Spirenſis, Comitem palatinum Rheni, ac Bauariae ducem etc. iudicem et commiſſarium cauſae et cauſarum ac partium praeſcriptarum, una cum certo alio ſuo in hac parte collega cum clauſula, ut uos uel alter ueſtrum uocatis uocandis etc. a ſancta ſede apoſtolica ſpecialiter deputatum ipſo in ciuitate Spirenſi in palatio ſuo ſolito pro loco audientiae deputato, et in audientia publica hora poſt meridiem prima ad iura reddendum et cauſas audiendum pro tribunali ſedentes, primitus tamen peritorum conſilio et matura deliberatione in hac cauſa ſeu negotio praehabitis, in contuma-

Digitized by Google

tumaciam uenerabilis patris Iacobi Hochſtrat, ſacrae theologiae ordinis praedicatorum profeſſoris et in certis prouinciis germanicae nationis hereticae prauitatis inquiſitoris ex aduerſo principalis ſuorumque adhaerentium et intereſſe habere praetendentium in ualuis inſignis eccleſiae Spirenſis, ut moris eſt, et iuxta certificationem in prima citatione una cum inhibitione inſerta decreta et in perſonam dicti magiſtri Iacobi Hochſtrat, et aliis in plerisque locis publice et legitime executa factam rite citatorum non comparentium. Die Mercurii uiceſima nona menſis Marcii Anno domini milleſimo quingenteſimo quarto decimo.

Georgius Kravvt de Waldenberg, ſacra imperiali auctoritate Notarius publicus ſſt.

In epiſtolis obſcur. uiror. tom. I p. 50 haec ſententia contemnitur: *ipſi dicunt, quod doctor Reuchlin, qui hebraice uocatur Ioannes Capnion, acquiſiuit unam ſententiam pro ſe in Spira, ſed magiſtri noſtri de ordine praedicatorum dicunt, quod non nocet, quia ille epiſcopus non habet intelligentiam in ſacra theologia. Et magiſter noſter Hochſtratus eſt in curia Romana, et bene uiſus apud dominum Apoſtolicum et etiam habet ſufficientem in pecuniis et aliis.* Qua fortuna lis Reuchlini Romae pertractata fuerit, Cl. *Maius* et *von der Hardt* c. l. Struu. Act literar. faſc. II p. 97 et epiſtolae Adelmanni docent. In *Martinum Groninck*, quem noſtra appellat epiſtola, epiſtol. obſc. uir. t. I p. 201 inuehuntur: *Et eſt hic unus Iuriſta, qui uocatur Martinus*

nus Gronigen, *Doctor Senenſis*, *ut ipſe dicit*, *ſatis praetenſus et ſuperbus. Ipſe debet latiniſare Speculum oculare et eſt ualde praeſumtuoſus*, *quia cupit uideri. Aliqui laudant enim et quaeſiui nuper ex eis*, *quid plus ſcit*, *quam alius? tunc dixerunt*, *quod habet bonam notitiam in Graeco. Et ſic uidetis*, *quod non eſt curandum de eo*, *quod graecum non eſt de eſſentia ſacrae ſcripturae. Engelhardus* (epiſtolis noſtris familiaris) fuit, ni fallor *Angelus* iſte *Saur*, quem *Nic. Ziner* in epiſt. p. 181 conciuem et Fuckarorum negotiationum Rom. praepoſitum appellat.

Epiſt. IV. p. 8. Ariſtophanis recens editi mentionum facit, quem in Pirckheimeri ſcriptorum indice omittunt, ſed nos in uiri huius immortalis chartis Ariſtophanis Plutum latine redditum offendimus, eumque ipſum THOMAS VENATORIVS graece et latine a. 1531, 4. edidit; neque alia ſtudii Pirckheimeri ſpecimina in ſchedarum farragine, nobis oblata, ſilentio praetereunda duximus; nimirum (praeter iam uulgata) latine reddita extant:

Demoſthenis, Athenienſes rhetoris, Olynthiacus ſermo I. *Iſocratis* oratio ad Demonicum. *Thucydidis* hiſtoriarum liber primus. *Ariſtotelis* hiſtoria animalium lib. 1 et 2; *Galeni* philoſophorum hiſtoria; *Lucianus* de luctu. *Procli Diadochi* ſphaera; *Athanaſii* opuſculum in Pſalmos. *Gorgoniae* in linguam latinam uerſae meminit *Cochlaeus* in ep. XXVII ſq. quam ipſe teutonice exhibuit et Antonio Fuggero nuncupauit.

Ac-

Accedunt uaria iuris cum ciuilis, tum canonici doctrinae monimenta, quae Bilibaldus uel collegit uel conſcripſit; in his in primis conſpicuum eſt magnum uolumen lecturarum *Ioannis Campegii*, Bononienſis, in Pandectas anno 1490 Paduae a Bilibaldo calamo exceptarum.

p. 9. Epiſtola V uberiori quidem eſt argumenti, ſed plani. p. 12. Factionum periculi mentionem etiam facit *Hutten.* in epiſt. ad Eraſm. (BVRCKHARD. c. l. P. I p. 109): *orta Bononiae inter Germanos ac Langobardos ſeditione, paene abſumptus ſum, iuſſusque cauſſam apud ciuitatis praeſidem communi Germanorum nomine perorare. Hiſcus is eſt, Genuenſis natione, quamquam pro noſtra iniuria et illius iniquitate non acerba ſatis eſſet oratio, uehementer offendi hominem.* Chorearum, quas Cochlaeus Pirckheimeri filiae miſiſſe ſe p. 25 ſcribit, deſcriptionem hanc in apparatu noſtro chartaceo deprehendimus:

Hiernach folgen die Wellſchen tentz.

Item zum Erſten der ſpanier mit baſs duppeln durch aus.

Item der annder Roſtibin genant, darinnen man zum erſten than muſs Repreſs. Darnach geet der auf der rechten Seiten hin mit 2 baſs ſimpeln und 2 baſs duppeln und ein Repreſs. Darnach get er vvider zu ir, inmaſſen vvie vor. Darnach thut ſie eben dergleichen 2 Repreſs, darnach geen ſie vvider mit-

ander 2 baſs ſimpl, und 3 baſs duppl, darnach die volta, darnach thun ſie vvider 2 ſimpl und 3 duppel vnd die volta, und vveiter 12 baſs duppel behennt, und darnach der auf der rechten ſeiten ein altzada, desgleichen der auf der lincken ſeiten, darnach get der auf der rechten Seiten ein baſs duppel für ſich. Darnach der ander ein alzada, und tantz darnach mit einem baſs duppel zu dem andern, darnach vvieder ittlicher ein altzada, vvie vor und darnach vvider ein altzada etc.

Item der dritt tantz iſt angeloſa genant, und hebt ſich an mit 4 baſs duppeln, ittlichen mit einem repreſs, und darnach referenntz mit dem lincken Fueſs, und ein baſs duppel hintter ſich und vvider referennz, und ſollchs als hebt man vvider an, und darnach gibt man die rechten hanndt, und thut ein baſs duppel mit einem repreſs allemal gegen einander angeſehen, darnach referenz, darnach ein baſs duppel, zuſamen gangen mit einer referentz mit der rechten handt, darnach mit der lincken hant, vvie vor mit der rechten handt und darnach 4 behennt baſs duppel mit der rechten hanndt umb einander, deſsgleichen darnach mit der lincken.

Item der virdt tanntz Amoroſa genant und hebt ſich an mit 8 baſs duppeln behennt darnach get der auff der rechten ſeiten hin dannen mit 2 baſs duppeln behennt, und mit einem lanckſam, darnach get ſie im nach in maſſen vvie er gangen iſt, und darnach ge

er

er vvider dannen mit 2 baſs duppeln behennt, und einem lanckſam, und kert ſich umb, deſsgleichen thut ſie auch gleichvvie vor: darnach get er von ir mit 2 contra baſs, und einem mit einem Repreſs, da kert er ſich mit umb, und thun offters gegeneinander referentz, darnach tanntzt er zu ir mit 2 baſs duppel behennt, und einen lanckſam, und darnach tantzt ſie anch von im mit 2 contra baſs, und einen mit einem repreſs, damit ſie ſich umbkert, und thun darnach ein referentz, gegen einander, und darnach tantzt ſie vvider zu im mit 2 baſs duppell behennt und einen lanckſam.

Item der fünft iſt Leoncell genannt, und hebt ſich an mit 2 contra baſs und einen mit einem repreſs, und get drevvmal auff einander, darnach ittlichs ein allzada, darnach get der auff der rechten Seiten vmb hinauff die linck ſeiten mit einem baſs duppel, darnach vvider itlichs ein altzada, darnach get ſie auch umb *inmit* einem baſs duppel, darnach get der auff *der* rechten ſeiten hinvveck mit 4 baſs ſimppeln, und mit einem baſs duppel, mit einem repreſs, darnach get ſie auch zu im vvie er, darnach 2 repreſs mit einander, darnach get der auff der rechten ſeiten weck mit 2 contrabaſs, und einen mit einem repreſs, damit er ſich umbkert, und ſie get auch hie nach zu im, vvie er gangen iſt, darnach nemen ſie bei der rechten hant aneinander, und gen vmb einander 2 baſs ſimpel und 2 baſs duppell, und darnach nemen ſie bei dèr lincken hant aneinander, und gen auch alſo vmbein-

Digitized by Google

ander, und darnach 2 repreſs, darnach mit einander 2 ſimpel und 2 duppell, darnach 2 repreſs und ittlichs ein altzada.

Item der ſechſte iſt genannt bellregvverd, und hebt ſich an mit 12 baſs duppeln behennt, und 4 lanckſam, darnach 3 contra baſs miteinander, darnach 2 ſimpel, und vvider 3 contra baſs, darnach repreſs, darnach 2 baſs duppel behennt, und repreſs, darnach 2 ſimpel und ein duppell, und auff die recht ſeiten repreſs, darnach plospelg treten, und in dem tantz leſt man die hannt nit von einander.

Item der Sibent iſt Mercaſan genant, und hebt ſich an mit 3 contra baſs, und an dem letzten ein repreſs, und das get zu viermalen, darnach get der auff der rechten ſeiten hindan mit einem baſs duppel und einem repreſs, und vvider ein baſs duppell, damit er ſich umbkert, deſsgleichen thut ſie auch, darnach machen ſie miteinander ein repreſs auf die linck ſeiten, darnach auff die recht ſeiten, und der auff der lincken ſeiten kert ſich mit ſeinem repreſs gegen dem andern, darnach nemen ſie bey der rechten hannt aneinander, und gen umb einander mit 2 baſs ſimpeln, und ein baſs duppel, das ittlichs an deſs andern Stat kümbt, darnach ittlicher ein repreſs auff die recht ſeiten, darnach thun ſie auff der lincken Seiten gleich vvie vor auff der rechten, darnach aber ittlicher ein repreſs, darnach ittlicher für ſich, darnach er 2 baſs duppel und kert ſich umb, darnach ittlicher 2 repreſs, darnach die continentz oder ploſspelg, darnach der auf der rech-

rechten ſeiten iſt gevveſt, thut ein allzada, und darnach der ander, darnach ittlicher ein baſs duppel zuſammen, darnach der auf der lincken ſeiten gevveſt iſt, thut ein allzada, darnach derander,darnach vvider ein baſs duppel zuſamen, darnach der auf der rechten ſeiten kert ſich gar umb,und der auf der lincken halb.

Item der acht iſt vite de Colei genannt, und hebt ſich an mit 8 baſs duppeln behennt, und in dem letzten kert ſich der auff der lincken ſeiten umb, darnach thun ſie mit beden hennten an einander referentz,darnach keren ſie ſich bede umb, ittlichs nach dem es geſtanden iſt, darnach heben ſie in vvieder an, und thun gleichvvie ſie bisher gethan haben, darnach der auff der rechten ſeiten get hinvveck mit 2 baſs duppel, ittlichen mit einem repreſs, und gleich mit den ſchriten vvider herzu, darnach referentz mit beden hennten, und keren ſich umb nach dem ittlichs geſtanden iſt, darnach thut der auff der lincken ſeiten auch alſo darnach gehen ſie umb einander an der rechten hannt behennt mit 4 baſs duppeln, darnach desſgleichen auff der lincken ſeiten, darnach referentz mit beden hennten.

Literas *Friderici Fiſcheri*,Hutteni contubernalis, quas Cochlaeus epiſtolae ſuae indidiſſe,ait,non reperimus;ſed alias,easque recentiores ad Pirckheimerum datas, ex quibus hominis indolem intellexeris:

Piſcatori piſcatorem miſiſti, munus quidem autore ſuo magis notum bonis omnibus, quam a me uel literis uel libris deſcribi poſſit,

Quod unum facere et poſſum et debeo, ago tibi magnam gratiam. Legi ſane non tam diligenter, quam libenter, quoniam hoc amantis eſt, illud uero non indocti. Libros Hulderichi et meos ſimul accepi, egiſti amicum, non defuiſti officio tuo unquam. Ego hic uiuo praeter propter uitam. Dum amicis uiuo, nihil mihi, neque Muſis uiuo, adeo ſemel omnes nobiſcum degentes rectis ſtudiis interdixere, poſt cineritia feſta quam primum diſceſſurus; interim literariam ſupellectilem et augeo et orno, quando tractare non licet, nec uacat. Qui tibi has literas reddidit, tibi doctisque plurimis notus, et mecum amicitiam iniit, quod equidem benignitati, comitati, et hominis humanitati, non ruſticitati meae condono. Eum tibi minime commendo utpote tibi commendatiſſimum iampridem. Id autem quam maxime uelim, illius gratia me habeas commendatum. Vale. De Reuiuiſcentibus tuis plura alias, quoniam nunc poculis obruor, nec omnino heſternum uinum edormiui. Iterum uale et uiue. Herbipoli XII Kalend. Februarii 1518.

Ad hunc Frid. Piſcatorem Huttenus a. 1519 epiſtolam, orationibus inuect. in D. Wurtemb. adiectam, dedit, eiusque operam in uxore legenda ſolicitauit.

SCVLTETVS in annalibus euangelii renouati ad an. 1523 p. 59: *Ioannes Apel*, inquit, *et Fridericus Fiſcher, Canonici et Conſiliarii Epiſcopi Wurtzburgenſis, quod uxores duxiſſent, e*

Euan-

Euangelio fauerent, *incarcerantur*, *et poſt trium menſium captiuitatem*, *interueniente Caeſarei regiminis petitione*, *aegre ab Epiſcopo dimittuntur*. Vberius horum canonicorum et doctorum res in concilio ordin. imperii, quod *regimentum* dicebant, a. 1523 Noribergae agitatas, enarrat GOLDAST. *in politiſchen Reichshändeln* P. XVIII p. 785. LVDEWIGS *Geſchichtsſchreiber vom Biſthum Wurtzburg* p. 870. Apel, conſiliarius ciuitatis patriae Noriberg. deceſſit a. 1536. uid. cl. WILLII *Nurnberg. Gelehrten Lex. u. Apel.*

p. 17 epiſt. VI *Valentinum*, Pomeranum, I. V. Doct. epiſt. VIII *Stegentin* appellat. In MART. RANGONIS Pomerania diplomatica p. 120 inter uiros uirtute ac doctrina claros, quos iſta aetate epiſcopatus habuit Caminenſis, praeter alios, eminere dicitur *Valentinus a Stoyentin*, I. V. Doct. et p. 327 *Ioannes a Stoyentin*, patritius Colbergenſis nobilis, ſalinas a Caſimiro, epiſcopo Camin. a. 1576 impetrat. SCVLTET. *in* annal. Euang. renouat. ad a. 1522: In Pomerania cum deferbuiſſet, ait, perſequutio Treptouiae mota et princeps Bogislaus etſi edictum Wormatienſe in Pomerania ordinibus promulgauerat, tamen exſecutionem non admodum ſeuere urgeret, dehortantibus eum Valentino Stoientino et Iacobo Wobeſer et aliis piis ac eruditis conſiliariis, qui puriorem doctrinam amabant etc.

p. 20. *epiſt*. VII. Quae de illuſtriſſ. *Io. Fr. Pico Mirand. comite* memorantur, apte cohaerent

Digitized by Google

cum Pici epiſtola d. 8 Septembr. 1515 in oper. Pirckh. p. 212. exhibita, quae itidem confirmat, Cochlaeum iam a. 1515 Bononiae fuiſſe (uide quae diximus paullo ante p. 10)

p. 21. Praeter Bilibald. Hieronymus Ebner et Caſpar Nutzel praecipue mirifica prudentia atque auctoritate gubernacula reipublicae tenebant. Vitam Hieron. Ebneri cel. SCHVVARZ. in programmate ſingulari a. 1740 expoſuit. Hic Lazaro Spenglero ſe uult commendatum Cochlaeus, de beneficio quodam mox obtinendo ſolicitus; poſtea Lazari calumniator impudentiſſimus. epiſt. XXXI p. 86.

p. 26. epiſt X. de uulnere a Gallis accepto Huttenus ipſe in epiſt. ad Eraſm. (BVRCKHARD. c. I) diſſerit: *quinque Galli robore corporum et ferocitate animorum horribilei, aggreſſi, paene tuum tibi Huttenum ademerunt; uerum praeſentiſſima Dei opt. max. ope, quum defenſionem molitus eſſem, profligaui latrones, unum etiam interemi, accepto in ſiniſtra bucca uulnere, quod dices pro periculi magnitudine modicum . . . . Quare Ferrariam inde profectus paucos ibi dies commoratus ſum, Venetias ad ſe uocantibus duobus Huttenis, qui in Syriam abeunt.*

Croto Rubiano iam Fuldae familiariter uſus eſt Huttenus, ad quem praefatio libri, cui titulus: Nemo ſpectat. De Croto uberius BVRCKHARD. c. I. P. III p. 59

p. 28 epiſt. XI. Huttenum Bambergam abiiſſe, patet ex epiſtolis *Laurent. Behaim* p. 257 ſq. *Laurentii Vallae* libellum Kal. Dec. 1517 in arce Steckel-

kelbergk. cum epiſt. nuncupat. ad Leon. X, P. edidit.

p. 32. In epiſtola XII Cochlaeus beneficium ambit in Epiſcopatu Eichſtadienſi; proinde (ut uulgo tradunt) an. 1517 nondum fuit decanus Francofurti ad D. Virginem. Querelae de curialibus ſiue Curtiſanis (uid. p. 55) beneficia eccleſiaſtica uſurpantibus, adeo cumulatae fuerunt, ut grauaminum centum principum Germaniae in comitiis Norimbergenſibus a. 1523 propoſitorum caput XI caueret: *Item obuiam ueniunt et tum Germanis non ferenda a Curtiſanis onera. Ita enim per Germaniam ſubtili ingenio beneficia uenantur, ut conentur uiris presbyteris aetate et integritate uitae ſpectabilibus, qui beneficia ſua abſque omni controuerſia, iuſto titulo et bona fide, multos iam annos quiete poſſederant, in longaeua poſſeſſione negotium facere, poſſeſſionem interturbare, ad Romanam curiam, perſonaliter ut compareant, in ius uocare, ac mille aliis artibus ita eos adigere, ut transactiones quantumuis iniquas inire neceſſum habeant, modo ſupremos hos annos quiete agere uelint. Coguntur enim hoc, quo dictum eſt, modo a Curtiſanis ad penſiones annuas, reſeruata, et id genus alias praeſtationes. Atque hoc agunt curtiſani nebulones, non propria (ut ferunt) authoritate, ſed Romanorum ſuorum ſtatutorum, ac regularum, quas uocant, cancellariae. Quae conſtitutiones omnes quotidie pro libidine Curtiſanorum figuntur ac refiguntur, cum derogatur prioribus non admodum, ut uidebatur, aequis, et feruntur iniquiores,*

quiores. Add. die Beſchvverungen des Heil. Röm. Reichs und beſonderlich gantzer teutſcher Nation vom Stuhl zu Rom und ſeiner anhangenden Geiſtlichkeit zu VVorms im Reichstag 1521. etc. *fürbracht in* KAPPENS *kleiner Nachleſe* etc. Part. III p. 269. HVTTENI fabulae aliique libelli ſatyrici bene multi curtiſanos acerbe exagitarunt.

Vltimam ex urbe Roma die 14 Nou. 1517 ſcriptam epiſtolam Cochlaei offendimus, qua Bilibaldum de reditu Iohannis et Sebaldi Geuderorum certiorem facit, additque: *reſcribendo, mi Domine Bilibalde, reſponde ad alias quoque literas; tuum enim exſpecto conſilium, et rem differo, ne ad curſum b. Virginis horae canonicae accedant, quoniam gratior mihi eſſet ſpes Senatus, qua de mihi poſtea ſcripſiſti, quam umbratile (ut ita dicam) beneficium, neque id ſine ratione eſt; tacebo tamen et tuum expectabo conſilium.* Hinc epiſtolae Cochlaei deficiunt usque ad VII Kalend. Februar. 1520, quo ſe Francofurti beneficium ſuum adiiſſe ſcribit epiſtola XVI; quare uir perreu. IO. BALTHASAR. RITTER *im Euangel. Denckmal der Stadt Franckfurt am Mayn* p. 36 Cochlaeum iam an. 1520 decanum aedis b. Virginis fuiſſe, recte memorat, quo in libro et alia Cochlaeana traduntur. *Bernh. Adelmann.* in epiſt. XXVIIII p. 186 ſuſpicatur, Cochlaeum non per oſtium hoc intraſſe ouile.

p. 43 epiſt. XVII. HVTTENI dialogi: Fortuna, Febris prima et ſecunda, Trias Romana,

in-

Inſpicientes coniunctim Moguntiae ap. Io. Scheffer menſ. April. 1520 excuſi.

Hiſtoria Henr. IIII, quam hic Cochl. innuit, prior prodiit, hac in ſcriptione: *De unitate eccleſiae conſeruanda et ſchismate, quod fuit inter Henrichum IIII Imp. et Gregor. VII P. M. cuiusdam eius temporis theologi liber, in uetuſtiſſima Fuldenſi bibliotheca ab Hutteno inuentus nuper, in aedibus Io. Scheffer. Moguntini menſ. Mart. a.* 1520. 4. Exſtat hic libellus etiam in MARQ. FREHER. ſcript. rer. Germ. t. I p. 153.

Quare *Bernh. Adelmann.* Cochlaeo Caſſiodorum mittere nequeat, declarat iſte epiſt. XXXVII p. 201.

Phil. Fürſtenberger nunc ualde laudatur a Cochlaeo, ſed poſtea dum Euangelio faueret admodum, ſine dubio diſſuebatur amicitia. uid. RITTER. c. l, MYCON. in hiſtor. reformat. p. 67: *Philippus Furſtenberger*, ait, *uir eruditus, bonus, prudens et erga omnes affabilis, minimeque ſuperbus.*

p. 45 ep. XVIII. *B. Fulgentii, Aphri opera, nuper apud Germanos inuenta*, Norib. 1519, 8. prodierunt. Vbi reperta fuerint, haec docet epiſtola *Nicolai Baſellii*, Hirſaug. monachi, ad Bilib.

Prouidentiam tuam mirum in modum oratam uenio, quatenus de Fulgentio noſtro curam agas, quo is integre atque ſecure in manus meas Hyrſaugiam reſtituatur, ut opportune fieri poterit nundinis Decembrialibus ad proxima Chriſti natalia, quando uel Eslingenſ. uel Wilenſ. imperialium ciuitatum inſtitores

No-

Noricum conceſſerint, aut prouida tua humanitas quempiam ex negotio publico ſenatus tui a pedibus nuntium, cui Fulgentium tuto committere poſſis, deprehenderis. Nam ego per ſacrum caput meum ad ſacramenti uerba, quo Fulgentius Domino ſuo reſtituatur, adiuratus. Tametſi dulciter cum amicis, ac multo cum honore ſuo maneat; ſollicitus tamen, ne periculum aliquod aut diſcrimen ex itinere ſubeat, his breuibus prudentiam tuam commonitam eſſe uolui. Ceterum ſi quid pro literario commercio dignum me exiſtimatione tua commune aliquid habere conceſſeris, age, fac, oro, pro innata tibi animi tui clementia, humanitate, benignitate, in ſtudioſos omnes, reſcribas uelim. Nam ego pro antiquitate quicquid in literis tam latinis, quam graecis penitius explorare potero, ea lubens tecum habere commune uolo, ſiquidem de Fulgentii reliquis a ſe conſcriptis opuſculis, quando eorundem copiam deſideraueris, ex Hyrſaugiana ueteri bibliotheca recipies. Valere prudentiam tuam, cui me tanquam ſtudioſorum omnium aſylo iterum atque iterum commendo, ſanam et incolumem maximopere cupio. Iterum uale. Ex Peapoli curſim, tabida peſte graſſante. Nonis Nouembris. Anno Chriſtianae ſalutis ſupra ſeſqui milleſimum Decimo nono.

p. 48. Epiſtola XVIIII litem *Reuchlini* et praedicatorum, opera Franciſci Sickingenſis exſtinctam, latius enarrat. En! paullo pleniorem huius transactionis notitiam, quam cl. MAIVS

in

in uita Reuchlini p. 512 deſiderauit. Conf. *Bernh. Adelmanni* epiſt. XXVIII pag. 184. Opera *Pirckheimeri* p. 262. SECKENDORF. c. l. lib. 1 §. 70. add. l. not. o. *Iac Queſtebergius*, Fribergenſis, inueterata Reuchlino familiaritate iunctus, ſua auctoritate huic multum profuit apud Pontificem. uid. Maii uita Reuchlini p. 214. *Caſp. VVirt.* Noriberg. Syndicus ep. XV p. 40 dicitur. Ceterum beneuolentiae Bilibaldi aucupandae cauſſa ſe Lutheri dogmata contra praedicatores defenſurum fuiſſe p. 49 ait Cochlaeus; at enimuero quo maiore feruore pro eccleſia Romana dimicabat, eo magis amicitia Pirckheimeri refrixit, cui quidem ſe pacis ualde ſtudioſum ſimulauit, ſed alia omnia factis comprobauit, et aſperrima in Lutherum maledicta coniecit. Commentaria ipſius de actis et ſcriptis Lutheri, hoc caelitum conſortio iam recepto, uulgata criminationum ſunt refertiſſima, in quibus hanc in primis memoramus, Iohannem Staupitium, uirum genere nobilem, facundia et eruditione clarum, generalem fratrum Auguſtinianorum per Germaniam uicarium, et Mart. Lutherum, ueluti duos gregis ſui arietes, aegerrime tuliſſe, quod negotium indulgentiarum quaeſtuoſum non Ordini ſuo ipſorum, ſed Iohanni Tezelio, fratri ordinis praedicatorum, concreditum fuerit; haec initia ſacrorum reformationis pudenda. Calumniam hanc turpiſſimam a beato Luthero Vir ſumme Reu. FR. WILH. KRAFFT in diſſert. de

Lu-

Digitized by Google

Luthero contra indulgentiarum nundinationes haudquaquam per inuidiam diſputante (Götting. 1749) depellere inſtituit, ſed cel. LESSING. in Part. III *ſeiner Schrifften* p. 219 uindicias Cochlaei ſibi ſumſit, iam Alphonſum Valdeſium d. 31 Auguſt. 1520 ad Petrum Martyrem hoc conuitium ſcripſiſſe, nomenque Valdeſii ualde obſcurum ratus. Sed (pace uiri acutiſſimi) Alphonſus Valdeſius in luce iſtius ſaeculi uerſabatur; fuit nimirum imperatoris Secretarius, ipſoque SECKENDORFIO c. l. lib. II §. 62, num. 1 docente, comitiis Auguſtanis a. 1530 adfuit, et Caeſari antea Lutheranorum articulos expoſuit, ut cognoſcere poſſet, non adeo per eos eccleſiam catholicam oppugnari, quam uulgo putaretur. Quid? quod Alph. Valdeſius et Alexander Schweiſſ. Auguſtanam confeſſionem in linguam Hiſpanicam et Italicam transtuliſſe dicuntur. Praeterea hic Alphonſus Caeſaris diplomatum ſubſcriptionibus et epiſtolis Eraſmi notus. Vid. BERNH. a MALLINKROT de archicancellariis imperii in IAC. WENCKERI COLLECT. archiu. p. 454. Opera Pirckheimeri p. 290. GOLDAST. conſtitut. imp. t. I p. 499, 502. Alphonſus etiam Caeſarem Aquisgrani 1520 coronandum et a. 1521 Comitia Wormatiae agentem comitatus. Quis igitur dubitet, eum rerum publice geſtarum non admodum peritum fuiſſe, nec in Cochlaei uel congreſſum, uel literarum commercium ueniſſe; at tam integro pectore erat Cochlaeus

heus, ut calumnias in amicorum ſinus effunderet, mox late diſſeminandas, quamquam *Auctor des Sendſchreibens an ihro Hochvvurden des H. Doctor Kraffts in Dantzig uber die Leſſingiſche Rettung des Cochlaeus (Franck. und Leipſ.* 1755, 4.) in eo non falli uidetur, quod Valdeſii coniectura ne Cochlaei quidem mendacium euidens adaequet. In odiis enim et rixis monachorum reformationis origines poſuiſſe nonnullos, conſtat. Sed Cochlaei commentum audacius eſt. conf. IVST. FRID. BIERLING. commentat. de cauſſis, quae Lutherum ad impugnandas indulgentias permouerint Rintel. 1742. CAROL. DAN. FREYBERG. comment. II de abſtinentia priorum Saxon. electorum principum in ſuſcipienda ſtabiliendaque Lutheri doctrina. Viteberg. 1752.

p. 50 *Huttenus* ipſe ſcribit II Nov. Iun. a. 1520. ad Luther. *Hodie ad Ferdinandum abeo*; ſed uix dum in Brabantia Caroli Imp. aulam acceſſerat, neceſſarii monebant, ut, ſi ſeruatum ſe uellet, ſtatim diſcederet, capiti enim ipſius perniciem imminere. BVRCKHARD. c. l. p. II P. 66

Nihil certe opportunitatis praetermiſit Cochlaeus, Luthero eiusue amicis moleſtiae creandae, aut inuidiae notae inurendae. A 1521 Wormatiam proficiſcitur a nemine uocatus, ſed ſtudio tuendae aduerſus Lutherum fidei. (teſte RAYNALDO annal. eccleſiaſt. tom. XX p. 332); quare una cum Eccio, offi-

officiali Treuirenſi, Lutherum acri et ſophiſtica diſputatione adortus ſatyrico quodam libello dimiſſus fuit. SECKEND. c. l. lib. I §. 96, n. 2 KAPP. c. l. P. II p. 474. Acceſſit etiam anno 1524 comitia Norimbergenſia. Etenim cl. HOCKER. *im Hailsbronniſchen Antiquitäten - Schaz* p. 82 epiſtolam Cochlaei Noribergae d. 22 April. 1524 datam exhibet, ex qua perſpicimus, eum dono 5 florenorum accepto, negotium Abbatis Monaſterii fontis ſalutis ſolicitaſſe; id enim agebatur, ut abbas ius patronatus Nordlingenſibus traderet, quod prorſus improbat Cochlaeus; Nordlingenſes enim *Lutheraniſſimos* uocat. Vid. DAN. EBERH. DOLPS *grundlicher Bericht von der Reformation der Stadt Nördlingen. p.* 38.

p. 51. ep. XXI *Frid. Nauſeae* epiſt. ad Bilib. exſtat in oper. huius p. 334. Fuit theologiae et iuris doctor, poſtea concionator in ecclefia principe Moguntina, ac denique epiſcopus Vindobon.

A. 1525 duo haec epiſtolia addenda:

S. P. D. Etſi nullum ſit nunc mihi ſcribendi argumentum, Magnif. Dne. Bilibalde, nolui tamen nepotem meum ſine ſalutatoriis ad te dimittere literis. Scripſi nuper ex Moguntia et ad praeſtantiam tuam et ad Dom. Hieron. Ebner priuatim ac ſingulari fide atque fiducia, ſed uideo, etiam Cingularium (uti ſe ſe ſubſcripſit) eiusmodi literas exprobrare mihi, ita quidem inuidioſe, ut totam plebem ueſtram in me concitare contendat. Quo autem

animo

animo ego ſcripſerim, is certe nouit, qui ſolus intuetur cor. Scribo nunc, ut, ſi commode queas, mihi ſemel, pro more antiquo tuo, reſpondeas. Mitto ſimul ſcedulam quandam de noua Carolſtadii factione, ſi forte antea non uidiſti. Bene uale, et hanc meam importunitatem aequi bonique facito. Ex Franckfordia pridie Idus Februarii anno MDXXV.

S.P.D. Magnif. Dom. Bilibalde. Addubitaui aliquantulum: an expediat hoc periculoſo tempore ſcribere tibi; facit tamen antiqua mea erga te obſeruantia, ut ſalutandi ſaltem gratia ſcribam. Opto certe, praeſtantiam tuam ſemper ualere, ac immunem praeſeruari ab omni culpa, quae patriae uel perpetuum dedecus, uel extremam cladem afferre queat. Vix credas, quam mihi doleat, ſic agi uobiſcum, ſic fabulam odioſam fieri patriam noſtram. Si Franckfordiae eſſem, curarem, ut aliquid noui ad te mitterem; hic uero poſitus neſcio, cui confidam. Bene uale, antique ac uenerande patrone. Ex Colonia nonis Septemb. anno 1525.

Pag. 52 Epiſt. XXII. Cochlaeus exul beneficium tandem in eccleſia S. Victoris prope Moguntiam obtinuit; qua de re uid. NIC. SERAR. Moguntiac. rer. lib. I cap. 11 in IOANNIS Script. Mogunt. tom. I pag. 127: *Io. Cochlaeus*, egregius contra Lutherum, aliosque recens exortos haereticos pugil Catholicus, prout tot ipſius contra illos locubrationes

Digitized by Google

ſidem faciunt teſtatiſſimam. Illas eadem recenſet Bibliotheca. Francofurti in ſacra B. Virginis aede bonum grauemque Decanum agebat. Sed turbulentis haereticorum factionibus eiectus Moguntiam uenit, ubi et S. Victoris Canonicatu, uir magnis quibusque ob modeſtiam, doctrinam, et labores praemiis dignus, donatus fuit. E uiuis exceſſit anno Domini MDLII; Viennae, an Vratislauiae. Illam nominat Simlerus, hanc in catalogo Corn. Loos.

p. 56 epiſt. XXIII. Prologi ep. Roffenſ. hoc titulo German. prodiere: *Funff Vorredde des hochwirdigen Vatters u. Herren H. Iohann Biſchoffs von Roffa in Engellandt uff V Bücher vvider Io. Ecolampadium, von vvarem leib und blut Chriſti im heiligſten Sacrament des Altars. Durch Io. Cocleum verteutſcht.* epiſtola nuncup. ad Hieron. Walther, ciuem Lipſ. d. apud S. Victor d. 3 Ian. 1528.

p. 59. Morum emendatio omnino curae erat Caeſari et ordinibus imp. A. 1530, quo proteſtantes formulam ſuam Auguſtae exhibuerant, politiae quoque reformatio promulgabatur, leges optimae in prouinciis ſcribebantur, iudiciorum honos augeſcebat; quos ſane fructus eximios ſacrorum repurgatorum exiſtimamus. uid. IO. HENR. a SEELEN diſſ. de reformatione Lutheri ſpectante etiam ad mores in Stromat. p. 56.

p. 60 ep. XXIV. Miram uim ingenii hic effundit uir acutus. Propoſitiones XXVIII contra

tra

contra digamiam epiſcoporum ex ſchedulis Pirkheimeri depromemus, ſed auctorem eum fuiſſe, minus probabile, aut certe in ludicris rem tractauit. Ceterum conf. Cochlaei epiſt. in oper. Pirckheimer p. 395 iam diuulgata.

Concluſiones hae, Dei auxilio, publice defendentur.

I. Quicumque contra apertum et clarum Dei uerbum agit, is plane ad Gehennam aedificat.

II. At bigamia manifeſte per uerbum eſt prohibita in ſacerdote.

III. Contra apertum igitur Dei uerbum agit et ad Gehennam aedificat Epiſcopus uel presbyter, qui ſecundam uxorem ducit.

IV. Quicumque plana ac dilucida diuinae ſapientiae uerba deprauare nititur aut obtorquere, is audiendus non eſt, ſed reprobandus.

V. Apoſtoli uerba ad Timotheum, quod Epiſcopum unius uxoris maritum eſſe oportet, plana ſunt et dilucida.

VI. Et magis per ſequentia explanantur, quod uidua allegari debet, quae unius uiri uxor fuerit.

VII. Quicunque igitur in ſacerdote bigamiam admittit ſeu defendit, is tamquam diuinae ſcripturae deprauator reprobandus eſt et pellendus.

VIII. Eadem uerba in pari caſu prolata pariter etiam ſunt intelligenda.

IX. Quicunque igitur Apoſtoli uerba ita intelligit, ut ſacerdos ſimul et eodem tempore plures uxores habere non debeat,

X. Is etiam per eadem uerba Apoſtoli fateri cogitur, quod et mulier plures uiros ſimul et eodem tempore habere poſſit, ſi allegari non deberet, quod plane eſſet abſurdum.

XI. Nulla ſcriptura authentica doceri poteſt, quod Iudaei, Apoſtoli aetate (exceptis regibus) duas uxores eodem tempore habuerint.

XII. Multis teſtimoniis probari poteſt, quod Graeci ac gentiles tempore Apoſtoli una tantum uxore contenti fuerint.

XIII. Intellectus ergo ille de duabus uxoribus, uno et eodem tempore non ducendis, confictus eſt, falſus et prorſus ueritati contrarius.

XIV. Conciliis et ſtatutis generalibus patrum praecipue antiquis adhaerendum eſt, ubi non manifeſte Dei uerbo repugnant, ſed conueniunt et ad bonos mores faciunt.

XV. Autoritate patrum ex apoſtoli uerbis ſtatutum eſt, quod nullus Epiſcopus aut ſacerdos poſt primae uxoris mortem ſecundam ducere poſſit.

XVI. Si uero contineri nequit, ſecundae nuptiae ei non ſunt prohibitae, ita tamen, ut officio cedat eccleſiaſtico.

XVII.

Digitized by Google

XVII. Cenſuerunt Patres, maximum in eccleſia Dei ſcandalum eſſe, ut Epiſcopus uel ſacerdos, qui carnem ſuam in plures diuiſit, quum Chriſtus unius eccleſiae ſit ſponſus, eccleſiaſticis fungatur officiis.

XVIII. Conuenit igitur et decet, ut, qui adeo ſalax eſt, ut ab obſcoenis libidinibus continere nequeat, et nuptias ſecundas eligat, officium ſacerdotii relinquat.

XIX. Papiſtae licet fuerint auariſſimi et omnia habuerint uenalia; nunquam tamen cum bigamis ſecularibus, ut uocant, pro ulla pecunia contra Apoſtoli doctrinam diſpenſare uoluerunt.

XX. Mortaliter peccant, qui bigamos eccleſiae ſtipendio ſuſtentant.

XXI. Si Epiſcopo uel presbytero etiam ad uitae eius tempus eccleſiaſticum promiſſum eſt ſalarium; ceſſat tamen promiſſio illa, quum ipſe culpa ſua ſciens ac uolens in bigamiae incidit crimen.

XXII. Mortaliter peccant principes ac praeſides, qui bigamo eccleſiaſticam functionem contra Apoſtoli doctrinam et ueterum patrum decreta permittunt, et quando prohibere poſſunt, non prohibent.

XXIII. Peccant, qui ſcientes ex bigami ore uerbum dei pollui audiunt.

XXIV. Bigami ſacerdotes ex Apoſtoli uerbis et patrum auctoritate omni eccleſiaſtico priuilegio ſunt priuati, nec a quoquam

defendi, ſed aliorum laicorum inſtar haberi debent et cenſeri.

XXV. Bigami in ſacerdotio perſeuerantes inceſtum committunt, et filii eorum ſpurii ſunt cenſendi.

XXVI. Actio contra bigamum popularis eſt, ita, ut bigamus a quouis de populo accuſari, et, ut eccleſiaſtico officio deponatur, peti poſſit.

XXVII. Bigamus cenſendus eſt non ſolum is, qui duas ducit uirgines, ſed et uiduam aut aliter corruptam.

XXVIII. In ſumma, quicunque proprias uoluptates et luxuriae exſatationem Apoſtoli uerbis et patrum honeſtis praeponit decretis, non tamen ſacerdotio aut eccleſiaſtico ſtipendio cedere dignum putat; is non ſolum tolerandus non eſt, ſed ad coruos etiam agendus, quo non ouis morboſa totum corrumpat ouile, et tam laudabilem bonam et longaeuam conſuetudinem peſtilenti ſuo defoedet exemplo.

Dominicum hic innuit *Sleupnerum*, antiſtitem ad D. Sebald. qui connubio altero auſpicato (non ſcelerato) ſibi iunxit ſororem D. Io. Apel. de quo diximus p. 27. Cochlaei nomen ſe inuitum gerere, in epiſtola quadam ad Eraſm. etiam confirmauit. Cognomen Dobneckii interdum addidit. In annuli ſigno conſpicimus lilii florem, additis literis: I. D. In literis quibusdam Francofurti ſcriptis ſignum habet cochleae,

leae, poſtea, ni fallit imago, caſtelli. Fictor foederis omnino fuit ex Georg. Duc. conſiliariis, Otto Pack. Sed principes quam multi libellis typis exſcriptis ſe excuſantes ſcelus deteſtabantur.

Liber bene longus D. Io. Fabri, qui Lipſiae propediem excudetur, erant: *opuſcula quaedam reuerendiſſ. D. Ioann. Fabri, epiſcopi Viennenſ. a Ioanne Cochlaeo in unum collecta et Imp. Ferd. nuncupata. Lipſ. fol.* Operum Fabri tom. IIII cenſetur.

pag. 66 anno 1529 haec adiungenda epiſtola:

S. Per nuntium D. Eraſmi ante biduum reſpondi Magnif. tuae, rogo, ut boni conſulas; neglexi enim ſcribere de tuo monſtro admodum ingenioſo, quod ubi oſtendiſſem principi meo, ridebat plurimum, et ſuis monſtrabat conſiliariis, monſtraturus et uxori, ſed cera affixit operculum, quod Veneris opus occultat. Interim non reddidit. Quae te rogaui de 500 propoſitionibus et de dialogo in L. fac, quaeſo, meminiſſe uelis. Si qua in re paruitas mea tuo poſſit nomini et honori quid obſequii praeſtare, nihil, quaeſo, dubita, manda confidenter. Habes et principem meum, qui obſequiis tuis libenter gratiam referret, ſi poſſet ulla occaſione. Exiit ſepticeps Teutonicus breuis quidem ille, ſed Lutheranis ualde ingratus, murmurant plurimi in mei quoque principis aula, et ii quidem non infimi, qui tamen nondum legerunt. Mitterem

exemplar, nullum adhuc ad manum eſt; Lipſiae enim excuſa ſunt neſcio quot exemplaria, ubi et coelibatus uotiuus excudetur. Quamquam non ſit, quod nunc ſcribam, ſcribo tamen, ſi forte per hunc nuntium, qui omnino certus eſt, reſcribere quid uelis. Bene uale, obſeruand. D. Bilibalde, patrone cariſſime, ac perſuade tibi, me nunquam ſponte et data opera in te peccaturum. Ex Dresda 15 Martii 1529.

Si forte adhuc tecum ſit nuntius Eraſmi, ſcribe, obſecro, rogari a me uehementer, ut de cetero graecis, quae plerumque textui admiſcet latinam interpretationem in margine apponat, ut olim ſolebat, quod et ueteres Hieron. et alii fecerunt; non enim omnes eruditi ſunt graece, nec omnes conformiter interpretantur, eius interpretatio ſemper foret certior.

p. 81 ep. XXVIII. plenius, quae in comitiis Auguſtan. 1530 geſta ſunt, enarrant SECKENDORFF. c. l. adh. a. p. 177 n. 16. CHRISTIAN. AVG. SALIGS *vollſtändige Hiſtorie der Augſpurg. Confeſſion.* P. I p. 293. CYPRIAN. *hiſt. der Augſpurg. Confeſſ.* c. 8 §. 3, qui Cochlaeum quoque in ſeptenis iſtis numerant.

p. 85 epiſt. XXX. Io. Geuderi cauſſa matrimonium monialis reſpicit multoque ſtudio ſub his comitiis a. 1530 tractata fuit; cuius rei documento ſunt aliquot epiſtolae Cochlaeanae, menſe Iun. exaratae, quae cum et aliis lucis quidpiam impertiantur, non opprimendae uidentur.

I.

Digitized by Google

I.

Ex Auguſta. I die Iunii 1530. S. Heri cum coenatus fuiſſem cum reuerendo Dom. Ioanne de Wirsperg, Decano Eyſtetenſi et Canonico Auguſtenſi, incidit caſu mentio de monialibus, quarum laudabatur conſtantia, hic Sanctae Catharinae, iſthic ſanctae Clarae et Pillenreut; aderant praeterea D. Sebaſt. de Rotenhan, Doctor et miles auratus, et R. P. de Redorf, tui ſtudioſus uterque. Inter cetera Decanus nominauit ueſtrum aduerſarium Seb. Wintz, et dixit, ſe iam conſtitutum eſſe iudicem commiſſarium in ea cauſſa. Ego nactus occaſionem plura ſcire deſiderans, perſequebar eam fabulam. Ille ſurgens e tabula abiit, et attulit Breue apoſtolicum ſimul cum incluſa ſupplicatione Annae oratricis, coepit legere, mox Pr. de Redorf totam praelegit nobis ſupplicationem, quae multa falſa narrat, quomodo fuerit, poſtquam Wincio nupſiſſet, monaſterium intrare a parentibus compulſa, in quod nunquam conſenſerit, et quomodo abſoluta et declarata ſit libera per commiſſarium Bambergenſem, pars autem aduerſa iterum appellauerit; petiit itaque iudices in partibus, ut cito poſſit cauſſa finiri. Dati ſunt commiſſarii duo Gotzman, Canonicus Auguſtenſis, qui ſeſe exonerauit, et Dom. Ioann. de Wirsperg, qui commiſſionem acceptauit, et heri decreuit (ut ait) citationem et inhibitionem, ut D. Io. Geuder, nomine uxoris, coram ſe (nondum interrogaui, an hic uel in Eyſtet) com-

pareat die 27 Iunii. Data uero ſignatae ſupplicationis fuit 3 Calend. Maii. Haec eſt ſumma, quantum retinui. Ego hodie mox miſi ad D. Seb. Geuder, et iſta ei reuclaui. Ait, ſibi conſtare, aliud Breue per Georgium noſtrum impetratum eſſe, pro quo iam bis aut ter ſcripſit. Ego heri in genere conquerebar de ſententia uicarii Bambergenſis, reſpondit decanus; illum ſibi multa ea de re dixiſſe mox poſt latam ſententiam intra VIII dies appellationis. Ceterum non audeo, eum particulariter melius de cauſſa et proceſſu informare, niſi prius tua cognita uoluntate. Eſt mihi alioqui admodum amicus et familiaris, nam et ego fidele ei praeſtiti obſequium Dresdae in cauſſa penſionis ſuae, quam recipit a Decano Misnenſi. Nondum interrogaui, an te ex facie cognoſcat, plurimi certe nobiscum te facit. Delibera igitur; quid a nobis D. Sebaldo et me fieri uelis, et an ipſe quoque ſcribere uelis dicto Decano, an potius tacere et forum eius declinare. Eſt certe uir (ni fallant me omnia) honeſtus et grauis. Ait, ſe Winzio dixiſſe heri: uide, ut iuſtam habeas cauſſam, ſi uis, ut te iuuem, et addebat, Winzium hic per 14 dies expectaſſe, heri abiiſſe Norimbergam, ut citationem inſinuet. Si uolueris, diligentiſſime uirum de tota cauſſa informabimus, habebimus in praeſidium Card. Campegium, legatum, cui iam dudum de cauſſa ſcripſi. Rogo igitur, ut nobis quam primum reſcribas. Cum obieciſſem heri, cauſam in iudicio Camerae

rae pendere, reſpondit: ibi agi de haereditate, hic autem de matrimonio, an ualeat? Reſcribe praeterea, quid cenſeas faciendum de Breui, quod Georgius huc miſſurus eſt, ſi forte alii ſint ibi iudices deputati, ego certe iſtum non facile mutarem, ſi cauſſa mihi propria eſſet. Quod ſi Georgii Breue antiquius ſit iſto (quod coniicimus) reſcribe, quid cum eo fieri uelis. Mallet Sebaldus hic reſpondere, quam in Eyſtet, et ego non minus fideliter ac diligenter cooperabor, quam ſi res mihi propria foret. Gorgonia tua nunc inprimitur. Deus faxit, ut beneplacito tuo fructificet in multis. Bene uale, patrone obſeruandiſſime, et D. Ioanni Geuder me commenda ac priſtinam pollicere de me fidem et obſeruantiam. Ex Auguſta feria 4 poſt Exaudi.

Comes de noua Aquila praepoſitus Colonienſis mittet breui ad te Germaniae neſcio quam deſcriptionem, quam nondum uidi.

II.

Ex Auguſta 2 Iunii 1530. S. Magnifice Dom. Bilibalde, In primis condoleo paterno et iuſto moerori tuo de filia amiſſa. Rogo tamen, quod et magnanimitati tuae bene confido, ut fati neceſſitatem aequo animo feras; nam et nos omnes eadem expectat neceſſitas. Duos quaterniones tui Gregorii cum gaudio accepi. De hypoſtaſi non oportet te ſolicitum eſſe; nam et noſtri theologi iam non pro ſubſtantia, ſed pro ſubſiſtentia accipiunt. Hieronymus quidem olim abhorrebat, ſed ſedes

apo-

Digitized by Google

apoſtolica tandem admiſit et approbauit dici: tres hypoſtaſes ſiue tres perſonas. Tua Gorgonia multum de tua cenſura in aliena lingua timida et anxia cras a periculo liberabitur, ut ad te uadat, de me multum conqueſtura, quod non ea gratia uerterim eam in teutonicam, qua tu in latinam linguam uertiſti. Dom. Sebaldus hoc ueſpere accepit aliud Breue apoſtolicum, quod certe in data multo eſt antiquius, quam illud, quod Winz impetrauit, de quo heri ſcripſi. Nam illud datum eſt 3 Calend. Maii, hoc autem 8 Idus Martii.

Nunc ueſtrum eſt nos informare, coram quo iudice uelitis litigare. Apud Herbipolenſes uereor, ne forte D. Marſtaller uobis Nurembergenſibus non ſatis bene uelit. Generalem ibi uicarium non noſco, neque adhuc interrogaui; cras tamen interrogabo; at iudex, quem Winz elegit, Dom. Io. de Wirsperg, decanus Eyſtetenſis uir eſt bonus et expertus, tibi notus et amicus. Si res mea eſſet, forum eius non facile declinarem, niſi forte ſubſit alia ratio, quam ego ignoro. Reſcribe igitur, quid a nobis fieri uelis. Bene uale, et me Dom. Io. Geuder commenda. Habemus hic copiam Breuis, quod Georgius noſter miſit. Iterum uale.

III.

S. Ad bene longas et pulcherrime inſtructas literas tuas, Magnif. Dom. Bilibalde, paucis reſpondebo. Inprimis ago tibi gratias ſimul cum Geuderis noſtris, quod adeo locupletem nobis transmiſeris inſtructionem. Habe-

bemus quidem aliam, quae cauſſae iuſtitiam
ufficienter indicat; iſta tamen ad actionem et
racticam multo eſt locupletior magisque ne-
eſſaria. Vnum eſt, quod me hac in re mor-
et, nempe tardior Caeſaris et legati aduen-
us, quamquam Sebaldus noſter iam certiſſi-
num eſſe affirmat, Caeſarem ex Oeniponte
biiſſe, quod et communis fama confirmat.
Quam primum igitur huc uenerit legatus, di-
gentiſſime eum ex tua inſtructione informa-
o, tibique mox mentem eius ſignificabo.
Quod ſi priuatim nihil eorum, quae petis,
npetrare potero, (de eo autem multo meli-
s ſpero) curabo, ut per principes Marchio-
iem electorem, et ducem Saxoniae Georgi-
m aliquid efficiam. Quamuis igitur tota in-
ſtructio tua ſi erudita et arguta, maxime tamen
lacet conſilium illud de noua commiſſione
mpetranda, quae tam aperta habet interroga-
oria, ad quorum confeſſionem neceſſario ſe-
quitur uictoria noſtra, niſi omnis ſubuertatur
anonum ac legum iuſtitia. Expectabimus igi-
ur Caeſaris et legati aduentum, niſi forte ali-
d tibi uiſum fuerit. De canonum falſario et
ouo monialium ſolicitatore diligenter cogita-
o, ſi qua opportunitate queat illis rependi,
uod iuſtum eſt; ſed et Babenbergenſ. ſenten-
a digna uideretur, ut in caput auctoris retor-
ueatur. Quid ſi apud legatum inſtarem, ut
teret uidere commiſſionem Decano factam,
t eo facilius nouam ſuperadderet. Vereor
ſane

ſane, ne forte legatus minus inclinatus ſit cauſſam matrimonialem a foro eccleſiaſtico a ciuile auocare. At, dicis: uos non agere ſu per matrimonio, ſed praetendit probare matri monium pars aduerſa, ut, probato matrimo nio, cetera, quae de pecuniis intendit, ind ſequantur. Et uos non eſtis actores, ſed re Nonne igitur ab actore poteſt intendi, quo uult? intendit ergo probare matrimonium licet in aeternum probare non poſſit. Qui autem prohibeat ei ſuam intentionem Haec ideo in dubium uoco, ut reſpondea et doceas nos, quid reſpondere debeamus ſi forte diceretur, uti dixit Decanus, apu tribunal eccleſiaſticum agi ſuper ualore matri monii, in iudicio autem Camerae ſuper peti tione haereditatis. Quamquam enim ex ſen tentia Babenbergenſi ſequitur et petitio hae reditatis; tamen principaliter praetendit acto ſtatum matrimonii, quo probato, ſequeretu illud, quod in ciuili foro petitur. Cum erg duplex ſit cauſa, una matrimonii et altera hae reditatis, haec ciuilis, illa eccleſiaſtica, cu non poſſet duplex quoque tribunal admitti etiam uno et eodem tempore? Hoc, quaeſ mihi reſcribendo dubium ſolue, ut eo fidentiu agere queam. De aduocatis nondum curamus dum te habemus. Si tamen placeat, et neceſſariu fore putes, libenter conſulam hac in re Can cellarium noſtrum, qui iuris certe peritiſſimu eſt, Lutherizat tamen non modicum in ho

ca-

caſu, quia reprobat perſaepe in colloquiis conſtitutionem Papae de prohibito ſacerdotum coniugio, nec multum uidetur inclinatus ad uota monaſtica, quamquam libentius credam, eum ſi ſerio conſulatur, dicturum, quod ius dictat; tum inueniemus bene alios aduocatos, ſi neceſſarium fuerit, qui omnino catholici ſunt, et talia matrimonia deteſtantur. Vadit ad te Gorgonia tua de me multum queſtura, quod non digne tractauerim eam. Tu ueniam ſcies dare, qui putas, in latino non poſſe te aſſequi graecam elegantiam, quid mirum igitur, ſi ego in teutonico, (cuius artem et exercitium non habeo) latinum aequiparare non potui? ne graueris quaeſo adiunctas per famulum transmittere literas. Bene uale et filiae fatum, Deo iudici, committe. Ex Auguſta 9 Iunii 1530.

Ferunt Caeſaris capitaneum Andream de Doria inſignem obtinuiſſe uictoriam praelio nauali de albis (ut uocantur) aethiopibus, hoc eſt, de Aphris, captis aut ſubmerſis nauibus 72, rege cum duobus filiis capto; conſcribit et nunc milites, ſed neſcio contra quos.

IV.

S. Magn. D. Bilibalde. Iam diu exſpectauimus, quidnam uelitis a me fieri, quantum ad terminum citationis pertinet, qui iam inſtat intra triduum aut quatriduum. Iudex D. decanus iam abiit uerſus Eyſtet nudius tertius,

tius, et heri ſecutus eſt hinc Seb. Wintz. Vos nihil ad nos miſiſtis, neque copiam citationis, neque etiam copiam commiſſionis, quam Georgius noſter obtinuit. Scripſiſti quidem, te remittere, nos tamen non accepimus; acceſſi ergo decanum, qui mox intra horam abiturus erat, ut paret mihi copiam citationis expenſis meis. Dicebat, ſe reliquiſſe commiſſionem in Eyſtett, oſtendebat tamen notarium, qui citationem ſcripſerat ſigilliferum Auguſtenſem, is caſu habebat copiam commiſſionis a S. Wintz eo die ad ſe latam, ut aliam ei copiam inde reſcriberet; ad petitionem igitur meam nobis quoque copiam inde reſcribi fecit, neſciente Wintzio, ea enim nobis erat neceſſaria coram legato. Acceſſimus et dominum Iac. Henrichmann, uicarium in ſpiritualibus Auguſtenſem, qui fecit nobis ſupplicationem ad legatum, ſed cum ea non haberet ſtylum curiae, alia nobis facta eſt, quam pro temporis anguſtia neque reſcribere, neque ulli aduocato oſtendere poſſumus. Tibi ergo ut fideliſſimo aduocato eam transmittimus ſimul cum copia ſupplicationis noſtrae, atque etiam narrationis caſus, quam ego ex tua inſtructione excerpſi, ad informandum legatum. Sed in hac ſupplicatione ceu commiſſione uereor multa ineſſe, quae uobis diſplicebunt; non enim ſcio, an prioriſſa quoque debeat adiungi in commiſſione cauſae, nec ſatis ſcio, an iuſte poſſimus adeo ſuſpectum habere decanum Eyſtettenſem, ut ſonat iſta

copia.

copia. Mihi ergo pro ſimplicitate mea magis placeret prius conſilium tuum, ut, ſi non habueritis inhibitionem efficacem a iudicio camerae, noua impetretur commiſſio a legato ad decanum iudicem, ut ante omnia procedat ſecundum quatuor interrogatoria, quae in literis tuis habemus, aut ſi forte plura ex conſilio peritorum adiicienda ſint. Hoc minus uiolentum et minus inuidioſum foret, quam nouos quaerere iudices absque urgenti cauſa, ante omnem decani proceſſum. Legatus dicebat mihi, quod uellet cauſſam ad ſe auocare, ſed aliter ſcribitur in iſta copia. Ne igitur fruſtra faciamus impenſas, rogo, ut nos quam primum certiores reddas, quid a nobis fieri uelis, ſumus enim paratiſſimi omnes tres, d. Geuderi et ego currere et ſolicitare, ubicunque uidebitur neceſſarium. Quid ergo ſi permitteretis, decanum eſſe iudicem ad breue tempus, ut uideremus, quomodo ſe habiturus ſit? dixit mihi, uos eſſe citatos ad dicendum contra commiſſionem, et ſi excep eritis, ipſe declarabit ſe iudicem competentem; quod ſi appellaueritis, ipſe appellationi ueſtrae uelit deferre, ut ſic ab iſta cauſſa liberetur. Sic quidem dixit mihi in priuato, ſed ego cor eius non poſſum intueri, nec auctor eſſe uolo uobis, ut eum iudicem accipiatis, licet dixerit mihi, ſe Pr. de Redorf habiturum in aſſeſſorem. Rogo igitur, quam primum nobis reſcribas, quid agendum ſit, et an aliquis ueſtro nomine in Eyſtett nunc ſit compariturus 27 die Iunii, et quid a nobis fieri debeat. Tu-

um Gregorium prae diuerſis occupationibus nondum abſoluere potui. Ignoſce, precor, et uale, ac me dom. Io. Geuder commenda. Ex Auguſta 24 Iunii 1530. Opus eſt, ut copiam iſtam aduocationis ſeu nouae commiſſionis nobis remittas, et, ſi placeat nouos habere iudices, ut dicas nobis, quos petere debeamus; dabuntur enim nobis, quoscunque petierimus. Dixit frater legati, nec ſe, neque legatum commode iudicem fieri poſſe in ea cauſſa, quia non habeant tantum otii, nec ſit de more, ut legatus ipſe ſe iudicem conſtituat.

V.

S. Magn. dom. Bilibalde. Vix credas, quantum doleat mihi rem non procedere ex ſententia ueſtra. Nolo uobiscum contendere ſuper negligentia, potius uolo meam agnoſcere culpam, non ſane ex malitia aut negligentia, ſed ex imperitia mea et aliorum maleſida promiſſione. Certe ſciunt ambo Geuderi, nihil mihi antiquius et pretioſius eſſe, quam ueſtrae inſeruire cauſſae, ſi poſſem aut ſcirem; poſtpono certe omnia alia negotia, ſi quando in ueſtra ſolicitare debeo cauſſa, quamuis urgentia mihi prae manibus ſint negotia. Quod autem nihil effecimus adhuc, partim ex tardo Georgii aduentu (nam aliquot diebus ſerius, quam Caeſar, aduenit) partim ex tarda cancellariae Card. expeditione factum eſt; et, ſi patientes habetis aures, uos quoque potuiſſetis nobis in tempore ſcribere, an aliquem ad

Eyſtett

Eyſtett eſſetis miſſuri, quandoquidem nunquam fuiſtis certi, nos cauſſae aduocationem ad Card. habere in promptu, ſed ſolum in promiſſo. Qualis autem ſit ſupplicatio, uidiſtis, ſi modo legiſtis. Iam denuo, inſtante me apud Card. legatum et fratrem eius, dicunt, quod non poſſint aduocare cauſſam, niſi parati ſimus iurare, quod iudex nobis ſit ſuſpectus, et non ſperemus, ab eo iuſtitiae complementum conſequi; at neſcimus, quid hac in re uideatur uobis; nos certe non ſcimus tales cauſſas, ob quas ita iurandum ſit. Allegant nobis c. ſtatutum de reſcriptis, et aiunt, niſi in gratiam mei addixiſſent, ad nullius inſtantiam uellent aduocare cauſſam, quia ualde odioſa ſit eiusmodi aduocatio. Conſuluimus hoc ueſpere claros in urbe olim in eiusmodi rebus procuratores D. Steph. Roſinum et D. Io. Winckler, aiunt et illi multa, quae longum eſſet ſcribere; iam inſtant uacantiae, nempe a feſto Margaretae usque ad feſtum Barth. putat Roſinus, commiſſionem non poſſe bene et exacte poni, niſi ab eo, qui uideret acta Bambergenſia. Hoc maxime dolet mihi, quod nemo compareat hodie in termino, certe ſi ſciuiſſem, uos neminem miſſuros fuiſſe, propriis meis expenſis miſiſſem aliquem, ne uideremur contumaces. Et ubi manet inhibitio Camerae? nos certe nullum uidimus nuntium, et uos promittebatis nobis in tempore ſcribere, quod facere uelitis ſuper citatione; nos tamen nihil accepimus tale, licet maxime

deſideraſſemus, neque tamen incuſo ueſtram negligentiam, ſed potius meam ſimplicitatem et imperitiam agnoſco. Ne prolixior ſim, putat Sebaldus, quotidie nunc nos nuntium habere poſſe, ergo conſulendus nobis es abſens, quod tamen cito reſcribere potes; quaeſumus igitur, ut reſcribas, quid facere debeamus, ſi aduocari debeat, opus eſt iurare; ſi iurare nolumus, paratus eſt Cardinalis, dare nobis iudicem adiunctum, nos uelimus Pr. de Redorf; at decanus dixit mihi, eum fore aſſeſſorem. Iam ueſtrum eſt, utrum a nobis fieri uelitis, reſcribere; tertio plurimum dubito de prioriſſa, an illa debeat ſimul immiſceri negotio, cum non habeamus eius mandatum. Reſcribe igitur, obſecro, ipſi Cardinali de noua Commiſſione ſuper quatuor interrogatoriis tuis; at renuit, quod ſi adiunctum iudicem habere uultis Pr. de Rebdorf, ei priuatim iſta ſuggeremus. Bene uale et boni conſule, licet infirmus ſis corpore, neceſſitas me compellit ad te confugere, modo reſcribas. Ex Auguſta 27 Iunii 1530.

VI.

In epiſtola 29 p. 83 d. 17 Septemb. 1530 nonnihil hac de cauſſa legimus:

De cauſſa D. Io. Geuder cum moniali rogo, ne nimium differatis negotium. Iam appropinquat prima Octobr. iudex procedet mox prima die, quae iuridica fuerit, niſi igitur auocatio cauſſae prius fiat, procedet utique, et ſi nemo ex parte ueſtra reſponderit, feret ſen-

ſententiam in tergum ueſtrum, citans tantum in ualuis eccleſiae, Nolite, quaeſo, rem negligere, ſi reuer. P. Rebdorfenſis non noluerit eſſe iudex, opus eſt omnino, ut uel alia fiat commiſſio, uel procuratorem mittatis, qui ius ueſtrum coram hoc iudice defendat, neque tamen deſperandum eſſet, ſi corruptiſſimus, et iniquiſſimus (quod non puto) foret iudex iſte, quia ſalua uobis eſt appellatio pro tertia inſtantia, interim multa euenient, quae forte nemo putat.

II.

p. 87. IOANNIS FABRI, Auguſtani, memoriam laude haud uulgari recolit CORNEL. LOOS CALLIDIVS in illuſtrium ſcriptorum Catalogo. Erat, inquit, praeter eruditionem inſigni ornatus facundia et dicendo copioſus, uti eius precationes multarum uerborum elegantia ſcaturientes, quarum uſus paſſim frequens, teſtimonio eſſe queunt ac caetera ipſius in lucem edita. Sed non intelligo, quare eum anno demum 1550 claruiſſe ferat. Iam a. 1520 ſententiam in cauſſa Lutheri rogatus grauiter expoſuit omnemque impetum improbauit. uid. SECKENDORFF. c. l. ad a. 1521 L. I §. 88 lit. s et t. addit. I. Quid in comitiis Auguſtanis a. 1518 in religionis negotio tractatum fuerit, cel. V. E. LOESCHERI *vollſtändige Reformations-Acta tom. II* uberrime declarant. RICHARD. BARTHOLINVS, qui comitiis adfuit, in cel. SCHELHORN. amoen. eccl. et liter. t. II p. 657 hunc conuen-

Digitized by Google

tum concinne conſcripſit, ſed in religionis negotio irenicum ſe, nedum ſcepticum, exhibet. *Mira hominum inſania*, inquit, *atque furor potius, cum etiam illud noſtrae accedat dementiae, quod aliquando nullo fidei zelo, ſed uel odio uel inuidia ad ſcribendum impellimur atque ut aliquid egregium arduumque uideamur aggreſſi ſtatim in eccleſiam catholicam, in pontificem, in principes inuecti, tamquam mundi correptores, quem ne Chriſtus quidem ipſe corrigere examuſſim potuit, et ſimus et appellemur.* Quae de Hochſtratenianae factionis conatibus epiſtola haec memorat, ea tacentur.

Quas in defenſionem ſui commiſſarios Caeſareos literas dediſſe, ait Faber: eae ad manus noſtras peruenere; alterae ad generalem, alterae ad prouincialem ſcriptae, quibus et commiſſariorum nomina ſubnotata. En! documenta ipſa.

Ad generalem.

Reuerende Pater, ſincere nobis dilecte. Fuit aliquanto iam tempore inter fratres ueſtri ordinis obſeruantinos atque de congregatione Germanica controuerſia non modica in partibus Germaniae, quam glorioſae memoriae quondam ſacra Caeſarea Maieſtas plurimum acceperat cordi, ut quae neque honori ordinis ueſtri, neque tranquillitati fratrum conferre uideretur, ſicut Maieſtas ſua, dum uiueret, ipſi prouinciali in publico conſilio mentem ſuam aperte declarari fecit. Verum morte Caeſaris audita, dicti fratres de obſeruantia ſtatim aduerſus uoluntatem Caeſar. Mai. multa

atten-

attentarunt parum conſona uiris arctiorem uitae modum profeſſis, quippe quae uiſa ſunt longe a chriſtiana pietate charitateque eſſe aliena. Perſequuntur autem magna perſecutione honorabilem nobis dilectum Fratrem Ioann. Fabrum, uirum non modo nobis, uerum et Caeſ. Maieſtati, ciuibusque Auguſtanis ualde gratum et acceptum etimmerito quidem, cum is tot bona ordini ueſtro cum doctrina, tum eruditione ſua, quae ſunt illi ſingulares, comparauerit. Cuius ſane perquam egregia opera, qualis ſit auctor ipſe, ita demonſtrant, ut nullum ſit nobis dubium, quin ſi Reuerenda Paternitas ueſtra ita hominem agnoſceret, ut nos, non modo nihil contra eum attentaret, ſed et beneuolentia atque amore proſequeretur magno, et eo magis, quo nobis liquido conſtat, ipſum nihil unquam quicquam molitum eſſe, quod in minimo uitae reformatae inimicum eſſet, quum eam potius defenſauerit. Quod uero neque ipſe, neque ſacri Imperii urbes, in quibus congregationis monaſteria ſita ſunt, huic prouinciali ſiue prouinciae, ſubiici patientur, non ſit abs re. Adſunt enim complures cauſae, quas honeſtatis gratia in praeſentiarum praeterimus, nihilo tamen minus, ubi opus fuerit, de pleno aliquando depingentur. Fuit autem Caeſ. Maieſtati atque ſibi mens reformandi conuentus alia uia atque modus, huic ordini ueſtro in Germaniis longe conducibilior atque honorificentior, quam tumultuarius ille modus perſequendi. Et ideo quum Sacratiſſimi Rom. Regis et Hiſpaniarum

etc. ſimus in iis partibus Commiſſarii, non po
terimus unquam deeſſe officio operaque no
ſtra, quin ad ſententiam Caeſareae Maieſtat
fiat reformatio, pro qua fienda adhibebimu
omnem operam, ſicut certo ſcimus et ipſu
Regem huic ſancto et piiſſimo Caeſ. Maieſtat
inſtituto modis omnibus adfuturum. Admo
nentes et hortantes Reuerendam Paternitatem
ueſtram, ne interim quicquam in hac re attente
neque contra fratrem Ioannem praedictum, nequ
alios, priusquam fuerit de tota rei ſerie p
nos aut praefatum Regem Roman. et Hiſpa
niarum informata; ſcimus enim, quod is mo
dus reformandi conuentus praefatos, quem
ſacratiſſima Caeſarea Maieſtas excogitauit, no
modo illi non moleſtus erit, ſed longe omni
um acceptiſſimus, qui omnino in effectum
deducetur. Quod reuerendam Paternitatem ue
ſtram bono animo celandum non duximus. Qua
re bene ualeat. Ex Nordlinga XXVII Iulii 1519

Ad prouincialem

Reuerende pater, ſalutem et beneuolenti
am. Cum ſuperioribus annis magna inter fra
tres ordinis ueſtri congregationis theutonica
ex una atque uos obſeruantinos ex altera par
tibus fuerit controuerſia, resque iam ad aure
ſacrae quondam Caeſareae Maieſtatis glorioſa
memoriae eſſet deducta in nouiſſimo imperial
conuentu, quem Auguſtae celebrauit, tandem
Maieſtas ſua uobis in publico conſilio mentem
ſuam declarari fecit iuſſitque ſemel ac iterum
ut per totum Romanum imperium nullatenu

uos

uos deinceps intromitteretis, ſed potius de ſortis atque ditionis ueſtrae terminis contenti, rebus ueſtris intenderetis, quid itidem Maieſtas ſua curatura eſſet, ut omnibus illis conuentibus ac monaſteriis de congregatione bene eſſet prouiſum. Verum uos, ut a fide dignis accepimus uiris, poſthabita uoluntate praefatae Caeſ. Maieſtatis eiusque iuſſu, nedum multis in locis, ſed fere in omnibus, extortis nouis mandatis, noua attemptaſtis, quae etiam praeter ſcitum et uoluntatem magiſtratuum urbium aut oppidorum, in quibus coenobia eiusmodi ſita ſunt, item exequi conuocationes nouas et ad eas fratres dictae congregationis ſub magnis cenſuris ac poenis citari feciſtis. Et quo nihil eorum obmitteretur, quae per Caeſ. Maieſtatem uobis inhibita erant, uos prorſus in omnibus uoluntati ſuae contrarios exhibuiſtis, de quo ualde admirati ſumus. Non enim conueniebat uobis, qui ex eleemoſinis in ſacro Romano Imperio uiuitis, quique hactenus ſub tutela atque alis ſacri Rom. Imperii habitaſtis, uoluntatem ac expreſſum Maieſtatis Caeſ. mandatum, ſtatim audita eiusdem Maieſtatis morte, omnia aduerſa ſuae diſpoſitioni atque ſententiae moliri, facere et peragere, nullo prorſus habito ad eas reſpectu, quod profecto nobis admodum diſplicuit, praeſertim quia non multo poſtquam Maieſtas ſua ex hoc ſaeculo migrauit, ab aliquibus noſtrum benigne amiceque admoniti fueritis, ne quicquam committeretis aduerſus huiusmodi uolun-

luntatem et decretum Maieſtatis ſuae, quam-doquidem certo nobis conſtaret, tunc ſereniſſimum regem catholicum, nunc etiam Sacratiſſimum Romanorum regem perſequuturum, quae ex uoluntate piiſſimi Caeſaris coepta atque inchoata eſſent. Moti itaque hac rerum innouatione ſignificandum p. u. duximus, quod non deſiſtemus, donec congruis mediis in finem, iuxta Caeſaris mentem, fuerit deducta. Quapropter eandem nihilominus adhuc habentes admonitam, hortamur ex animo, ut pro honore ſuo atque totius ordinis, qui alias a paucis annis citra ob diuerſas cauſas, non plebis ſolum, ſed etiam optimatum graue contraxit odium, poſtpoſitis omni mora, tergiuerſatione et colore monaſteria atque conuentus ſeu fratrum ſeu ſororum, quae congregationis germanicae fuerunt ante Caeſaris obitum, ad priſtinum ſtatum atque formam reſtituere, fratres quoque, ſi qui apud uos ſunt, qui ex eorum conuentibus ſeu monaſteriis ad uos declinaſſent, reuerti ad ſuos facere atque iubere. Neque in poſterum uos de illis iisdem, neque aliis monaſteriis dicti ordinis et congregationis quomodolibet directe uel indirecte intromittere uelitis, quo tandem Caeſ. Maieſtatis uotis a uobis ſatisfiat. Ad quod fiendum ſciatis certo, nos omnino cooperaturos, ſi in hac temeritate ueſtra perſeueraueritis. Confidimus tamen, quod nunc habituri honeſtatis debitique ueſtri et ſimul rerum et temporis praeſentis ſtatus atque conditionis ratio-

ſionem meliora conſilia capietis; Ex Nördlinga XXVII Iulii MDXIX.

Matthaeus, Cardinal. Salzpurgens.
Bernardus, epiſcopus Tridentinus.
Maximilianus de Berga.
Cyprianus de Serentin.
Iacobus Villingerus.
Io. Renner.
Nicolaus Ziegler.

III.

p. 91. Quam familiariter Herm. Comite de Neuenar Bilibaldus uſus fuerit, ex operibus huius. p. 240 ſq. perſpicuum eſt. Iam in epiſtola apologet. eum in theologis primariis commemorauerat.

Freculphi, Lexouienſis epiſcopi, chronic. l. II. Geneu. 1597, 8. prodiere; exſtant etiam in bibliothecis patrum. Comitis Nuenarii annotationes aliquot herbarum in OTT. BRVNSFELS. herbarii tom. III exhibentur. conf. IO. FRID. CHRISTII obſeruatio de uita et ſcriptis Hermanni comitis a Nuenar, praepoſiti Colonienſis in noct. academ. ſpec. III p. 248. ſq. IAC. BVRCKHARDI collectanea de Hermann. Neuenario comite in analect. ad uitam propriam. Hal. 1749. 8. p. 16.

Quod Comes literas ſuas Bilibaldum Ratisponam mittere iubet, indicio eſt, hanc epiſtolam a. 1527 (quo Ratisponae comitia habita ſunt) uel ſequenti ſcriptam fuiſſe. Ex his quoque con-

coniicere licet , ea , quae de Landgra
ſciſcitatur , foedus a Packio , infauſto me
dacio fictum , reſpicere.

IIII.

p. 93. MICHAEL HVMELBERGIV
theologus cordatus , Beati Rhenani aequal
Ita enim in huius uita, rerum Germanic. lib
praemiſſa , egimus : *Inter condiſcipulos. Luteti
cum aetate parem , tum induſtria et doctri
aequalem habuit Michaelem Humelbergiun
quo plurimum in commentationibus ſtudiorum
eorum , quae audierant , uſus eſt.* Philippi M
lanchtonis amicitiam eum coluiſſe , e
ſchedula quadam apparet , qua Bilibaldo l
teras Philippo mittendas commendat. D
turbis Conſtantienſibus ep. II enarratis , ſile
SECKENDORFF. commentar. CASI
BRVSCH. in Catalogo epiſcop. Conſtan
f. 51 : anno domini 1527 (ait , Hugo , epi
copus) ſeceſſit cum uniuerſo ſuo clero prop
ter mutatam Conſtantiae religionem Vbe
lingam , ubi honorifice a Senatu populoqu
exceptus difficultate ſuorum temporu
territus, Epiſcopatum ſenatui canonicorum ann
Domini 1528 libere reſignat et ſibi quieter
quaerens una cum toto capitulo Baltaſare
ſucceſſorem ſibi conſtituit. Balthaſari , rebap
tizatorum anteſignano , cognomen erat Hub
meier , de quo uberius SCVLTET. in an
nal. Euangel. c. I. p. 77. In fragmentis noſtri
deprehenſi hi articuli diſputati in Nickelsbur

per

r Doctorem Balthaſarem, olim Vberlin-
nſem :

Euangelium non eſſe praedicandum publice et in ecclesiis, niſi in aures et domibus priuatis.

Chriſtum conceptum eſſe in peccato originali.

. Beatam uirginem non eſſe matrem Dei, ſed Chriſti tantum.

I. Chriſtum non eſſe Deum, ſed prophetam tantum, cui eloquia Dei ſint credita.

Chriſtum non ſatisfeciſſe pro peccatis totius mundi.

. Nullam poteſtatem aut magiſtratum debere eſſe circa Chriſtianos.

I. Extremus dies poſt duos annos uenturus eſt.

II. Quod angeli cum Chriſto incarnati ſint et carnem cum Chriſto ſuſceperint.

Incidimus etiam in libellum: *Vrſach, vvamb der vviderteuffer Patron und erſter anfänger octor Balthaſar Hubmair in Wien auff den tag Mart. a. 1528 verbrannt ſeye. Gedruckt Dresden durch Wolfgang Stoeckel* 1528. 4. . Faber, Vienn. has paginas Georgio, Duci xon. inſcripſit, ex quibus apparet, Balthaem Friburgi, Ingolſtadii et Ratisponae rem tram, ad eccleſiae praeſcripta, feciſſe; inde alzhutae receptum aliquanto poſt ritus anuos immutaſſe, ſuperioribus obſequium negaſſe, ruſticorum in ſacra et profana debac-

Digitized by Google

bacchantium ducem ſe exhibuiſſe. Walzhu capta, Turegum fugit; ſed Zuuinglius eu carceri ac quaeſtioni grauiori tradendum c rauit, nec prius is, quam anabaptiſtaru errores ſacramento deteſtatus eſſet, dimiſſ fuit. Mox Nicolſpurgo, ubi uirus iteru diſſeminarat, Vindobonam deductus, a Fabro, Rectore D. Ambroſ. Salzero et Marc. Bock de Leopoldsdorff, Vicedomi praeſentibus, examinatus ac denique, cu ſceleris non poeniteret, ad flammas rapt fuit. In conſpectu hiſtor. uniuerſitat. Vi nenſ. ad a. 1528 p. 136 ſupplicii ipſius lati enarratio exhibetur. Die XIII Mart. Ba thaſaris uxor ſubmergitur. d. XXIIII h. aſſeclae duo, alter ſutor, alter ruſticus ro imponuntur.

V.

P. 100. GABRIELIS HVMELBERGI Rauenſpurgenſis, artium et medicinaru Doctoris, Michaelis fratris, nomen inter m dicos non obſcurum. Epiſtolarum reliquaru uel de morborum remediis, uel de re fam liari differentium, particulas quaſdam dabim A. 1527 VI Id. Sept. Rauenſpurgo, ubi tu cum pientiſſimo parente ſuo uitam eg (Veltkirchii enim medicam artem exercu Bilibaldum de Michaelis, fratris, extrem fato certiorem fecit, addiditque: *Scias it que liquorem illum* (quem Michael aduerſus p dagram praebuerat) *non eſſe* ναρκοτικον *med camen, neque ex ulla eiuſmodi re confectu*

quae

*uae locis affectis ſtuporem inducat et ſenſum adi-
uat, ſed ſimplex eſt liquor, per memet ipſum
: arido quodam ligno ui ignis expreſſus et ex-
datus, quo tuto et ſecure uti poteris etc. Tuos
nnes ac affinem meum D. Hieronymum Holz-
huerum cum ſuis nomine meo ſaluta.*

Kal. Ianuar. 1528 dehortatur Bilibaldum
controuerſiis theologicis. Laudat epiſtolam
us ad Eleutherium et Theophraſti charac-
res, latinitate recens donatos. Narrat de-
que, edictum exiiſſe a principe ſuo F. i. e.
erdinando, Rege. uid. SECKEND. c. l. l. 2. §.
n. 1) *ne quis recentiorum, hoc eſt, Zvvinglii, Oe-
lampadii et eiusdem farinae aliorum, imo et Lu-
eri Lutheranorumque ſcriptis adhaereat, libros eo-
m ne emat, aut emtos domi ne ſeruet, ſed
tra duorum menſium ſpatium magiſtratui prae-
ntet, cui edicto, qui contraierit, is aut pecu-
a multabitur aut honore omni deſtituetur aut
orte ipſa punietur, unicuique iuxta delicti
agnitudinem ſtatuta poena.*

In epiſtola noſtra 1 paginam aliquam b.
phremi ſe mittere ait, quam et repertam
roferemus.

Beatus Ephrem, Ediſſenae eccleſiae diaco-
nus, in Sermone XV, qui eſt ad eos,
qui filii naturam ſcrutari uolunt, poſt alia
haec ſcribit, Amb. Camaldulenſi inter-
prete:

En! paratam ac tutam per diuinas literas
bemus uiam, uenite, fideliter incedamus
r eam. Nam ſine fide ſcire nemo poteſt
omnia, quae de domino meo et redemp-
tore

tore mundi ſcripta ſunt. Sed tu, ſi me audir
uolueris, crede, neque iſta curioſe ſcrute
ris. Audiſti, dilectiſſime, quod Deus pate
miſit unigenitum filium ſuum ad ſaluten
tuam, indubitata fide crede. Verus enim eſ
ſanctus Deus. Audiſti rurſus, quod unige
nitus ipſe carnem aſſumpſit ex ſanctae uirgini
utero, conceptusque ex ipſa et Spiritu ſanct
natus eſt. Certiſſimum id habeas in cord
tuo, nihilque omnino ex his, quae quotidi
ſancta de illo Euangelia loquuntur, ambigas
ſed omnia pleniſſima fide ſuſcipias, aſpicien
jugiter opera ipſa puris oculis fidei. Intuer
dominum oculis cordis, eumque tota fid
complectens quocunque perrexerit, ſequere
et loca ſingula cum eo perluſtra magno cor
dis affectu. Gaudeat anima tua cernens do
minum per gratiam ſuam, curantem morbo
omnes, pellentem daemones uerbo ac poteſtat
diuina. Ad nuptias quoque Chana cum e
indiuiduus comes ingredere, bibe de uin
benedictionis eius. Imo uero contemplare de
corem ac ſpeciem domini, et nuſquam a ſpe
culatione ſancti uultus atque ab eius ſua
uiſſimo aſpectu aciem flectas. Praecede illu
rurſus in deſertum locum, intuere magnal
illius, dum panes in ſanctis manibus creſcu
ad paſcendam numeroſiſſimam turbam. Perg
frater, perge ex affectu animi, ſequere Chr
ſtum, quocunque perrexerit. Si ſic illum ſ
quaris atque comiteris greſſibus amoris
fidei, non accedet ad te malum, neq
appropin-

appropinquabit iuxta te malignus. Sequere illum et ad nouiſſimam coenam, in qua et diſcipulis ſuis tradidit ſancta myſteria, ſapienterque conſidera, quomodo lauet diſcipulorum pedes, atque intra temetipſum alta purae fidei conſideratione permotus, atque cum timore admirans dic: Deus omnium conditor, qui finxit ex puluere hominem per gratiam ſuam, ipſe figmenti ſui abluit pedes. Iſta tecum cogitans, frater, glorifica et adora ipſius infinitam bonitatem. Inſpice item diligenter quomodo ſumens in manibus panem benedicit ac frangit in figuram immaculati corporis ſui, calicemque in figuram precioſi ſanguinis ſui benedicit, et tribuit diſcipulis ſuis. Et eſto tu quoque particeps ſacramentorum eius, atque inde diſcedens ingredere iniqui Caiphae atrium cum domino tuo. Perſiſte conſtanter, ut uideas contumelias, quas pro te paſſus eſt, inueniariſque perfectus amator domini tui. Sequere illum et ad crucis locum, aſſiſte tanquam ſeruus domino tuo. Inſpice, quomodo ex latere ipſius ſanguis manauit et aqua in redemptionem animae tuae, frater, ac diligenter attende, ubinam illum de cruce depoſitum condant. Mane primo cum mulieribus ad eius tumulum perge, reſpice reuolutum ab eo lapidem, uide et aſſiſtentes illic angelos. Auſculta, quid angeli mulieribus dicunt: Surrexit dominus, ſicut dixit uobis. Haec omnia prudenter, perfecte, fideliter, indubitanterque conſidera, cunctaque uera eſſe, quae

 ge-

geſta referuntur, conſtantiſſime crede. Nam niſi fidei oculis haec omnia clare conſpicias, non uales a terrae in coelum eleuari, Chriſtique paſſiones ſpiritaliter cernere. Nam fidei oculus cum in corde cuiuspiam patenter ac liquidae lucis inſtar effulſerit, dei quoque agnum ſinçere intuetur, qui pro nobis occiſus eſt et donauit nobis corpus ſuum ſanctum et immaculatum, ut eo perpetuo ueſcamur, ſitque nobis ipſius participatio in remiſſionem peccatorum. Si quis hunc fidei oculum poſſidet, patenter et lucide conſpicit dominum, atque certa et pleniſſima fide agni immaculati unigeniti filii coeleſtis patris corpus manducat et ſanguinem bibit, nequaquam diuinam ſanctamque fidem curioſe perſcrutans; fides enim dei eſt, quae operatur in nobis, et futura proſpectat, fidesque appellatur ſemper, non curioſitas. Credis, dilectiſſime, unigenito filioChriſto Ieſu, qui pro te ſuper terram ſit natus in carne. Quid ergo ſcrutaris inſcrutabilia? Si iſta curioſe rimaris, non iam fidelis uocaberis, ſed curioſus. Eſto fidelis atque innocens, participa immaculato corpore domini tui fide pleniſſima, certus, quod agnum integre comedis. Ignis immortalis ſunt myſteria Chriſti, noli ea temere ſcrutari, ne in ipſorum participatione comburaris. Abraham patriarcha coeleſtibus angelis terrenos appoſuit cibos, illique comederunt. Grande profecto miraculum aſpicere, incorporeos ſpiritus in terra carneos cibos edentes. Sed hoc ſane excedit omnem

mnem admirationem, omnem mentem, omnemque ſermonem, quod fecit nobis unigenitus filius, Chriſtus Saluator noſter. Ignem ac ſpiritum manducandum ac bibendum praeſtitit nobis carne ueſtitis, corpus ſcilicet ac ſanguinem ſuum. Et quidem, fratres, cum Chriſti ſacramenta non capiam, ulterius progredi non audeo, neque arcana illa ſacratiſſimaque myſteria rurſus attingere, neque ſi uoluero de his procaciter loqui. Dei ſacramenta comprehendere poſſum, ſed ero temerarius, imprudens, et cum aere irritis conatibus luctans, aerem quippe ob tenuitatem ſuam penitus tenere non poſſum. Illa nempe ſancta reuerenda myſteria ingenii mei uires excedunt: potius ergo glorifica Deum et patrem, qui per unigenitum ac dilectum filium ſuum me peccatorem indignum corde ſimplici in ſe credentem ſaluare dignatus eſt, fugiens huiusmodi curioſitates illicitas, omnemque praeſumtionem diſplicentem Deo. Mortalis ego ſum terrenus ex terra, effictus per gratiam ex humi natura. Agnoſco humilitatem conditionis meae, creatoremque meum ſcrutari nolo; terribilis enim, naturaque incomprehenſibilis. Benedico et adoro ipſius excellentiſſimam poteſtatem in ſaecula ſaeculorum. Amen.

Τέλος τοῦ λόγου τούτου.

D. XV April. 1528 de iuuene quodam Hieronymo im Graben, Veltkirchenſi, ſororio ſuo, qui, inſciis inconſultisque parentibus ac cognatis, Noribergae

puellam quamdam uxorem duxiſſe fertur, certior fieri auet.

Sicut Humelbergius noſter aliis libris medicis excudendis operam dedit, lexicis literatorum docentibus: ita Apuleii (quem in epiſtol. I et II deſiderat) tr. de medicaminibus herbarum, Tigur. 1537 cum comment. edidit.

D. XXIII Decembr. a. 1528 gratias Bilibaldo agit, quod, quid acorum ſit, ſe certo certius edocuerit. Quid de aliis ſentiat, (quae quidem Humelberg. ſibi ignorare non uidetur) praeſertim de ſtorace liquida, aſſa dulci, iuncis odoratis, Rha pontico, Fauſel, bolo armeno, milto, eupatorio, ſaccharo, petroſelino, angelica, nuce muſcata et piſo, itidem noſſe cupit. Pergit: *fratris mei monumenta olim reuoluens ſtatuebam tum ſuas, tum ad hunc aliorum clarorum uirorum conſcriptas epiſtolas in lucem edere: non tamen omnes, ſed eas tantum, quae elegantiae quid et eruditionis aut hiſtoriae pietatisue continerent; quare quae tales magis uiſae ſunt, collegi et in unum uolumen tranſcripſi, eo, quo ipſe prius duobus quaternionibus perfectis coeperat, modo, multas uero cum ſuarum, tum aliorum tranſcribendo praeterii, propter temporum noſtrorum mores peruerſos etc.*

Prid. Id. April. 1529 grato animo accipit Gregor. Nazianzeni orationem de officio epiſcopi. „Scripſi nuper (adnectit) Peutingero, „ut praeſtet aliquando ea, quae tot iam annis „promiſit, ſcil. Apuleium et Itinerarium mi„litare Romanorum, in quo tranſcribendo

„maxi-

„ maximos habuit labores frater meus. Sed „ nihil ab eo adhuc ſpero, tanta enim nego„ tiorum turba ſemper obruitur, ut his rebus „ incumbere non ualeat.

In annulo Humelbergii gradientem lupum mihi conſpicere uideor.

VI.

p. 110. GREGORII HALOANDRI nomen et merita illuſtriora ſunt, quam ut hic ea explicari oporteat. Bilibaldus noſter princeps fortaſſe inſtituti Haloandri adiutor erat. Certe *Io. Bapt. Egnatius* ad Pirkheimer. (oper. p. 209) ſcribit: *De Haloandro feciſti, quod te, quod patria hac tua praeſtantiſſima dignum maxime erat. Nec dubito, quin ad egregias tuas et Norimbergae laudes huius etiam tam praeclari facinoris acceſſio ſit futura non contemnenda.* uid. Cl. GEORG. LAVR. HAVSFRIZ, memoria Greg. Haloandri, ICti et inſtauratoris iurisprudentiae, commentatione hiſtorica renouata Norib. 1736. 8.

VII.

p. 111. HVBERTVS LEODIVS, princ. Palat. a literis hanc epiſtolam a. 1522 aut 1523 aut 1524 ſcripſiſſe uidetur. Comitiis a. 1524 Norib g. habitis adfuit Fridericus, Comes Palat. ad Rhen. Hubertus in hiſtoricorum politicorum numero memorandus. Ad hanc aetatis periodum pertinet eius hiſtoria belli ruſticani et Franc. a SICKINGEN in MARQV. FREHER, ſcript. rer. Germ. t. III p. 283 ſq.

VIII.

p. 112. HENRICI GLAREANI epiſtola nonnihil illuſtrat eas, quas (male quidem lectas) tradunt opera Pirkh. p. 314 ſq.

IX.

p. 113. HEL. EOB. HESSI epiſtolae cum uita ipſius cura IOACH. CAMERAR. Noriberg. 1553, 8 prodiere; epiſtolar lib. II Lipſ. 1557 et lib. III ib. 1561. 8.

Iam 1543 epiſtolae famil. l. XII Marpurgi. f. et 1590. 4 editae, uid. CHPH. FRID. AYRMANNI progr. de Hel. Eobani ortu et nomine Gieſſ. 1739. 4 diſſertatio altera de Hel. Eobani Heſſi nomine et coniugio. Gieſſ. 1740.

Praeter binas has Eobani epiſtolas duo epiſtolia reperimus.

S. Impudentem dixeris ac fortaſſe rectius, quam officioſum, qui toties pulcherrimis ſtudiis inſiſtenti tibi obſtrepam, et quidem nugis prorſus inaniter nugacibus. Sed dicas licet, optime Bilibalde, dum ego quantumuis moleſtus amiculus ab officio meo non diſcedam, et hunc animum unice tibi deditum uel ingratis operis oſtendam, ideoque breuior ad te ſcribens et in poſterum ero, quod excellentem eruditionem tuam admirari magis tacitus poſſum, quam ulla ex parte imitari, nedum aſſequi. Hoc rogo, ut quidquid eſt, quod ad te nunc mitto, libelli, boni conſulas, meque inter tuos uel poſtremo loco eſſe patiare. Vale XIII Kal. Octob. MDXXVI.

Si

Si uacare aliquando poſſes legendis, imo tantum inſpiciendis ineptiis, clariſſ. Bilibalde, gratiſſimam mihi rem faceres, ſi ειδύλλια mea, quae edere conſtituo, inſpicere dignarere.

II.

S. Multi ſaepe ad me ſcribentes ſalutem adſcribunt tibi, Bilibalde clariſſ. quod ipſum ſemper obnuntiare tibi non uacat, et ſum natura meticuloſior, quam qui ſuper quauis re leuicula talem te uirum adire audeam. Nunc uero ſalutant te Tenſteterus, * cui tu ſuperiori aeſtate Hunum noſtrum commendaſti per litteras et Braſſicanus, ** cuius, ut uides, τὴν ποδάγραν καὶ ὠκόποδα, ad te mitto, poſtremunque ut habeas, opto, primum ad Garamantes releges. Scire uero peruelim, qui tibi hoc tralationum genus placeat, in quo ſic fere uerbum uerbo redditur, ut ipſa res neque ſuam natiuam retineat gratiam, nec eius, in quam migrat, linguae acquirat. Mallem ego uerſu nobis reddidiſſet hoc ludicrum doctiſſimus iuuenis, meique amantiſſimus, et potuiſſet haud dubie, ſi indulgere in-

---

*_Georg. Tanſtetter_, Collimitius dictus, acad. Vindob. Aſtronomiae profeſſor, inſignis mathematicus et medicus, renaſcentium literarum adiutor. uid. epiſt. obſcur. uiror. t. I p. 192

** _Io. Alex. Braſſicanus_, ICtus, graece latineque doctus ſummusque philoſophus, de acad. Vienn. bene meritus.

ingenio ſuo quam timidus eſſe, maluiſſet citra negotium. Te rogo, humaniſſ. Pyrcamere, ut, ſi quando ſcribendi Viennam occaſionem fueris nactus, mihi quoque ſignifices, cui multa eo ſcribenda, nec tantum Braſſicano, ſunt. Vale ex aedibus conductitiis noſtris VIII Idus Maii MDXXVII.

Interiectum eſt ſilentium, de quo Eobanus in epiſtola II p. 115 minus modeſte conqueritur, ſed expoſtulando eo Bilibaldum impulit, ut homini ingrato ſilentii rationem exponeret (uid. Opera Pirkh. p. 404) Ex his plana ſunt, quae *Ioach. Camerar.* in narratione de Eobano Heſſo tradit: *Bilibaldo Pircamero ualetudo obſtabat, quo minus crebro ad ſe accerſeret et inuitaret Eobanum.* In Eobani annuli ſcuto perſpicue exprimitur color per ramum lauri aſcendens et attingens capite nubes.

X.

p. 116. IO. HESSVS, Noribergenſis, epiſtolam I exarauit Ducis Oelſnenſ. principis iuuentutis ſtudiorum moderator; alteram in Italia doctoris theologiae gradum petiturus. A. 1522 ciuitatem patriam uiſit, eaque tempeſtate Bilibaldo haec paucula ſcripſiſſe uidetur:

S. P. Volui, quam primum Norimbergam ueniſſem, neglectis reliquis amicis, noſtrum Wilibaldum conuenire. Id enim ſuo iure a me exegerunt Bapt. Egnatius, Crotus integerr. theologus, Oecolampadius et candidiſſimi fratres D. Adelmanni. Sed, audi, quid accidit; pes ſiniſter leuiter ſaucius in itinere creuit nunc in tumorem, et uſui uix

aptus

aptus. Timeo, ſi me Lucianus uideret, ut Vulcanum alterum derideret. Tu interim uale, et cum liberatus ero, ad te illico confugiam, tanquam ad ſtatuam ſeruatoris Aeſculapii.

A. 1524 theſes aliquas contra pontificios, quas Cel. KAPP. *in der kleinen Nachleſe nüzlicher Reformat. Vrkunden* p. II p. 606 exhibet, fortiter Wratislauiae diſputauit. A. 1529 Gregorii Nazianzeni codicem ſe adeptum eſſe laetus nuntiat Bilibaldo:

S. Indicem theſauri uerius, quam libri ideo ad te, optime patrone, miſi, ut mecum gauderes gratiasque ageres Deo noſtro, quod haec dona ex media Graecia nobis largitus eſt, et Nazianzenum uetuſtiſſimum ſeruauit utcunque, et noſtris oculis licet non omni ex parte integrum (deſunt enim aliquae membranae.) Solet Metzlerus noſter iurisconſultus ſaepe admirari uel hoc in opere ſanctam Graecorum ueterum diligentiam, nec Moibanus, theologus, ceſſat exoſculari ſacroſanctas religas et uere reliquias. Eſt enim uterque graece doctus. Nunc ad tuum deſiderium admodum ardens magnum hoc uolumen uel hodie mecum eſt (eſt enim uel praecipuum ornamentum ornatiſſimae meae bibliothecae) ſed dices: quae ſpes mihi? et ego expecto. Audi, quid eſt, quod te expectantem tenet; fidelem non habeo negotiatorem (*deſignat modum, quo liber tuto perferri poſſit*). Quae ſcribis de Eraſmo, non ſine maximo animi et dolore et moerore legi. Patior et ego multa ab Oecolampadianis. Dominus

Digitized by Google

nus ipſe ſit protector ſui uerbi. Orationem de epiſcopi officio accepi, alias nihil, gratias ago tibi mox. Patere hunc meum affectum patienter, quem gero erga Nazianzenum, qui me tam fortiter tenet, nec ſinit animum meum auelli. Sunt, qui iurarent uiſo uolumine, uel ipſa aetate auctoris librum ſcriptum. Interim, quo tecum erit Nazianzenus, ſemper mecum erit Pirckheimerus. Sed ſatis; uellem ut iam in propinquo mihi eſſes, quo meis brachiis ad te deferrem gratum hoſpitem, theſaurum meum, quia ubi cor, ibi theſaurus. Vale amicorum omnium, fideliſſ. et chariſſ. patrone.

Datae Wratisl. die diui Ambr. epiſc. anno XXVIIII

Bilibaldo, grati animi ſignificatione Nazianzenum accipienti, ita reſcripſit Heſſus;

S. P. Nihil gratius legere potui, clariſſ. Dom. Bilibalde, quam quod te Nazienzenus uoluptate et quidem magna affecerit; ſit hoc in publicam utilitatem rei Chriſtianae. Deſine eſſe ſolicitus de Oecolampadianis libellis, animum abdicaui ab huiusmodi cauillationibus; nam bibliothecam meam poſthac adornare placet melioribus ſcriptis. Pelargi libellum bis a te accepi, ago gratias pro liberali liberalitate. Vnum te rogo, optime patrone, iube ut unus ex fidelibus tuis familiaribus colligat libellos noſtri et perpetuo noſtri, Alberti Dureri, qui poſſint in bibliothecam reponi etc. Quod res ſit apud

Sui

Suitenſes ſedata, uehementer gaudeo; de diſcordia hic multa dixerunt noſtri negotiatores, de concordia tu primus, qui hoc gratum afſtuliſti nuntium nobis. Tabulam Sarmatiae ſecundam tibi mitto, nam hanc unicam ad manum nunc habui, pro prima ſcripſi Cracouienſibus amicis, habebis et illam. (*Quod Ptolemaeum nondum uiderit, fert grauiter*). Datae Vuratisl. die Margarethae 13 Iulii a 1529.

Plures extant ſchedulae, ſed argumenti fugitiui aut minus ponderoſi. Die 22 Decemb. a. 29 imagines charorum amicorum et librum Dureri ſe accepiſſe ſcribit, et *dum haec ſcribo*, ait, *naſcitur mihi filius; benedictus ſit pater miſericordiarum*; alia chartula teſte, Luciani paraſitum mittit; alia data XIII Octobr. anno XXX haec habet: *nunc nacta opportunitate, rupto ſilentio, cogor eſſe ſolicitus pro meo Nazianzeno, quem in dies expecto, non ſolum graece, ſed et latine loquentem. Hanc enim ſpem meam nuper auxit epiſtola Vdalrici Zaſii, doctiſſimi uiri, ad tuam Magn. ſcripta, in qua gratias agit pro translatione Nazianzeni. Noui nobiscum nihil, niſi quod incurſiones Turcarum timemus, qui in terminis Morauiae hisce diebus magnam chriſtianis intulerunt calamitatem etc.*

In alia Schedula haec legimus:

In bibliotheca Bambergenſi ſunt:

Nazianzeni, interprete Ruffino,

1 Apologeticus, uerum de ſe teſtimonium.

2 De Natali Domini.
3 De Epiphania.
4 De penit, ſiue de SS.
5 In ſemet ipſo de agro regreſſus
6 De Hieremia, praeſente Imperatore, apud quem intercedit pro quodam periclitante.
7 De reconciliatione et unitate Monachorum.
8 De grandinis uaſtatione etc.
Dialogus Baſilii et Ioann lib. 6.

Haec bis habentur in duobus uoluminibus.
Sermo Gregorii Epiſcopi Nyſae.
In ea, quae relicta ſunt, in Hexaemero a B. Baſilio ſuo fratre.
In paruo libello, non longe ab oſtio, Fulgentius de fide ad Donatum.
Hoc dicendum D. Cocleo; ita enim rogauit; mecum fuerunt D. Io. Mylius, officialis et concionator etc.

XI.

p. 119 CONRADI PEVTINGERI hiſtoriam uitae et meritorum expoſuit IO. GE. LOTTER Lipſ. 1729. 4. Peutingerus, ſaeculi ſui ornamentum, ut rem literariam eruditione ſua multum illuſtrauit: ita et conſiliis ſuis rei ſacrae ac publicae inſigniter profuit.

Conradus Foſſor, uulgo *Reutter*, abbas Caeſarienſis, teſte BRVSCH. in monaſter. German. chronolog. p. 87, egregie doctus erat, theologus, et philoſophus inſignis, praeclarus muſicus, legum

legum cum pontificiarum, tum ciuilium eximie gnarus, poeta uero talis, qualem non inuenias unum iam in omnibus totius Germaniae monaſteriis. Exſtant eius poemata Mortilogi titulo Auguſtae Vindelic. impreſſa a. 1508.

XII.

p. 121. THEOBALDVS BILLICANVS primus fuit euangelii praeco Wilenſium; poſtea in caſtra Zuuinglii tranſiit. Vid. SCVLTETI annal. c. l. p. 50 et 134. Auitum nomen ipſi erat *Gerlacher*; agnomen Billicani ab opido quodam palatino aſſumſit. Quibus conditionibus Nordlingae rem ſacram adminiſtrauerit, perſpicuum eſt ex codicillis a *Dolpio im gründlichen Bericht von der Reformation in der Stadt Nördlingen* in append. n. 29. ad an. 1522 allatis, qui p. 43 et 57 plura ad uitae illius rationes illuſtrandas attulit, nec noſtra epiſtola fluctuantem illius de ſacra coena ſententiam celat. Largiorem notitiam ſuppeditat VRBAN. GOTTL. HAVSDORFF. in *der Lebens-Beſchreibung* LAZ. SPENGLERS c. 12.

XIII

p. 124 THOMAM VENATORIVM ſingulari familiaritate dignum iudicauit Bilibaldus. Exquiſitam eius doctrinam libelli uarii declarant, reique diuinioris ſcientiae non uulgaris documenta exſtant. A. 1524 Noriberg. prodiit: *Ein rhatſchlag aus heiliger göttlicher Schrifft, vvie und vves man ſich in dieſen fährlichen*

Zei-

Digitized by Google

Zeiten, in denen ſich mangerley Zvvietracht den göttlichen Worts halben, erhaben und zutragen, ſoll haltenn vnd tröſtenn, Einem Erbern vveyſen Rhat in Normberg durch ire prediger, Dominicum Sleupner bey Sannt Sebald, Andream Oſiander bey Sant Laurenzen, Thoman Venatorium bey dem nevven Spital, beſchriebenn und vberantvvurt. Recuſum hoc opuſculum *in der nüzlichen Sammlung auserleſener Documenten, Vrkunden und Nachrichten zvr der Reformations-hiſtorie.* Noriberg. 1755. 4. Latius de eo diſſerit cel. DOPPELMEIER c. l. p. 31; epiſtolas quasdam conſeruant opera Pirckheimeri p. 244, 331 ſq. Luciani rhetorem, quem noſtra innuit epiſtola ideo Thomae ſuo legendum tradidit, ut calami errores priusquam libellus formis mandaretur, annotaret; annotauit iſte, hac praemiſſa epiſtola:

S. P. D. Hi maximam olim apud Romanos gloriam aſſequebantur, doctiſſime patrone, quibus rem publicam augere, ciues ſuos ſublimare ac hoſtes fortiter pugnando propellere contigiſſet. Nec mirum; his enim imperatoribus pax et ſecuritas temporum, et (ut aiunt) aureum illud et Saturnium aeuum redibat. Mihi igitur cum pridem hoc animo, ut fieri ſolet, uoluerem, qui te in hac felicitate antecelleret, occurebat nemo. Nam et rem publicam auctam uides, imperium ciuitatis tuae pacatum, ita, ut et hoſtibus ipſis uallum eſſe uideatur inexpugnabile. Adeo tibi cum antiqui ſaeculi proceribus congruunt omnia. Quin etiam hoc antiquorum ſplendori

dori addis, quod doctus es, et in omnes ſtudioſus omnium longe officioſiſſimus, quod uel hocce argumento facile cognitu erit, quia nihil in graecis auctoribus traducendis praetermittis, quo nos meliores efficere poſſis et ualeas, quo nobis utilia non corporis huius, quae fluxa et caduca, et ad inſtar nebulae euanida, ſed animae (diuinae mentis ſcintillam puto) longe praeſtantiora, ſapientiam et fortitudinem, quae ſpiritus ſancti munera in arcanis literis praedicantur, ſincere ſubminiſtras. Honeſtum plane ſtudium et per omnia laudabile, quod pietatem, religionem ceterasque uirtutes locupletat, auget, ſeruat. Hinc tibi gratias omnes ſtudioſi habemus, quod Luciani rhetorem, poſt uarios labores, in lucem prodire iuſſeris, quod quidem facile tibi factu erat, imo etiam facillimum, nobis uero adeo neceſſarium, ut niſi tuis ſcriptis inſtituti haud ipſi nos beatiores reddere poſſimus Vale, et diſcipulum tuum ama. Ex Komb. XV Calendas Februarias An. Dn. MDXIX.

Superſunt epiſtolia alia, quae tamen hic exſcribere omittimus. Bilibaldi ceu medici opem implorat, haemorrhagia narium ualde debilitatus; *horreſcit*, inquit, *ſtomachus ad omnia recepta illa φαρμακοπωλων, nec unquam ſine periculo ſocietatem cum eisdem inire potui, unde ſi aliud ſiue per herbas ſimplices, ſiue aliud quodſui remedium in manu habes, illud ad mei quoque notitiam uenire patiaris.*

In alia ſchedula: *non ideo*, ait, *certum te reddidi, quaſi ſiniſtrae aliquid de te ſuſpicionis*

con-

concepiſſem (quippe qui ſemper dextre uerſati ſis in rebus publicis), ſed ut cautior contra ire. ſi quando neceſſitas ingruerit tuis amice blan dientibus inimicis, qui non ob aliud infenſi ſunt tibi quam quod eos uincis et diuitiis et conſiliis; una iure Chriſtianismi tuam non ſecus ac meam fortu nam hac in re admonere ſtudui.

En! chartulam cum epiſt. IV *Kiliani Leil* et ipſius *Reuchlini* in op. Pirkheim. p. 362 con gruentem:

S. P. D. Duo tuorum ciuium, diuo Leon hardo uotiui, meas aedes uiſita bant antiqua conſuetudine mihi iuncti, qui cum ſediſſent ac paulliſper contraxiſſent confabula tiones, ut fieri ſolet, ſuperuenit illuminatiſſi mus Capnion noſter, hoſpes in aedibus mei omnium longe gratiſſimus, quod ne te late ret, ciues tuos uacuos te adire ſuſtinere mini me paſſus ſum. Mirum quantum te amat de quo alio rempore plura. Nam tibi iam coram etiam ſcribit cum Priore in Rebdorf. Ex Ey ſtett 3 Calend. Iunii.

* *

Salus tibi et pax per Chriſtum. Acceſſ mox, ut abiens a te receperam, Eobanum Heſſum, ſuper epitaphia Alberti noſtri in terrogaturus, ſed ipſe hodie ultimum exem plar a Friderico Peypus habuit, cui etiam po ſtremam adhibuit limam, ideoque adhuc ho die exibit, ut iam nihil adiici poſſit. Aieba praeterea, in breui de eodem Alberto ſcriptu rum ſe ſe animum adieciſſe, maxime autem

pla-

placere ei animi tui candorem, qui iam defuncti amici laudes celebrare ſtatuiſſes, uelleque ut deinceps omnes, qui in literis aliquid audent, quippiam ex ingenio ſuo adderent, ut ſimul nomine ſtudioſorum omnium exirent plura epitaphia, qua in re ego me comitem futurum ſpopondi. Tu excitabis interea Vincentium et Georgium et recte ualebis.

XIV.

p. 128. WOLFGANGI FABRITII CAPITONIS merita in rem ſacram et literariam notiſſima. Iam a. 1518 ab Eraſmo excitatus hebraicarum inſtitutionum libros duos edidit, ac theologiae et medicinae doctoris dignitate floruit. Vide *von der* HARDT hiſtor. liter. reform. P. I p. 30. SCVLTETI annal. ibid. P. V. p. 22. De Tregarii turbis ep. II plenius diſſerit, quam reliqui hiſtorici, e. c. SCVLTET. in annal. c. l. p. 65 SALIG *vollſtändige Hiſtorie der Augſpurg. Confeſſion* P. I, p. 84. SECKENDORF. c. l. I, CLXXIII, add. II. In cel. KAPPII *kleinen Nachleſe der Reformat. Geſchichte* P. II p. 451 paradoxa Tregarii exhibentur.

FRANC. GVILLIMANN. in comment. de epiſc. Argentinenſ. in Guilielmo III p. 439 ſq. hisce de rebus ita: Secuta ſunt deinceps tempora, ait, quibus pauci ab initio per ambitionem et inſanam nouandi lubidinem inaudita aut multis ante ſaeculis condemnata de religione dogmata in publicum proferre auſi etc. poſtridie electionis palam profiteri non dubitauit, *ſe*

malle uno ſeruo contentum eſſe, quam propter collectas concubinatum cleri diſſimulare aut tolerare. Vnde illi acerrimum certamen incidit, contra illos presbyteros, qui per praecedentium antiſtitum incuriam aut auaritiam diu inter concubinarum uoluptabra iactati, poſtquam, ex nouatorum ſententia, canonum abrumpere leges et ad nuptias adſpirare exemplum docuit, ſacrilegam commixtionem nomine matrimonii praetendebant. Sed tergiuerſantibus primo Argentinenſibus, a quibus illi male copulati contra antiſtitem ſuum opem implorabant et a quibus etiam ius ciuitatis, contra inſtituta et leges eccleſiaſticas, impetrauerant, dein quoque plerisque repugnantibus parum profecit. Nam et ipſi paullo poſt Argentinenſes a fide atque unione apoſtolica et Romana defecere, fruſtra tum quoque Guilielmo, qui Tabernas ſe receperat, literis, legationibus, interdum et minis ſenatum admonente et ſummis precibus obteſtante, ut in ueteri et uera maiorum religione et pietate continuarent etc. Rem ad Campegium, Cardin. a. 1524 in comitiis Noriberg. deferre iuſſus Thomas Murner, ſed ciuitatis legati habebant, quod reſponderent. uid. BERNH. HERZOG. chronic. Alſat. L. IV p. 116. Rec. Imp. Norib. 1524 §. 23.

XV.

p. 135. De IAC. ZIEGLERI, theologi et mathemat. fide, uita ac ſcriptis diſſertationem exhibet Cel. IO. GEORG. SCHELHORN. in amoenitat. hiſt. eccleſ. t. II p. 210 ſeq. Epiſto-

ſtola noſtra particulam uitae Ziegleri plenius illuſtrat. *Libri quinque aduerſus Waldenſes* a. 1512 Lipſiae cum Auguſtini de Olomucz epiſtolis contra perfidiam Waldenſium etc. in f. editi. Ea tempeſtate eccleſiae Romanae ualde erat deuotus: ſed poſtea Euangelii ueritate colluſtratus a Romanis cenſoribus in primaris haereticis numerabatur, quamquam ac eccleſia Romana ſolenniter non diuerterit. CASP. BRVSCH. in libr. de Laureaco p. 273 in Wolfgango, epiſc. haec memorat. *Idciro ſupra conſiliarios ac miniſteriales alios etiam ſubinde fouit et adbuc hodie fouet non paucos, inter quos ſunt Iacob. Zieglerus, Landouianus, theologiae profeſſor magnus, cosmographus inſignis et Germaniae noſtrae alter Ptolemaeus* et p. 322 Bruſch. poemation ſiue epitaphium D. Iac. Zieglero poſitum, tradit.

XVI.

p. 138. NICOLAI ZINERI patriam uitaeque rationes hae literae bene declarant. In ſchedula quadam ult. Nouembr a. 1524 Partenkirchae-data, Bilibaldum certiorem reddit, ſe uxorem, quam ipſe noſſet, duxiſſe, eam Oenipontem ſecum abducturum. A. 1525. literis binis theotiſcis Oeniponte datis uictoriam Ticinenſem et regis Galliae fatum late enarrat, indicatque, ſe Bilibaldi literas D. P. Sauorgnano (abſenti) nondum reddidiſſe. A. 1527 d. 22 Maii Mediolani ad Pirkheim. epiſtolam ſcripſit, operibus huius p. 332 inſertam. A. 1529 d. 17 Nouembr. ex Salisburgo inclyto magiſtratu Norico nunciat, ſpartam ſi-

bi largiorem a communitate quadam offer
quam uero, beneficiorum olim acceptoru
memor, ſuſcepturus non eſſet, ſi patriae ſtu
um ſuum maximum probare poſſet. Eode
die hoc ipſum argumentum Bilibaldo literis pl
nius expoſuit: communitatem iſtam eſſe ciu
tatem Monacenſem, cuius ſyndicus ſiue gran
mateus (*Statſchreiber*) conſtituendus eſſet. S
larii loco promitti 200 fl. rhen. tantumdem e
in emolumentis reliquis; ſed (quod paullo d
rius) per omnem uitam fidem et officia hu
ciuitati addici oportere. Si ſibi in patria m
lius conſuli non poſſet (Mediolani enim ince
ta et difficilia omnia): conditiones has ſe a
cepturum. Addit in calce: *Ich hab dem Speng
ler auch geſchrieben, bono intuitu. Jörg Ge
der, des Herrn von Naſſavv hoffmayſter, iſt friſ
geſunt und vvol am hoff geſehen; hat mir zum
gut Geſelſchafft geleyſtet vnd einen gnädigen Gra
fen von Naſſau et per conſequens Kayſerl. Ma
ſelbſt, gemacht, vvelche Kayſ. Maj. etliche m
in ſpecie nach mir gefragt, das freut mich, gi
mir aber vveder kalt, noch vvarm etc.*

XVII.

p. 143. IACOBO de BANNISSIS, Cae
maieſt. a conſiliis et ſecretis, Decano Triden
tino Luciani commentat. de conſcr. hiſt. epi
ſtola ſingulari commendauit Bilib. (in ope
p. 62) eique apologiam podagrae (ib. p. 204
inſcripſit. Hic eruditorum patronus maximus
quare et Vlric. de Hutten in epiſt. ad Pirkheim
IACOBVS de BANNISIIS, ait, *uir inprimi
doctus ac eloquens, quo de illud ſentire conſue*
ui,

ti, quod de Neſtore Agamemnon. Opto enim, ut decem tales habeat Caeſar conſultores: quodſi a Chriſto optimo maximo impetrem, nihil magnopere ſolicitus fuero, quomodo optimum in ſtatum redigatur Germania.

XVIII.

p. 144. BERNHARDVS et CONRADVS, fratres ADELMANNI de Adelmannsfelden, canonici Auguſtani, ſingulari laude florebant. CONRADVS RICHARDI BARTHOLINI concinnam diſcriptionem conuentus imp. Auguſt. a. 1518 Paulo de Oberſtain, praepoſito Viennenſi, dicauit. Vid. cel. SCHELHORN. amoenit. eccleſ. t. II p. 666. Bernhardus Bilibaldo in paucis dilectus erat et antiqua iunctus amicitia ſociusque malorum ex dito fulmine Vaticano. Epiſtolas nuncupat. ad hunc Bernhardum tradunt Op. Pirckheim. p. 232.

p. 146. ep. II. uid. cl. MAII uita Reuchlini p. 464 ſq. *von der* HARDT acta liter. reformat. c. l.

p. 146. ep. III. *Laz. Spengler.* a. 1514 Noriberg. edidit. *Die Lebensgeſchichte S. Hieronymi, aus dem Euſebio überſezt.* Epiſtolae Hieronymi non indicantur.

Archigrammateus Auguſtanus tum temporis erat *Conr. Pentinger*, a quo alienior fuiſſe uidetur Adelmann.

p. 147. ep. IIII. Literae ſuperiores Bilib. quas hic indicat Bernhardus, ab iis, quae oper. p. 333 leguntur, haud diuerſae uidentur.

p. 154 ep. VII. *Peutinger*. Conſiliarii caeſarei honores tunc adeptus eſt.

p. 157 ep. IX Sanum certe Bernhardi iudicium de Coclaei irrito conatu (epiſt. p. 3.)

p. 160 ep. XI. Nouus epiſcopus, Chriſtophorus a Stadion, Doctor erat utriusque iuris omnium eruditorum ac aliqua doctrina praeſtantium incomparabilis fautor ac Maecenas, pietate, liberalitate, benignitate in pauperes, clementia et conſeruandae publicae pacis ſtudio nemini mortalium ſecundus, Diſcordiarum ac diſceptationum inter principes ortarum diligentiſſimus ac feliciſſimus conciliator;uerus in hoc patriae pater et iccirco omnibus doctis, omnibus bonus chariſſimus. Interfuit multis comitiis, primis uidel' a. 1518 a D. Maximiliano Auguſtae celebratis, poſtea Carolinis fere omnibus, in quibus ſemper pacis ſuaſor ac auctor exſtitit. Ita BRVSCH. de epiſcopat. f. 149. Nec SECKENDORFF. II, LVIII, I et paſſim aliique reformat. annalium ſcriptores ei mitioris pacisque ſtudioſi principis laudem denegant.

p. 162 ep. XII. Bilibaldus Luciani Piſcatori VI Non. Octobr. h. a. latine edito, epiſtolam apologeticam pro Reuchlino praemiſit, in qua Eckium in aliorum theologorum Staupitii, Oecolampadii, Coclaei, Linci, Lutheri etc. numero (ſed Adelmanni iudicio) immerito refert.

p. 164 ep. XIII. De Sarmatiae deſcriptione uid. ep. Io. Heſſi p. 119.

p. 165.

Digitized by Google

p. 165. ep. XIV. Ciuitati Campidunenſi graue erat, S. oleum ab Abbate petere. Lite ad rotam Romanam, Ioanne a Reitenau, abbate, delata, ciuitas ingentem uim nummorum perſoluit, ut ſuo ſibi oleo uti liceret; poſtea tamen de iure ſuo nonnihil remiſit. uid. IAC. KESELS *Kemptiſches Denkmahl* p. 36.

p. 167 ep. XV. Primas erat Albertus Brandenburgicus, literatorum patronus ſummus (uid. HENR. STROMER. ep. I p. 211.) Tot uxorum uir dicitur, quia non Moguntinum tantum archiepiſcopatum, ſed etiam Magdeburgenſem (exemplo inaudito) et epiſcopatum Halberſtadienſem tenuit.

Iodocus Lorcher erat decretorum Doctor et in theologicis Bacalaureus, parochialis Nouoforenſis curio, cuius ſocii GEORG. BEHEM, Norimbergae praepoſitus ad D. Laurentii, dioeceſis Eichſtadienſis, et *Ioannes Neubar*, Herbipolenſis eccleſiae Vicarius, Theolog. Licent. uid. IOANNIS rer. Mogunt. ſcriptor. t. I p. 826.

p. 169 ep. XVII. *Conciuem* Bilib. cuius nomen celat Adelmannus, putauerim *VVencesl. Lincum. Aſteriſcos* Lutheri aduerſus *obeliſcos* Eccii tradit LOESCHER. *in vollſtändigen Reformat. Act.* t. II p. 333.

p. 172. ep. XVIIII. *Laurentius* a *Bibra* epiſc. Herbipolenſis laudatur etiam a BRVSCH. c. l. p. 174 et in LVDEVVIGS. *Geſchichtſchreibern* des Biſthums VVürzburg

 p. 866.

p. 866. ſucceſſor illius *Conradus* a *Thungen*, ruſticorum coniuratione uehementer uexatus fuit.

p. 174 ep. XXI. De diſputatione Lipſienſi notiſſima uid. LOESCHERS *Reformat. Act.* t. III, et ep. P. Moſellani ad Bilib. in oper. p. 324.

p. 179. ep. XXV. Monitis Bernhardi ſui obſequutus Bilibaldus, contulit ſe, ut peſtis pericula effugeret, *Neuhoſium*, uillam tum Martini Geuderi, affinis ſui, patrimonio adſcriptam, quam eleganti ſtilo Adelmanno (in oper. p. 232) depinxit.

p. 192 ep. XXXII. IAC. SPIEGEL. Sletſtadienſis, Caeſar. Secretarius, rarae doctrinae et iudicii ſingularis homo, teſte Hutteno, erat. uid. IO. STAB, ep. I p. 242, Epiſtolam *Iac. Spiegelii* ad Bilibald. habent Op. huius p. 323.

Non *Commangium*, ſed *Clemangium* ſine dubio, ſcribi oportuit. Nicolaus enim de Clemangiis de corrupto eccleſiae ſtatu commentatus eſt.

p. 195 ep. XXXIII. Controuerſiam de nouo teſtamento inter Deſider. Eraſmum et Eduard. Leum enarrat IO. HENR. a SEELEN in Stromat. Luther. p. 268.

p. 202 ep. XXXVIII. Reperi praeterea epiſtolia quaedam Bernhardi, temporis nota carentia et ad rem librariam potiſſimum pertinentia; ſed deſiderantur epiſtolae haud dubie quamplurimae, quarum argumentum fatalis illa bulla Pont. R. a. 1520 aduerſus Lutherum pro-

promulgata, qua Bernh. Adelmann. una cum Pirckheimero et Spenglero et aliis, ceu Lutheri aſſeclae nominatim, quae erat Eccii audacia, notantur. Prouocauit Bilibaldus et Laz. Spengler ad Leon. P. (uid. op. Pirckh. p. 199); Bernhardum quoque prouocaſſe conſtat; ſed poſtea ſatius eſſe duxerunt, honeſtis pacis conditionibus oblatis, calumniatorem a ceruicibus ſuis amouere; quod negotium alias forſitan accuratius explicabitur.

p. 203 epiſt. XXXIX. Quae in Comitiis Noriberg. a. 1522 et 1523 acta fuerint, ea hic libellus iſta aetate editus enarrat: *VVas auf dem Reichstag zu Nuremberg von vvegen Bäbſtlicher Heiligkeyt an Kaiſerl. Maj. Stadthalter u. Stende, Lutheriſcher Sachen halben gelangt u. darauf geantvvort vvorden iſt. Das Bebſtlich Breue am erſten. Bebſtlich Inſtruction. Stadthalters und gemeiner Reichſtänd antvvort. Der vveltlichen Ständ ſunderlich Beſchvverung. von den Annaten* GOLDAST. *polit. Reichshändel* P. XIII p. 437.

XIX.

p. 205. PAVL. CONSTANT. PHRYGIO Sletſtaienſis, poſtea ab Vlrico D. Würtemberg. ad Euangelii doctrinam, Tubingae praeſertim, firmandam uocatus. Phrygionem in Theologis probis iam memorat Bilib. in epiſt. apologet. pro Reuchlin. c. l. p. 136. IO. VLR. PREGITZER in Sueuia et Wirtenberg. ſacra p. 250: Primus Superintendens (ſiue ephorus et inſpector) huius ſtipendii fuit Paul. Conſtan-

Digitized by Google

nus Phrygio, SS. Theol. D. et Profeſſor, nec non eccleſiae collegiatae, quae apud nos eſt Paſtor, qui Baſilea ad Euangelium in hac academia docendum ab Vlrico Duce euocatus fuit.

Vir uirtute grauis, uir multo nomine clarus,
Seu doctum cupias cernere ſiue pium.

Io. Iacob de Merſburg, quem appellat hic Phrygio, Caſparis, lib. Baron. de Merſpurg, aduocati Prouincialis Suntgouiae, filius erat, caput propaginis Merſpurg. in Thuringia, ex qua pariter et ex Auſtriaca proſapia poſthac comites prodierunt.

XX.

p. 206. CONR. CORDATI epiſtola alia reperitur in oper. Pirckheimer. p. 311. Cordatus hic ſe iam ante reformationem Licentiatum theologiae fuiſſe, tradit in praefat. ad concionem Mich. Coelii, qua Georg. Vicelii ſermonem refutauit.

XXI.

p. 208. De CONR. PELLICANO (theotiſce *Kürſchner*) uid. SECKENDORF. hiſt. Lutheraniſmi L. I § 82 add. II not. b.

XXII.

p. 210. HENR. STROMER. Aurbachius, nunc electoris Moguntini medicus, poſtea academiae Lipſienſis ornamentum inſigne, bonis omnibus carus erat et Hutteno amiciſſimus. Bilibald. (in oper. p. 402) ab eo bullae, qua ſimul cum Luthero diro Pontif. fulmine feritur, copiam petit.

p. 213

Digitized by Google

p. 213. Eraſmus ad Bilib. (op. p. 280.) ita: *Si has reddat Iac. Ceratinus, rogo, ut hunc uelut alterum Eraſmum amplectaris. Vir eſt ita callens graece, nec minus latine, ut poſſet cum dignitate uel in quauis Italiae parte profiteri, tum moribus plane uineis, ſed adeo modeſtus, ut pene putidulus.*

XXIII

p. 219. IOANN. STVRIO, Petri Moſellani amicus, quem et hic in ep. ad Bilib. (oper. p. 325) pariter et Venatorem ſalutat. Neſcio, an is ſit *Io. Sturnus*, quem Ioach. Camerar. in uita Eob. Heſſi in Lipſienſ. eruditorum numero refert. Epiſtolae noſtrae appellant etiam quemdam *Storeum*.

XXIV.

p. 225. IOANNIS HVTTICHII epiſtolae congruunt cum Pirckheimeriana (op. p. 313.) Elogium eius legitur in IOANNIS ſcriptor. Mogunt. t. III p. 321, ubi ipſius quoque collectanea antiquitatum in urbe atque agro Moguntino repertarum exhibentur. In epiſt. obſcur. uiror. t. I p. 325 Reuchliniſtis adnumeratur.

XXV.

p. 229. IOANN. REVSCH. medicus Lipſienſ. methodum praeſeruandae et curandae peſtis ſcripſit. Acceſſit etiam liti inter Eraſmum et Leum agitatae.

XXVI.

p. 231. PAVLLVM PRACHTBECTIVM iureconſultum clariſſimum appellat Pirckheimer. in ep. ad Emſer. (Oper. p. 246)

XXVII.

Digitized by Google

XXVII.

p. 233. GEORG. SPALATINVS, ex oppido Eyſtettenſi, cui nomen Spalatum, oriundus, in ſchola Sebaldina Noribergae ad humanitatem inſtitutus fuit; hinc in antiquis Bilibaldi amicis referendus uidetur. In breuioribus quibusdam epiſtolis principem electorem optime uelle Bilibaldo confirmat. Mareſcallus, Bilibaldi ſtudioſus, erat Ioannes a Dolzig, in negotiis publicis gerendis ualde exercitatus.

XXVIII.

p. 238. BENEDICTVS CHELIDONIVS, abbas ad Scotos Vindob. (Ita habet ſubſcriptio epiſt. II). NESSEL. in ſupplemento Bruſch. p. 208: *Benedictus Chelidonius*, inquit, Poeta inſignis, cuius ſcripta exſtant plurima et ipſe ex Norimberga euocatus; praefuit quidem, ſed parum profuit, homo enim prodigus fuiſſe dicitur, qui multas coenobii arces uendidit. Sepelitur eodem tumulo, quo anteceſſor (Michael Kremnizer, ex Noriberg. S. Aegydii coenobio etiam accitus) a quo in omni uita ſua capitali diſſidebat odio.

XXVIIII.

p. 243. IO. STABIVS, Maximil. I. Imp. hiſtoricus et matheſeos Profeſſor. Vindobon. In Pirckheim. oper. p. 176 Ioann. Stabii porta honoris Maximil. I erecta deſcribitur. Conſultationem de bello Turcico offendimus in GOLDAST. conſtit. Imp. t. II, p. 118.

XXX

XXX.

p. 247. VINCENT. OBSOPOEVS haec ad Bilibald. dediſſe uidetur, cum adhuc Noribergae artes liberales traderet, Pirckheimerum ſtudiis ipſius opem tuliſſe declarant opera Bilib. p. 336. Vincentium ad epitaphium Alb. Durero condendum excitari uult Venator. p. 85. In chartis noſtris deprehendimus libros aliquot Iliados, latine uerſos. En! initium:

Iram, cane, Dea, Pelidis Achillis
Peſtiferam, quae innumerabiles graecis dolores poſuit.
Multas autem robuſtas animas infero antemiſit
Heroum, ipſos autem cadauera ordinauit canibus
Auibusque omnibus etc.

Ceterum conf. Viri ampliſſ. D. Prof. WILLII *Nürnberg. Gelehrten Lex.* u. Obſopoeus.

XXXI.

p. 248. IOANNES LANG. Auguſtinian. Prior Erfurd. teſte Myconio, graece et latine doctiſſimus, qui multos annos ſuo ſumtu Euangelium praedicauit. In negotio ſacrorum emendationis multum laudatur. De diſputatione Lipſienſi alias. Tres, quos dixit, pugiles erant Lutherus, Carolſtadius et Eccius.

XXXII.

p. 249. MICHAEL KADEN, iam Romae negotia publica gerit auſusque forſitan Eccianos reprimere ſtudet, quamquam rebus arduis expediendis minus idoneus uideretur. A. 1526 in Hiſpaniam miſſus Granatae Georg.

Geu-

Geuderum conuenit, qui ad Pirkheimerum, anunculum, de eo haec ſcripſit: *Caden hic legatum agit patriae, qui me aliquantulum opinione feſellit; alterius enim ligni Mercurium iſtum putabam eſſe. Mirum, quam ob legati dignitatem uir ille criſtas extollat, ac rerum omnium ſcientiam ſibi ſumat. Ad quod illud non commode accedit, quod hominibus utitur uilioribus ac Bacchi gaudet ſacrificio. De iudicio camerae ac Caeſareo Germaniae regimine plane omnis eius eſt ſermo; quidquid agit, quidquid loquitur, in eas exit orationes, idque omne cum ſupercilio ſesquipedali etc.* Et in epiſt. d. Valiſoleti d. 23. Maii a. 1527: *Cadus ad uos iam proficiſcitur, hic horrendo ſupercilio ſumma ſe tractare negotia iactabat, ac, ſi ferre potes, Iouis Opt. max. arcana gerere negotia; uerum ut hic ſunt uiri non heri nati, facile aſinos hosce agnoſcunt leonina ferocientes pelle; miras, credo apud uos euomet tragoedias ac plurimum de aula hac, quam uix ſemel in menſe ingreſſus eſt, potationibus ac uiliſſimo ſodalitio diſtrictus.* Legatio eius in Italiam a. 1529 actis publicis teſtata. SECKENDORFF. c. l. II §. 46 p. 133.

XXXIIII

p. 250. VLDERICO VARENPVLERO, Caeſarei Regiminis Cancelliario, Bilibaldus dialogum Luciani: *nauis ſeu uota* a. 1522 dedicauit (oper. p. 235.)

Digitized by Google

XXXIV

p. 252. PETRVS STAHEL, Conſiliarius Noribergenſ. ciuitatis iam a. 1506 obiiſſe fertur uid. *Nurnberg. Gelebrt. Lexic.*

XXXV

p. 254. WOLFF. PLICK, Noribergenſium exemplum Erfordienſes, in ſacris quoque emendandis ſecuturos dum hic ait, neſcio meliora ne edoctus, an ab eo plane diuerſus fuerit, de quo memorat MYCONIVS in hiſt, reformat. p. 50: *Es iſt kaum ein Stadt im Reich, do man mehr praticken gemacht hätte, das Euangelion daraus zu vertreiben oder auszuhungern, aber unſer liber Herr Chriſtus hat allvveg dem Teuffel die Schanz gebrochen und dem gemeinen Volck das Herz bey Chriſto erhalten. Vnd vvaren die ärgſten Teuffel die es verfolgeten:* Iörg Dinſtadt, Chriſtoph Milvviz, Doctor Plix, Michel Müller, Andreas zum Propheten, Wilhelm der Stadtſchreiber *und viel andere mehr, aber vvenn ſie am böſeſten vvaren ſo kam der Tod und holet einmal etliche, ſo muſten ſie Fried halten.*

XXXVI

p. 255. LAVRENT. BEHAIM, ſplendida apud Noribergenſes familia ortus, ſingularem Bilibaldum amicum eumque perantiquum habuit. Mutuum enim epiſtolarum officium iam inde ab a. 1506 eos coluiſſe animaduerto. Bilibaldus amicum ſuum in epiſtola initiali, Luciani dialogo: *Piſcatores*, latine reddito, praemiſſa publice compellat, quam-

quamquam huius modeſtiam (ep. III) nonnihil commouerit.

p. 256. *Huttenum* epiſtolas obſcuror. uiror. permultas finxiſſe, dubium non eſt; nonnullae *Reuchlino* et *Eraſmo* tribuuntur. *Iac. Fuchs* nondum in ſuſpicionem huius ingenii laſciuiae uenerat. Fuit autem *Iac. Fuchs*, Bambergenſ. et Herbipol. eccleſ. Canon. frater eius *Andreas*, Decan. Bamberg. *Iacobus* familiariter in Italia iam cum Hutteno uixit, teſte huius epiſt. Bonon. II Kal. Aug. 1516 ad Nic. Gerbel. data: *auſusque ſum in re admodum ſeria ludos agere, quod minime poteram obſtare hortatibus Iac. Fuchs, Canonici Francorum omnium, qui ubique ſunt, ſtudioſiſſ. cuius nunc contubernio utens hic Accurſianum abſinthium poto.* *Huttenus* etiam ad hunc eumdem Fuchs. epiſtolam orationibus in Duc. Wurtemberg. praefixit. *Iacobus* hic in epiſtola ad ep. Herbipol. a. 1513 oſtendere conatus, ſacerdotibus matrimonium permittendum eſſe, (quam GOLDAST. *in polit. Reichshändeln* P. XVIII u. 8 exhibet) ipſe ſibi, beneficiis fratri conceſſis, nobilem uirginem connubio iunxit et in praedio ſuo Arlſchvvang a. 1539 obiit uid. *Ludevvigs Geſchichtſchreiber des Biſtth. VVürzburg p.* 880.

p. 260 *Gregorium Muffel*, Carmelitarum prouincialem, laudat Bilib. in epiſt. apol. pro Reuchl. p. 236.

XXXVII

p. 262. SEB. SPERANTII nomen in uirorum eruditiſſimorum cenſu legimus, quem Bilib.

Bilib. habet in ep. apolog. ſaepius cit. In *oper.* p. 62 Luciani commentarium de hiſt. ſcrib. in teutonicam linguam translatum *Sperantii* cenſurae ſubiici optat. *Sebaſtianus* hic erat I. V. D. Conſiliarius Maximil. Caeſ. et Matthaei Langii Card. Ex praepoſito factus epiſcopus Brixinenſis annos V eccleſiae praefuit. Obiit d. 11 Octobr. 1525 Braunecçii. HVND. metropol. Salisburg. p. I p. 306. Sebaſtiano, epiſcopo, Bilibaldus Ptolemaei Geographiam latine conuerſam a. 1524 inſcripſit Oper. p. 235.

Wolfgangum Stromerum non ex *Sperantii* modo et *Mosbami* epiſtolis nouimus, ſed ecce! ipſius epiſtolion ad Pirkheim.

S. Cupis, amantiſſime praeceptor, literas tuas communi patrono noſtro, Doctori Reuchlin, miſſas tradendas curem, idque ego oportune et quam diligentiſſime curabo, iamque itineri accinctus Stokgardiam propero deſideratasque Capnioni tuo literas praeſentabo, a quo, niſi principis Wilhelmi negotiis intercipiatur (conſiliarius enim delectus eſt) reſponſum habebis. Interim uale et Wolfgangum tui amantiſſimum, ut facile uales, foue. Ex caſtris in rure Hernberg. 15 April. a. 19.

Capitaneus noſter Io. Ebner ſalutem humanitati optat tuae, ex quo belli Wirtenberg. conditionem ampliſſime quotidie intelligis. Hodie circa meridiem cum in negotio Euſtachii Rieter Capitaneus Ioann. Ebner et ego Franciſcum de Sickingen interpellaremus, amantiſſime praeceptor, forte accidit, quod ſe Heinricus de

Hutten tuae human. obſeruantiſſimus, qui nunc ſub Capitaneo Franciſco militat, ſeſe nobis ultro offerret, T. H. etiam primam mentionem faceret et quidem non ignauam. Poſtulauit, ut literas, quas tibi ſcribere ſtatuerit, quam primum, ut mihi offerrentur, T. H. transmittere, idque, ut cupit, quam diligentiſſime expediam. Vale. Capnionem illum tuum pariter et meum, ut policitus ſum, hoc ueſpere uiſitabo, interque conuiuia T. H. Laſarique noſtri memoriam faciemus, quibus me commendo.

XXXVIII.

p. 265. RVPERT. MOSHAMO uix ſanum ſyncipat fuiſſe uidetur. Reiecta Papae, Lutheri, Zuinglii et anabaptiſtarum doctrina, fanatica ſua ſomnia principibus etiam uiris approbare contendebat. Bilibaldus iam e uiuis exceſſerat, cum is Noribergam profectus et Senatui et ſacerdotibus multum negotii faceſſeret. Quae de capite hoc turbulento eiusque ſcriptis ſciri poſſunt, ea latius in ſcholiis ſiue ſupplem. ad indicem I SECKENDORFF. hiſt. Lutheraniſmi exponuntur. CASP. BRVSCH. in libr. de Laureaco, in Decanorum Patauienſ. ſerie p. 313: *Rupertus de Mosheym, natione Styrus, I. V. Doctor, ſed et Theologus non poenitendus, concionator celebris et literis clarus admodum, ſcripſit inter alia librum de coeleſti Hieruſalem, ſed ſuppreſſum, obiit a. 1545 in carcere.*

XXXIX.

XXXIX.

p. 266. KILIAN. LEIB in doctorum uirom choro locum ſuum merito occupat, quem libald. in epiſt. apolog. pro Reuchl. congreuit. Hae quoque epiſtolae Reuchliniſtam odunt. *Thomas*, quem uocant, *Venatori*erat, de quo diximus p. 81.

p. 270. *Petr. Galatinus*, Minorita, Dor theologus, Reuchlini defenſor, opus conipſit de *arcanis catholicae ueritatis*. uid. *von* HARDT hiſt. reformat. liter. P. II. p. 9.

p. 271. *Priorem Rebdorffenſem* ad cauſſam uderi cognoſcendam accedere debuiſſe, cont ex epiſtolis Cochlaei p. 53 huius comment. ſolutio quaeſtionis de S. Paulo Apoſt. an niugatus fuerit, necne, auct. Kiliano Leib, Rebdorff. ad Cochlaeum Ingolſt. 1545, 4 diit.

XXXX.

p. 274. IOANN. VOEGELIN. Bilibaldum 1524 adierat a Bernh. Adelmanno commenus, (uid. Cochl. ep. XX p. 51).

XXXXI.

p. 278. Quis IOANNES TSCHERTE rit, cognouimus ex hoc libello: *Warhaffe Handlung vvie und vvelchermaſſen der Türck Stat Ofen und Wienn belegert, erſtlich dur. h n. Mai. zu Hungern vnd Bebem etc. Kriegsretari, Herrn Peter Stern von Labach kürz-*

lieb begriffen vnd beſchrieben; Nachvolgend durc Niclauſen Meldeman, burger zu Nurnberg, mi merer anzeigung, vvas von tag zu tag ſich zu tragen hat, aus angeben deren, ſo von Anfan mit und dabey gevveſen ſind, gemert vnd erlen gert, ſampt einer contrafactur der Stat Wien ausgangen 1530. In fine ii nominatim laudan tur, qui in obſidione conſilium, ſtudium o peramue ſingularem adhibuerunt, atque in hi eſt: *Herr Iohann Tſcherte, Künig. Mai. Bavv meiſter und Bruckmeiſter.* Epiſtolas II ſermon patrio ad Bilib. exaratas deprehendimus, quo rum altera d. 15 April. 1524 D. Braſſicano ob Pirkheimer. commendationem, quodu officiorum genus pollicetur; altera uero (c 20 Iun. a. 1524) quantopere Euangelio faue at, iterum declarat et Bilibaldi literas exſpe ctat (quas et accepit, alias tradendas):

Das levvendig vvarhafftig götlich Wo (Got hab lob) nymbt bey vnns ſeer auf be yderman, vvider alle Verfollger, der vil noc bey vnns darvvider ſchreyen, ſchelten un grauslich toben, ſy nennen des Luthers Euar geli-puech, ſo er in teutſch translirt, evvi helliſch und verdamben alle ſeine leer und ar henngеr derſelben in abgrunt der höll, ab on allen grunt, das ain yeder der ain vven nur ain geſchmachen der Warhayt emphange ain entſetzen darob hat. Ich bin aber in gan tzer hoffnung, es vverde dhain Rat darvvid vvas ſchaffen mügen, quia non eſt conſiliu contra deum. Wievvol ich vernommen, m

vver-

vverde ſich in dem Concilio zu Regenſpurg vvas ze hanndlen unnderſteen, und als die ſag, heffrige mandat und groſſe ſtraff, vver die übertritt, ausgeen zu laſſen. Iſt alles umbſonſt, vnnſere gevviſſen ſeind nymmer zu nöttigen, vvie hoch man mandiren vvirt. Die parfueſſer haben ſolch ſeltzam practiken allenthalben, das dauon nit zu ſchreyben. Wirt alles ob inen zu hauff geen, dann ir Wort gillt bey den vvarhaffugen nichts mer.

Vnſere hohe Theologi ſeind alain davvider, ſonſt iſt die gantz Vniuerſitet vnd Statmenig auf dem rechten Weg. Schikh euch deſſhalb ein tractatlein, ſo ſy gemacht und ausgeen laſſen, vvider Paulum Speratum, der vvider ſy vor ains ausgeen hat laſſen, das ir ſonnder Zvveiflvor hin habt vnd vviſſen tragt. Iſt ir erſtes Schulrecht, verſeh mich aber ſy haben vvas aufgevvekht, damit man ſy künfftiglich bas vor erkennen vvirt. Doctor Braſſicanus (als ich vonn ettlichen vernommen) ſolt auch erlich als ein poet darinnen gearbait haben. Nonnihil addit de Hartmanno de Lichtenſtein, Bilib. cornua ceruina miſſuro.

De *Paullo Sperato* in conſpectu hiſtoriae Vniuerſitatis Viennenſ. ſaec. II p. 114 ad a. 1522 haec legimus; *Facultati theologicae praeprimis* dat (Rex) *in mandatis*, *ne malum* (Lutheri dogmatis) *ſerperet*, *ſedulo accuraret*. *Nec illa muneri ſuo deerat; ea enim tempeſtate ad illam D. Paulus Speratus, nuper Viennam aliunde advenitans*, *quod in cathedrali eccleſia D. Ste-*

phani e Lutheri doctrina praedicaſſet, delatus e
rat; re coram teſtibus et Notario examinata, ne
gotioque cum officiali Vienneſi communicato, ſu
proſcriptionis poena ad ſeſe purgandum citat
eſt, ſerioque interdictum, ne ullo in loco ad co
cionem diceret; iniunctum denique, a religio
a que ac caeteris ſacerdotibus Sperati doctrina
cathedris refelleretur. At cum ad ternam re
citationem non compareret, Vienna occulte dil
pſus, in eum excommunicationis lata eſt ſente
tia publicis in ualuis affixa. Submiſerat ſubin
exul Speratus Vniuerſitati propugnatricem ſuoru
dogmatum epiſtolam, quae iuſſu facultatis theol
gicae, confecto deſuper commentariolo, per egr
gium uirum Ioannem Camertem, theologiae d
ctorem ordinis Minorum S. Franciſci, ſtrenue
refutata.

XXXXII.

p. 285. IOACH. CAMERARII, ſeniori
nomen et merita omnis aetas ſuſpiciet. A
am epiſtolam ad Bilib. tradunt oper. p. 31
Coryphaei huius eruditorum uitam enarraru
multi, praeſertim Cel. DOPPELMAYR
Nürnberg. Künſtlern p. 64.

XXXXIII.

p. 287. De VITO BERLERO ſiue VE
LERO, uiro egregie docto, immerito tace
biographi literarii. Quum *Ioach. Camerarius*, p
er, Lipſiae bonis artibus operam daret: adfuiſſ
ait in uita Eob. Heſſi, eruditionis et huma
ta-

ſtatis principes Io. Sturnum, Vitum Berlerum et Georgium Aubanum, Francos ambos. *Viti Berleri* exſtant epigrammata. *Tranquilli Parthenii* epiſt. p. 321 Bilibaldi et Viti amicitiae teſtis. *Io. Bapt. Egnatii* epiſtolae ad Pirkheim. uid. in oper. p. 207 ſq.

Epiſcopus Bamberg. cuius fatum luget Verler. in ep. II erat *Georg. Pincerna*, Baro de *Limpurg* d. 31 Maii 1522 e uita digreſſus. Soror ipſius Eliſabetha nupta primum Ludouico Com. ab Helfenſtein, deinde Georg. Com. ab Helfenſtein.

XXXXIV.

p. 298. IAC. MONTANVS, Spirenſis, in ſchola *Alex. Hegii* Dauentriae uno cum Eraſmo Roterod. Io. Caeſario, Arnoldo Veſalienſi etc. eruditus, a *Rudolpho Langio*, Canonici et ſenioris Monaſterienſis domi nutritus Heruordiam in domum fratrum ad priuatam inſtitutionem miſſus fuit. Calepini dictionarium in ſexcentis locis emendauit, teſte praefat. edit. a. 1534. Accenſus caeleſti doctrina et ſaepe ſcribens ad Philippum Melanchthonem, in cuius patriae uicinia natus erat (nam Bretta non procul disiuncta uel remota eſt ab urbe Spira) coepit cum Bartholomaeo Amelio Coegelio, patre in domo fratrum, item cum aliis uiris doctis Gerhardo Wiskampio Xantio, Gerhardo Deckero, Rogellio et aliis diſputare et conferre, ut ſimul illos in ſuam perduceret pertraheretque ſententiam. Haec diſcimus ex HERMANNI HAMELMANNI operibus genealogico-hiſtoricis

de Weſtphalia et Saxonia inferiori p. 264, 268, 1036 et p. 176 ſcripta illius recenſentur.

p. 299 ep, I. Monaſterium dominarum canonicarum Mollenbeccenſe nobilis femina Hilborch et ſacerdos Folcurdus a. 896 fundarunt, Ao. 1401, cum ſub dominarum manibus ruerent omnia, monaſterio reformato, fratres regúlares inducti fuerunt. BVSCH, de reformat, monaſt. in *Leibnit*. ſcriptor. rer. Brunſuic. p. 483.

p. 303 ep, IV. In aliis quoque Montani epiſtolis (complures enim ſunt in promtu) huius magiſtri artium mentio fit: *En uelim, mi amantiſſime Bilibalde, miti ac placido animo accipias, quod te precibus intenſis ſum auſus grauare in cauſſa Hermanni mei, quem ex ipſius literis iſthuc perueniſſe cognoui. Humanitatem ille mihi tuam, qua eum meo nomine proſequeris abunde, (ut eſt ingenio fertili) declarauit. Intelligo illum non ſatis in tempore iſtuc ueniſſe, id quod fore ſperaueram, teque nihilo remiſſius pro tua in me caritate conniti, ut alicubi collocari commode queat, ubi ingenio eius uberius excolendo utcunque conſultum foret, ne ob inopiam rei familiaris ab proſequendo literarum ſtudio penitus ceſſare cogatur. Id quod mihi et parentibus ipſius uehementiſſime inuiſum eſſet. Ego ſi tu melius conſilium non habes ita faciendum cenſeo ut hominem literis tuis contribuli meo Philippo Melanchthoni, | quam potes efficaciſſime, commendes. Ad quod officium et meae aſſunt literae, quas tuae non mediocriter iuuabunt. Quod ſi Philippus*

pus iſtic eſt (uti audio) facilius uiua uoce, quod uolo efficies, hominemque et de literis et de chriſtianis praeclariſſime (prout uidere eſt) meritum eo pellicies, ut qui intra biennium aliquod amicis meo rogatu non mediocriter profuit, hunc quoque bonae ſpei adoleſcentem promouere dignetur citurus haud dubie in me collatum iri, quicquid in hunc conferre deſtinabit etc. (d. V Id. Ianuar. 1526.) Et iterum: *Ceterum de Hermanno, quem tibi commendaueram, gratias immortales habeo beneuolentiae tuae, quo eum conſilio et fauore, quantum infelicia permiſere tempora, es humaniter proſecutus. Is ad nos rediit utriusque morte parentis una die non mediocriter afflictus, datque nunc operam chirurgiae inſtructus ab fratre, quem habet ea in arte famatiſſimum. (d. IX Kal. Mai* 1526) Quam denique uiam Hermanni fata inuenerint, indicat epiſt. noſtra VII.

p. 306. ep. V. Eccleſiae Leodienſi tum praefuit Erardus, Comes a Marca, qui teſte BVCELINO in German. ſacra, p. 30, erat uir eruditus pacis amantiſſimus, ad ſumma natus, auctoritatis maximae, quo maiorem poſtrema aetate principem Leodium non habuit.

p. 310. ep. VII. *Arnold. Bellbold,* iudex urbis Monaſterienſis, adiutor ſtrenuus negotii Euangelii, quod et aduerſus Rottmannum, anabaptiſtarum dementiam docentem, uindicauit. uid. HAMELMANN c. l. p. 208, 1189.

XXXXV.

p. 310. BALTHASAR. MERCKEL, tenuis fortunae parentibus natus in Wald-

kirchio Hercyniae oppido. In literarum ſtudiis diligenter uerſatus t. V. Doctor et canonicus Conſtantienſis, item et praepoſitus S. Margaretae in Waldkirch et epiſc. Melitenſ. deſignatur. Maximil. I Imp. erat a Conſiliis ſecretioribus. Carolum V Imp. in Hiſpanias ſecutus Vicecancellarii imperii partes expediendas ſuſcipit et Epiſcopus Conſtantienſis ac Hildeſienſis, in comitiis Auguſt. 1530 conſecratur. VVENCKER. in collectis archiui pag. 438. CASP. BRVSCH. de epiſc. German. p. 51. A. 1512 Bilibald. adfuit comitiis Treuerenſ. et Colonienſ. Ita enim Receſſui Imp. d. a. ſubnotatum legimus: *Nürnberg. VVillbold Birckenheymer und Leonhard Groland, mit Gevvalt der Stadt Regenſpurg, Nordhauſen, Muhlhauſen und Goslar.*

XXXXVI

p. 312. IOANNEM de WIRSPERG. iam ex epiſtolis Cochleanis nouimus. *Vlr.* de *Hutten* eum in epiſt. ad Bilib. (uid. BVRCKHARD. c. l. p. 51) neceſſarium ſuum appellat multumque laudat.

XXXXVII

p. 313. GEORG. SPORERI memoriam haec uindicet epiſtola, cui altera d. 26. Iul. 1530 data iungi potuiſſet, ſed cum in ea Bilibaldo tantum gratias agat, quod b. Maximi dialogum de incarnatione uerbi, ſuo ſtudio tranſlatum, ipſi dono miſerit, eumque de filiae fato uerbis ampliſſimis conſoletur, omiſſa. *Georg. Hartmannus* presbyter honoratus

uo-

Digitized by Google

uocatur, quia uicarius ad aedem D. Sebaldi Noribergae erat. Patria ipſi fuit *Eckoltshemium*, oppidulum terrae Bambergenſis. Aſtronomices notitia clariſſimus Hartmannus. uid. Cel. DOPPELMAYR. *Nurnberg. Kunſtler* p. 56 ſq.

XXXXVIII.

p. 315. MICH. CHREBER. in epiſtola alia d. VII Kal. Aug. 1524 data Bilibaldi beneficia in fratrem Leonardum collata uehementer extollit, additque: *Verbum Dei adhuc peſſime apud Dominos Regiminis noſtri audit. Sic Deus corda eorum indurauit; magis tamen (uereor) in fauorem archiducis Ferdinandi Barrabas in caeco mundo dimittitur et innocens Chriſtus ad flagellandum ducitur inique, iuxta Eſai. c. 6. Tuae humaniſſ. humanitati commendo Andream Rutellium, feſtiuum et eruditum iuuenem, quem et ipſe amore proſequor ingenti ob ſuam et uitae conuerſationis honeſtae probitatem.*

XXXXVIIII.

p. 317. IO. RHAGIVS AESTICAMPIANVS (h. e. *Sommerfeldenſis*) artibus liberalibus politiſſimus, maleuolentia et odio Lipſia expulſus a. 1518 Vitebergam ſe recepit ſummoque plauſu literas docuit. uid. DAN. FIDLERI diſſ. de Io. Rhagio Aeſticamipiano Lipſ. 1703.

L.

p. 319. IO. OECOLAMPADIVS Bilibaldo amico adhuc uſus fuiſſe uidetur, cum hanc epiſtolam exarauit. IO. DENCKIVS a

1524

Digitized by Google

1524 ex urbe Noriberg eiectus fuit; id ipſum temporis notam huius epiſtolae indicat. Vir iſte ſcholam Sebaldinam regebat, ſed cum inſana Anabaptiſtarum dogmata diſſeminare coepiſſet, nec meliora audire uellet, terram Noricam relinquere iuſſus fuit. uid. S. R. ZELTNERI *Leben Seb. Heydens* p. 18.

LI.

p. 321 TRANQVILLVS PARTHENIVS, literis renaſcentibus, Lipſiam confugiſſe uidetur. Huius *Parthenii* ad Deum contra Turcas orat. et epiſt. typis exſcripta perhibentur.

LII.

p. 323 GEORG. GEVDER, Pirckheimeri ex ſorore nepos, in comitatu fuit Henrici comitis Naſſouii (*Nic. Ziner* eum dixit p. 88 *Hofmeiſter*), quamquam comes Noribergenſibus ſe infenſum praebuit. uid. SECKENDORF. c. l. L. II. §. 46 n. 2. Itaque GEORGIVS in Hiſpaniam et Batauiam migrare neceſſe habuit ſumma ſemper adiutus Alexandri Schvveiſſ, a ſecret. conſil. Imp. beneuolentia, cui urbem Noriberg. adeo caram fuiſſe ſcribit Georgius, ut aliquando fortunarum ſuarum ſedem in eadem collocare animum induxerit. conf. *Schvveiſſ.* epiſtolae ad Bilib. oper. p. 264, 331. Quae de Bilibaldi rhetorica ep. II memorantur, concordant cum epiſt. p. 398 oper. Pirck. uulgata. Ceterum ex epiſtolis Geuderi permultis

(pau-

(paucae enim hic dandae uidebantur) intelleximus, eum ideo famem aulaeque moleſtias fortiter perferre, ut ad altiorem gradum adſcendat aut certe uitae adminiculum reditumue, heri ſui praecipue et Alexandri Schvveiſſii auxilio, conſequatur. Si qua emolumenta in patria uacarent, ea gratiſſima ſibi fore; Albertum quoque Durerum 100 fl. cenſu, Caeſaris liberalitate, frui. Sed Bilibaldus hoc conſilium non approbat omnino; Caeſaris reditus in patria coruos illos omnes deglutiiſſe, neque ad quemquam ea cadauera poſſe peruenire, niſi uulturis alicuius interitu; illis autem quam multos uelis remisque inſidiari, atque eſſe, qui iam a Caeſare impetrauerint, ut, ſi quid huiusmodi morte diſſolutum fuerit, id ſibi protinus concederetur. Reſpondit *Georgius* d. 18. Febr. a. 1518: *Tu, uehementiſſime etiam atque etiam precor, res meas (quod ſemper feciſti) cordi tuo aſſume, meque conſilio atque opera adiuua. Iam enim ſyringas puto mihi conficiendas eſſe, cum in medio arundinum otioſus conſido etc. Vellem omnem mehercle mouere lapidem, ut nonnulli, re mea bene aucta, uiderent, Caeſari atque hero meo acceptum me fuiſſe, non ut cum Mida quicquam ſentiam, ſed ne tunc quaedam ego uerba muſſitare cogar aut cogi turpe cenſeam etc. Ceterum, obſ. auuncule, Caeſar iam epiſcopum Melitenſem, praepoſitum in VValdkirch legatum in Germaniam mittit; is Nurimbergam ueniet atque una cum eo Balt. Rabenſteiner, qui mihi fratris eſt loco, atque Vlri-*

cus

ous Ebinger, quem meae ego aulicae uitae ſolamen habui praeſentiſſimum, ac Sebaldus Haller, doctusque Beatus. Quare te mirum in modum precor, curare uelis, ut hosce meos heroas atque amicos quam amiciſſime ac ſplendidiſſime excipias ac ſummo eos habeas bonore, conuiuiis et officiis. Ego id abs te ſummo amore ac confidentia expoſtulo (magis precor, parcas importuno). Noſti enim, quam noſtri lares ſint aliquando parum elegantes, pumicei atque illepidi.

Anno 1530 cum hero ſuo ad conuentum imperii Auguſt. acceſſit, quod cum ipſius, tum Cochlaei epiſtolae p. 45 comment. comprobant.

In literis Auguſtae d. 24. Iunii 1530 ad Pirck. datis memorat, heri ſui ualetudinem impedimento fuiſſe, quo minus cum Caeſare in urbem iſtam ſit ingreſſus; inueniſſe ſe iſthic legatos patriae carosque fratres duos, et quid ſibi in cauſſa fratris Iohannis conſultum uideatur, Cochlaeo ac Sebaldo illico aperuiſſe; ſecundiore nimirum aura ſe nauigaturos ſi legatus pontificis cauſſam ab omnibus aliis iudicibus auocet. Addit: ruſticum quemdam ex Auſtria aduenturum, qui podagra uel decem annis confectos ſanet.

LIII.

p. 328. VITVS BILD Acropolitanum ſe dicit et coenobitam apud S. Vlricum et

Afram

Afram Auguſt. Mathematicorum clariſſimorum amicum et aſtronomiae non mediocriter peritum eum fuiſſe, declarant epiſtolae.

In literis quibusdam d. id. Mart. 1527. in Oecolampadium uehementer inuehitur: Deo laus, inquit, quod tantum proſtraueris gigantem irrefragabilibus ſane ſcripturae auctoritatibus, adeo ut, ni lepra uir iſte ſit percuſſus, ſentiat, quantum in re tam diuina deſipiat. Vnum eſt, quod te latere uolui minime. Quum legiſſem, quod praeſtantiam tuam (quam certo certius dudum per optimos quosque ſcirem a primis incunabulis hanc usque in diem integerrimae fuiſſe uitae) mendacii, inſcitiae ac temulentiae arguere falſo non erubuit; adeo excandui, ut ſi coram iuuentus uir ille linguoſus fuiſſet, tantam pugno uindicaſſem iniuriam.

LIV.

CHRISTOPH. GVGEL, ICtus, honoribus et meritis, praecipue in ciuitatem Noriberg. cumulatiſſimus, non paucis eum comitiis adfuiſſe, monſtrant aliquot Rec. imp. ſubſcriptiones. Bilibaldi ſententiam in cauſſa quadam iuris paſcendi rogauit in oper. Pirck. p. 328.

ANDR. RVTTELLIVS, Pirckheimeri famulus et amanuenſis, quem *Mich.*

Chre-

Chreberius Bilibaldo a. 1524 tamquam feſtiuum et eruditum iuuenem commendauit (uid. p. 111) Cum hac epiſtola cohaeret ea, quam opera Pirckh. p. 318 tradunt. *Io Stoefler* mathem. Profeſſor Tubingenſis, libris ſuis clariſſimus, Praeceptor *Munſteri.*

LVI

GEORG. SIBVTVS, medicuset poeta. Rhetoricam docuit Coloniae et Vitebergae carmenque panegyricum de Maximil. Caeſ. aduentu in Coloniam condidit. Poemation hoc iam opera Pirckh. p. 327 exhibent, ſed nec totum, nec accurate exſcriptum; ſilent etiam de auctoris nomine. In iisdem ep. p. 350 Chriſtoph. Scheurlo, ICto, acad. Viteberg. rectori G. Sibutus poeta et orator laureatus uerſiculos quosdam cecinit.

I. EPIS-

Digitized by Google

I.

EPISTOLAE IO. COCHLAEI.

I.

1. *Huttenus, alter Lucianus, in Marco ſuo Venetos irridet.* 2. *Lector graecus.* 3. *Italorum mores improbantur.*

S.

Mitto ad te, obſeruandiſſ. mi D. Bilib. Marcum Hutteni noſtri, qui hoc ueſpere nobiſcum coenauit, aliquot nobis nouas recitans epiſtolas multo cum riſu, ex quibus una per totam fere Germaniam uagata eſt, tuique facit mentionem, quod contra uſuram ſcripſeris, quam magiſter noſter diſputauit Bononiae. Negat tamen, ſe libelli illius auctorem in haec uerba: nullo modo, eſt Deusmet. Ceterum eius Marcum tunc recte accipies, quum prius legeris Sabellici carmen de Venetorum ortu ac fato; nil enim quaerit iſte Marcus, niſi irriſionem eorum iactantiae. Mirabile profecto mihi uidetur hominis ingenium, praeſertim in illudenda aliorum ſtultitia. Iocis ſcatet et ſalibus; quamprimum hominem audiui, alterum dixi eſſe Lucianum.
Nunc ipſe duoque noſtri atque, praeter eos, duo 2
alii graecum quendam induxere lectorem, qui

eis Lucianum interpretetur et Ariſtophanem.
Numiſugam illum Ludouicum deſeruimus;
nam illiberaliter, ne dicam iniuſte, nobiſcum egit.
Alteri nomen eſt Triphon, nihil adhuc de eo
praedicare poſſum; de doctrina non dubito, de
docendi uirtute timeo. Satis mihi iam multis
conſtat experimentis, neminem adhuc neque fi-
delius, neque utilius tuos inſtituiſſe nepotes in
graecis literis, quam Te; non aſſentor, ſed
3 doleo. Itali pecuniam quaerunt et pompam;
nunquam eos tanti faciam expertus, quanti fe-
ci antea, fucus eſt et ſimulatio, uti nuper ſcri-
pſiſti. Bene uale et ad priores mihi, ubi dabi-
tur ocium, reſponde literas. Ex Bononia 9 die
Septembris, anno domini 1516.

II.

1. *Querelas contra Iuſtinianum ſcribere inſtituit Cochl.* 2. *Rationes ſtudiorum nepotum Pirckheimeri.*

S. Libera me, quaeſo, optime ac obſeruandiſ-
ſime D. Bilib. non dico a ſuſpicione, ſed
a metu, quo leuiuſcule diſcrucior, ne forte pro-
pter crebras meas ad te ineptias parum uiſus
ſim officioſus, praeſertim in ſordida Eckii diſpu-
tatione. Quod ſi ita eſt, errori condones ae-
quum eſt. Nos iam pridem uehementer expe-
ctamus a te literas, Huttenus et ego; ne com-
mittas quaeſo, ut illi non reſpondeas; nam con-
temptum ſe iudicaturus eſſet, et in me forte
culpam transfunderet. Quid de Holtzſchuhero
2 ad nos transmittendo tu meusque Patronus ege-
ritis nomine meo, id ratum omne pro uiribus
prae-

Digitized by Google

praeſtabo. Quid de iuris ſtudio ſentiam, paucis explicare non poſſum. Tu certe primum mihi contra Iuſtinianum anſam praebuiſti, cum ſcriberes, eum philautia eſſe immodica. Diſtinet me ille a litteris ſacris, donec, quid de eo ſentiam, perſcripſero; nondum incepi, cum Decembri iam incipiam, Deo, qui ipſa eſt ueritas, bene fauente. Quod ſi quid uere atque ex publica utilitate protulero, id totum tuo nitetur praeſidio. Ad Caeſarem namque nomine urbis Romae querelas faciam contra Iuſtinianum ad imitationem (materia, inquam, non ſtylo) Verrinarum, atque inde legibus illius me omnino abdicabo. Res erit, ſine praeſidio atque auctoritate magni alicuius, qualis tu es, Patroni, infirma ſane atque inutilis, mihi tamen ſufficiet, ſi ueritati publicaeque ſtudiorum utilitati ſtuduiſſe uidebor, ſi non hominibus, at Deo; id ſatis ſuperque erit tantis hac in re laboribus. Quid de paraphraſi mea iudices, libenter intelligam. Nepotibus tuis legitur publice, mane quidem epiſtolae Ciceronis ad Atticum et Georgica Virg. Poſt prandium Graece 2
Thucydides et Ariſtophanes. Latine orator Cic. et Propertius. Sub graeca lectione Sebaldus Inſtitutiones audit. Domi uero priuatim a me mane audiunt Pandectarum textum, ad petitionem hereditatis uſque proceſſimus; feſtinabo autem ad utiliores libros titulosque, quales permulti reſtant. Liuium ipſi apud me exponunt, ego Ouidium et Solinum. In calce tamen ſumus utriusque. Ego prorſus nihil audio, neque tamen ſum otioſus, quin imo pun-

ctum quoque temporis non libenter uane perdo. Nugas et Theologorum et Iuriſtarum ad finem meum utiles eſſe non duco. Domi itaque libris adhaereo. Bene uale atque aliquid reſcribe, apud dominos meos mei aliquando pro oportunitate memor. Ex Bononia 23 die Nouembris Anno MDXVI.

III.

1. *In rhetorica Eſaiam et Paulum imitari ſtudet Cochl. 2. auerſatur iurisprudentiam practicàm ac negligit linguam Italicam.*

S. Heri ad me tulit filius D. Hieronymi Holtzſchuer binas litteras, colendiſſ. D. Bilib. adeo gratas, ut omnis expectationis facile ſim oblitus. Vehementer tamen doleo, unas mihi eſſe interceptas, quas Hieronymo Petzio dediſti. Quae uero mones his binis litteris, diligenter curabo omnia, modo fata me ſinant. Rhetoricam, quantum priuata lectione conſequi licebit, non negligam, ut inueniendi artem partim praeceptis, partim imitatione Ciceronis, Chryſoſtomi, Origenis et Auguſtini utcumque aſſequar. Potiſſime tamen Eſaiam et Paulum imitari qualiquali umbra uellem, eorumque dicendi uim (quam optare et ſuperbum eſſet et prophanum) longiſſimo adorare ueſtigio, non ſane, ut doctus uidear, ſed ut proſim aliquantum, ſtu-
2 debo. Id totum in manu Dei eſt. Quod mihi de practica ſuades, hic experiri non erit operae pretium. Nam Epiſcopi Conſiſtorium infrequens eſt, forum autem ciuile ſuis regi-

tur

tur ſtatutis et conſuetudinibus, idiomateque Italico, quod ego nec loqui, nec plene intelligere calleo, uerbi tui quotidie memor, quo mihi praedicebas, eius linguae me non fore capacem. Eſt plane, quod aetati tribuam, eſt etiam aliquid in me culpae, qui nullum tempus ei negotio accommodaui. Et ut ingenue id confitear, practica illa copiſtarum et iuriſtarum animo meo non ſedet, quamuis ſit et honorum et pecuniarum lucratiua, quia magis calliditate nititur, quam aequitate cauſae. Quod ſi certa forent iuris principia et limites, nihil mallem, quam iurisconſultus euadere, ſed res ſe habet et in ſcholis et in foro, qualiter bene noſti. Contra Iuſtinianum querelas inſtitui, duas hoc menſe abſolui, quas utique deuoraſſem, ſi chria tua ueniſſet prior. Labor namque eſt inuidioſus, neque adeo leuis, prorſus forte inutilis. Amore tamen ueritatis Ianuarium quoque illi negotio impertiar. Heri nonum librum Digeſtorum incepimus, octo poſt inſtituta textualiter percurrimus. Textus rariores caſibusque ſeruilis materiae inuolutos ſaepe praeterimus, ne iuuenes odium eius ſtudii concipiant. Huttenus grauiter nuper aegrotauit. Nudius tertius epiſtolam mihi oſtendit Romae a Martino Groninck ſcriptam, quae certam Reuchlino promittit uictoriam, quamuis hac aeſtate ſummo certamine utrinque ſit laboratum. Mox, ubi inuenero nuncium, plura ſcribam. Has litteras Romam mitto, ut inde ad te ueniant opera Engelhardi. Bene

Digitized by Google

uale et meum Patronum nomine meo ſaluere iubeto. Ante biduum ei ſcripſimus, nuncius iam non eſt certus Iterum uale Ex Bononia, pridie Calendas Ianuarii. Anno Domini 1517.

IIII

1. *Iam tres libros querelarum in Iuſtinianum ſcripſit.* 2. *Studia, quibus iuuenes inſtituuntur.*

S. Ad litteras tuas proximas tertio nunc reſpondeo, obſeruandiſſ. D. Bilib. ſi importune, non tamen inofficioſe. De cauſſa Reuchlini nihil habeo, quod ſcribam. In manibus tamen credo eſſe uictoriam; facilius eſt certe, iam plerumque bella, quam lites abſoluere, tanta eſt ubique uafricies, tot exceptionum Meandri. Ego profecto nihil minus uelim, quam litem. Nunc tamen improbam exerceo litem cum Iuſtiniano, mutus cum mortuo, rabula cum ſurdo. Tu, uereor, ne magis iraſcaris, quam rideas. Parum abeſt, quin coepti me poeniteat, perdo tempus, perdam, timeo, etiam oleum et operam. In mortuum illum omnia conuicia iacio, ſed inter parietes clauſos. Creſcit materia, decreſcit feruor, finem properans opto. Libri tres iam ſcripti ſunt, quatuor adhuc ſcribendi. Materia maxime eſt odioſa, ideo quanto breuius potero, eo celerius finem imponam. Quicquid id fuerit, niſi fata prohibeant, tu aliquando uidebis. An uero probaturus ſis, dubito, bene tamen ſpero. Iuriſtis noſtris abſur

ſurdiſſima uidebuntur ea omnia, ſed eis non ſcribo, ueritati inſeruio. Tu pro mille millibus Bartholorum mihi cenſor eris. Sed de his poſtea. Ceterum breui Romam iuſſu ueſtro ibimus. De filio Holtzſchuher. incertus delibero, an ſimul ad iter illud admittatur, nemo de eo ſcripſit. Ibit tamen, niſi mandatum aliquod inhibeat. Hic ad arma tumultuatur, quae cauſa ſit, uulgo neſcitur, palam fertur. Hiſpanos in territorio eſſe; occulte, Pontificem Maximum fato conceſſiſſe. Itaque ad arma milites conſcribit noſter Gubernator. Quicquid id ſit, diu latere non poteſt etc. Publice legitur et raro et ad pompam. 2
Iam uacantiae ſunt uſque ad initium quadrageſimae. A feſto S. Thomae Apoſtoli ad hunc diem ſex uel octo diebus eſt lectum. Ego itaque nihil audio. Quamprimum a Iuſtiniano liberabor, ſacris litteris et rhetoricae totum me dedam. De beneficio nondum ſcribere audeo. Vereor, ne uidear impudentior. Domino Caſparo Nutzel adeo familiaris non ſum, ut ſtatim quid ab eo petam. Ceterum poterit eſſe optima occaſio illius promerendi, ſi uolueritis. Quaeris, quo pacto? Si fratris eius filium, (qui Ingolſtadii apud Hieronymum Holſchuer ſtetit) ad nos transmiſeritis. Erit id non ſolum e re mea, ſed et in rem nepotum, et quidem aliquanto plus. Nam hoſpitium nobis eſt ſatis liberale et honeſtum. Sunt autem Camerae pro ſcholaribus ſex; cogimur itaque alienos recipere ad nos, in ſextam cellam.

Nunc uero noſtrum ſunt octo, abibit poſtridie unus, reliqui duo ad Iunium aut Maium forte. Interim Hieronymus propriam habitationem habere non poteſt. Interdiu mecum eſt, noctu cum Georgio, qui proxime ad me habitat. Ea uero eſt inter alias mihi moleſtia, quod illi alii ſtudiorum ſunt negligentiores meisque praebent et exemplum et occaſionem remiſſioris ſtudii, neque mihi licet ſemper iurgari aut auocare a nugis otioſis. Longe foret conſultius, et mihi et meis, ſi aliis intermixti non eſſemus. Id potiſſimum fieret, ſi ille Nuzel adoleſcens ad nos mitteretur, ut ſextam occuparet cameram. Ea de re tu cum domino meo cogitate. Filiae tuae nullam choream transmittere potui, propter nuncii abitionem praeproperam. Bene uale cum dulciſſimis tuis liberis et libris fetibusque recens editis, id eſt, Xenophonte et Ariſtophane. Hodie Ioanni noſtro propoſui dialogum primum ex Luciano, ut latinum reddat, quem et Eraſmus transtulit, ſed eum apud me ſeruo, ne inter transferendum ille inſpiciat, ſed potius ipſe quaerat et laboret. Quicquid id erit, ad te fideliter dabo. Georgius uerſiculos certe fecit, et ſimiles facere poteſt, modo negligens non ſit. Dabit propediem ad te alios, nunc ſubito non potuit. Sebaldo heri pulcerrimam emi duobus ducatis Bybliam Hebraicam, ut et ipſe nonnihil habeat ſingulare. Nihil mallem, quam eos ſtudere. In mora ego nunquam ero, modo adnitantur

et ipſi. Iterum uale. Ex Bononia. In die S. Antonii. Anno Domini 1517.

V.

1. *Miſera ſacrarum literarum ſtudii conditio; concionatores hiſtriones. 2. Tumultus ſtudioſorum. 3. Querelis ſuis in Iuſtinian. Cæſarem ad ius emendandum uult permoueri. 4. de litibus quibusdam iudicium profert. 5. exponit ſtudia iuuenum. 6. cognatum commendat et Friederic. Fiſcher.*

S. Laxavi hac hyeme liberas furori habenas, obſeruandiſſime D. Bilib. nunc tandem ad me ipſum redii; reliquum eſt, ut meae temeritati apud te ueniam precer. Tres perdidi menſes. Quid ſi tres aegrotaſſem? Quod ſi furor aegritudo eſt, aegrotaui etiam. Scripſi ſeptem in Iuſtinianum legislatorem illum noſtrum querelas; ſi uitiis eius meoque furori laxiores dediſſem habenas, ter ternos menſes abſumpſiſſem. Non puto, mi D. Bilib. peſtilentiorem unquam in mundo fuiſſe principem, ne tyrannum quidem. Itaque in eum ſcripſi maximo cum dolore, labore quoque haud leui, in ſummis frigoribus, ita ut rigor digitorum ſaepius me ceſſare fecerit, quam laſſitudo; fuit annus iſte grauis, aeſtas calidiſſima, hyems frigidiſſima, qualis in hominum memoria (ut fertur) non fuit, nix alta, glacies diuturna, Padus uelut Hiſter concretus, ligna cara, quanquam fumida. Ego tamen tanto in algore, cum ceteri Germani quererentur et ceſſarent pene omnes, ſemper adhaeſi, uel

libris

libris uel calamo, ut odioſi negotii feſtinatum facerem finem. In ultima carnispriuii die ultimam incepi querelam, quae quarto die finita eſt, ut liberum mihi eſſet, cum Martio meum inceptare ſtudium. Incepi igitur magno cum deſiderio textum percurrere euangeliorum, nunc memoriae generatim per capita commendo, ut ſciam, quum uel Origenem lego uel Auguſtinum, ubi ſit locus, quem citant. Sed miſerum eſt, mi D. Bilib. hic ſacris operam dare litteris, ſine præceptore, ſine libris, ſine refugio. Legunt cucullati, ſed ita, ut in eos uel maxime illa (quisquis eam fecit) quadret ſupplicatio. Nolo igitur meum cum ipſis perdere tempus, meras enim ſophiſtarum (apud te dico) ſequuntur umbras. Nihil igitur hic audio, domi clauſus ſemper maneo, niſi dum templa uiſito. Neque ſermones nunc audio Quadrageſimae, quoniam uerba non ſatis intelligo, et fructum nullum uideo. Agunt plerique ex pulpito magis hiſtrionem (ſi fas eſt dicere) aut tragœdum clamoſum, quam praedicatorem, quam apoſtolum, quam Auguſtinum. Quanquam perſuadent ſibi multi, dum et geſtibus et uoce maxime ineptiunt, maxime ſe tum imitari uel Paulum uel Ciceronem, ficte multi loquuntur, ficte agunt ad populum. Quid mirum igitur, ſi fructum non pariunt? Dum uehementes eſſe uolunt, deblaterant properantiſſime commata multa, ad ſingula mouentes cornicum more capita, ſaltantes, diſcurrentes, exclamantes, brachia iactantes, poſteriora etiam ad populum

Digitized by Google

pulum quandoque uertentes, praeſertim quum paruulum ſuum retro poſitum pro populo rogant crucifixum, plorant foris, rident intus, mireque ſibi placent ipſis. Eſſent in Germania ſtudio meo (ni fallor) omnia, quam hic, commodiora, audirem praedicantes, colloquerer inter conuerſantes, conſulerem, quotquot uelim, libros, atque etiam praedicatores et magiſtros, linguam obſeruarem patriam, ut aeris uictusque et uitae commoditates taceam. Nihil tamen queror, mi D. Bilib. maiora ſunt enim beneficia ueſtra, quam ut queri poſſem. Sed ideo haec ſcribo, ut te praemoneam, ſi quando Dominus meus ſeniores ſuos filios in Germaniam reuocet, reuocer et ego, des operam, rogo, non ut meliorem conſequar uictum, ſed ut ſtudiis meis melius ſit conſultum. Credo, poſt annum illos reuocatum iri. Quod ſi res eſſet mea, poſt alteram aéſtatem, omnes in Germaniam rediremus. Nihil uideo, cur unus dimittatur, niſi forte propter Graeculum unum interpretem, qui cum doctus ſit graece, latine tamen eſt ineptus, tradendique gratiam nullam habet. Non dubito, quin foris uel Caeſarius uel quis mediocriter graece inſtitutus, fructuoſius poſſit iuuenibus graeca interpretari. Crede mihi, non totum eſt aurum, quod rutilat in Italia. Tolle a Germanis crapulam, nihilo erunt Italis inferiores. ſunt hic ſumtus grauiſſimi, ſumma licentia uitae, religio frigidiſſima, armorum mille pericula, homicidia crebra, inſidiae plurimae, hominum contemptus, quaſi parum ſit, hominem occidi.

occidi. Interfectus eſt in ſuperiori alterius anni carnispriuio Germanus, quem domino meo pie defuncto maxime ſimilem exiſtimabam, author caedis adhuc ignoratur. Eſt et factionum
2. non nihil periculi. Erat nuper in armis tota noſtra natio contra totam nationem Langobardorum, cogebar er ego meos duos ſeniores in arma atque adeo in pericula mittere, diſcurrebant per plateas feroces et furibundi, certi hoſtes dedere neci. Incurſabant et domus, res agebatur omni armorum genere, etiam bombardis, Longobardi foris non uidebantur, at intus plurimi congregabantur. Et niſi gubernator ſeſe intermiſcuiſſet, ad manus utique et ad caedem deuentum eſſet; pacem itaque poſt bidui furorem Gubernator indixit; nemo interfectus eſt, pauci, qui caſu inciderant, ſunt uulnerati, offerebant ſe in auxilium nobis Thuſci, Picentes, Hiſpani, Vngari, Poloni, ut ſcholares contra ſcholares uel in media urbe bellum gererent, ſed in tempore eſt res ſedata. Eſt bona nunc inter ſcholares pax, foris bellum et tumultus. Itaque non imus nunc, (ut propoſueramus iuſſu ueſtro) Romam, multae ſunt cauſae, bellum, iter, uictus, latrocinia ſumptus equorum et hoſpitium, quod diſceſſu noſtro perdidiſſemus. Melius igitur uiſum eſt nobis, tunc uiſere Romam et Neapolim, quando uel omnes uel plures noſtrum reuocamur domum, ut equis noſtris inſideamus, non alienis magno aere conductis.

3. Dedi ad dominum Praepoſitum S. Laurentii, inter caetera, duos quaterniones quintae in Iuſti-

Iuſtinianum querelae, ut tibi legendos tranſmittat. Putabam, Holtzſchuer iſtum citius fuiſſe abiturum, alioquin non quintam, ſed ſextam potius tranſſcripſiſſem aut ſeptimam, quae et ipſae breues ſunt. Quartam potiſſime transmiſiſſem. In quinta de legibus tota eſt diſceptatio, ſed nimium eſt prolixa, mi D. Bilib. Habet ſex quaterniones. Quinque item de Republica. Quinque praeterea de bello Gothico. In ſumma ſunt quaterniones 24, duos menſes ſcripſi, unum interquieui. Dices, me aut inſaniuiſſe penitus, aut nimis pueriliter ineptiſſe. Memento tamen, fatuos puerosque et id genus hominum ſolitos eſſe uera loqui. Nihil in odium mortui ſcripſi, omnia pro ueritate et legum reformatione. Credo igitur, iureconſultos me facilius contemnere poſſe, quam uel mendacii arguere uel de ueritate reprehendere. Nimis temere acerbe et proterue ſcripſi? id ideo factum eſt, ut eo citius rei indignitas uel principem uel iureconſultos moueat, quo tandem legum ſtudio melius proſpiciatur. Nihil tamen temere edam. Vellem equidem, ut uel ad Caeſarem uel ad iureconſultos ſcripta prius peruenirent, ut ſi uere ſcripſiſſem, ueritas illos permoueret, ſin falſo et inepte, ut omnia abolerentur, ne ſcandalum pariant. Vni tamen tibi, mi D. Bilib. credam omnia, tuo ſolius iudicio libentiſſime acquieſcam. Attamen ex his duobus quaternionibus haud potes integrum dare iudicium, quoniam ad leges improbitas ibi expreſſa minus ſpectat, mitterem ad te to-

tum

tum, quod ſcripſi, ſed timeo itineris periculum, ne pereat omnis iſte labor, quoniam nihil adhuc exſcriptum eſt, nec exſcribam, niſi iuſſeris dederisque ſpem, poſſe ullum ſequi fructum. De nomine enim meo nihil curo, ſoli ueritati inſeruire uolo. Temere tamen feci, fateor, leges uix in cortice inſpexi, quid tamen? nollem equidem diutius me illis operam dediſſe, niſi meliora tradantur aliquando iuſtitiae fundamenta.

4 Vidi nuper ultimo die Februarii duos illos iuris proceſſus, quos nobis transmiſiſtis; ago gratias tuae humanitati, quod titulos adſcripſiſti, non tamen uafriciem uel aduocatorum uel procuratorum probare poſſum. Nec mihi uidetur aequum, mulierem eisdem gaudere praerogatiuis in donatione a uiro facta, quibus in dote ſua gaudere eam leges iubent, quandoquidem iure digeſtorum eiusmodi donatio non modo non eſt priuilegiata, ſed et prohibita omnino. Nec rurſus in altero proceſſu ſatis aequum uidetur, mulierem, ob unum alienationis uerbum per procuratorem in libello prolatum, perdere debuiſſe omne beneficium et Velleiani et reſtitutionis, cum ſatis conſtiterit, matrem ei promiſſa non ſeruaſſe. Ad quid autem tot proceſſus in una lite haud adeo difficili? An ad aliud, quam ad quæſtum procuratorum et aduocatorum? O quam cito finiri poſſent lites, ſi illorum tricae et praeſtigiae in republica non eſſent. Sed haec tibi tantum dixerim, mi domine Bilib. neminem arguo. In genere queror, quoniam omnis

eri-

origo tanti in republica mali a Thraculo illo uenit. Saepius tamen proceſſus illos uidebo, ut ex eis tuis prodeſſe nonnihil queam. Vtinam et ſtatuta ueſtra habuiſſemus! Iam textualiter eis lego in undecimo libro digeſtorum de ſeruo corrupto. Incepi et dialectices, (quam tantopere in Bruto laudat Cicero) prima tradere rudimenta, et haec quidem mane, poſt prandium Perſium habemus et fiſtulas. Caeteras horas ipſi publicis dant lectionibus. Diebus feſtis iam Pomponium Melam eis ſum lecturus. Vellem equidem omne eis lubens impertire tempus, ſi tantum ſequerentur, quantum ego trahere uelim; ſequuntur quidem, uelim tamen ſequerentur ardentius. Ioannes iuſſu meo nuper Mauſolum Luciani in triduo transtulit, ſine Eraſmi interpretatione, quam interim mecum habebam. Recitauit mihi interpretationem ſuam, nec mihi diſplicuit, ſed tuum erit ibi iudicium. Sebaldus Iudaeum conduxit omni die ad horam. Bybliam habet Conſtantinopoli impreſſam, caram quidem, attamen pulcram etc. Mitto hic filiae tuae choreas aliquot, ſi forte una ex iis placeat. Ceterum de beneficio, quod ſcribam aut petam, non ſatis ſcio. Velim prius ad nos mitteretur filius Gabriel Nutzel, ut totum in hoſpitio noſtro regimen iuuenum mihi liberum eſſet, ne ab aliis malum uiderent exemplum. Iam maxime uelim, eum hic eſſe. Nam duo, qui nobiſcum erant, nunc Romam abeunt et Piſas pro Doctoratu. Alterius Cameram occupat Holtzſchuer, alterius occuparet, ſi adeſſet, Nutzel;

nunc

nunc abeſt; itaque alium recipere ad nos cogi
mur, ne uacua maneat habitatio.

6. Poſtremo eſt mihi Coloniae quidam cognatus
qui ad annos quinque in Svvabach ſcholis prae
fuit, uir bonus et diligens cantu et litteris ſati
ad ſcholas regendas eruditus; uoce item et ſta
tura mediocri. Is me rogauit, ut pro eo apu
te intercederem, quo memor eſſes eius,
quando iſthic uacet ulla ſcholarum. Cred
equidem hominem ad eiusmodi officium ben
eſſe idoneum et utilem. Te igitur rogo, ut
ſi quid eueniat, eius ſis memor. Quaere ta
men ex aliis quoque, qui eum nouerunt;
Svvabach diſceſſit haud ſine laude, ſcripſi et
iam Domino praepoſito de eodem. Non ſcri
berem, nec peterem, niſi crederem, eu
et bonum et utilem fore. Bene uale obſeruan
diſſ. D. Bilib. mihique aliquid, ubi otium eri
reſcribe. Velim certe, ut hoc tempore ſaep
reſcriberes uel paucis uerbis. Non enim po
ſum tibi non timere, ſi peſtis iſthic ingrua
Iterum uale. Ex Bononia Nonis Martii An
no 1517.

Eſt quidam Canonicus nobiſcum Herbipo
lenſis, Fridericus Fiſcher, contubernalis D
Hutteni; is uelit aliquando ad te ſcribere, am
citiae tecum ineundae gratia, monuit me, u
ad te prius ſcriberem beneuolentiamque capta
rem. Eſt uir bonus optimique ingenii, ſcribit a
me ſaepe. Vt autem uideas uel per tranſennam
qualis ſit, breues eius ad me impoſui huic ep
ſtolae meae litteras, quibus de tertia mea i
Thraculum querelam loquitur, ubi Nero

com-

comparatus eſt Thrax, peiorque multo reputatus.

VI.

1. Optat, ut Caeſar, adiuuantibus Pirckheim. aliisque uiris erudittiſſimis, ius reformet. 2. Ferrariae gradus omnes theologiae adepturus eſt. 3. Commendat D. Valentinum Pomeran.

S. Scripſi ad te nuper plurima apud Sigiſmundum Holtzſchuher, Colendiſſ. mi Domine Bilib. Praecipua tamen erat cura de libello ad te dato, in quo contra Iuſtinianum ſcripſi in his, quae religionem tangebant. Caetera remanent hic apud me; fateor illum libellum minus facere contra praecipuum ad leges propoſitum. Sed aliae ſex querimoniae magis ſunt prolixae; iam breuiſſimam ad te miſi. Credo, me ueritatem ſcripſiſſe, falli potero, mentiri non uolui. Congeſſi contra unum illum principem tot per ſeptem querelas crimina et maledicta, quot uere in alium dici poſſe non crediderim. Sic tamen omnia ſcripſi, ut induci poſſet Caeſar, ad ferendam legalibus ſtudiis opem. Non tamen praeſumo, per me fieri poſſe quicquam. Tibi eſt authoritas apud principem et eloquentia. Neque tamen abs te peto, ut nomine meo agas quicquam; res enim me non tangit ſolum, publica eſt querela, non modo ſcholarium, ſed et ciuium atque etiam principum. Satis eſt mihi, iram meam in chartas effudiſſe; neque tamen fuit ira, ſed dolor; feci ego, quod potui. Habet hoc Caeſaris ſaeculum uiros (inter quos te quoque,

B modo

modo adulari me non putes, commemoro), quales multa ſaecula non habuerunt, graece et latine in ueteri Cyclopaedia eruditiſſimos. Hos ſi neglexerit Caeſar, nulla erit poſteritati ſpes reliqua. Ideo maxime uelim pro communi bono, ut Caeſar rem iſtam tractaret, dum lumina iſta luceant, priusquam in noctem, (ut ait Poeta) claudantur aeternam. Quisquis igitur rem Caeſari efficaciter propoſuerit, is ueram laudem apud poſteros maximo cum merito eſt (ni fallor) conſequuturus. Sunt, qui uellent, authoritatem non habent. Sunt Autentici, moleſtiam declinant et inuidiam. Itaque error manebit, ueritasque tamdiu opprimetur, donec in ſeditionem aliquando erumpat contra aduocatorum tyrannidem funiculus patientiae ciuium. Sed iterum dico, feci, quod potui, quantulum id ſit, monſtrare non poſſum paucis, omnia reſcribere nimis eſt laborioſum. Ego nunc maxime in litteris delector ſacris, quas nullo aduocatorum auro mutare uelim.

2. Cras ibo Ferrariam, ut theologiae gradus omnes per octiduum adipiſcar, labore exiguo ſumptibusque non magnis; feſtinandi cauſa. Monachus eſt, qui nunc illic agit maximamque mihi opportunitatem praebet. Iubet Dominus meus Praepoſitus, ne ſine doctoratu ad uos redeam, et quamuis adhuc ſim nudus Deliusque natator, tamen ſpes tua et iuſſus illius me animoſiorem fecere, promittit et Engelhardus meus nonnihil. Ego magnum nihil peto, ſatis mihi erit, qualemqualem habere caſulam, ubi mihi certum ſit domi-

micilium, ne Latonae ſemper ſim filius. Rem tenes. Caeterum huius epiſtolii lator, iuris eſt utriusque doctor, non minus integer, quam doctus et humanus, amiciſſimus ſemper non modo mihi, ſed et nepotibus tuis, totique noſtrae hic nationi chariſſimus, D. Valentinus Pomeranus, apud ducem ſuum non modicae authoritatis. Cupit noſſe te, tuamque ſibi conciliare amicitiam. Vir eſt optimus, cui te mallem eſſe amicum, quam prioribus illis Saxonibus, minus eo doctis minusque mihi tuisque dilectis. Nihil tamen petit, quam te noſſe, amicitiaeque ſe inſinuare tuae. Huttenus dixit, ſe ad te nunc ſcripturum, compoſuit orationes acerrimas moreque ueteri accuſatorias in ducem illum Wirtenbergenſem. Bene uale atque de querelis meis aliquid mihi uel paucis reſcribe. Ex Bononia, 25 die Martii, Anno domini 1517

VII.

1. *Quomodo Theolog. doctor Ferrariae renunciatus fuerit, memorat.* 2. *Munus Pici Mirand.* 3. *Legum reformationem iterum urget.*

S. Hodie octauus fuit dies, a quo ego Ferrariae petii a doctoribus theologiae, ut mihi puncta (uti loquuntur) aſſignarent, ad quae altero die mane pro magiſterio reſponderem; ſtatim ubi iuraui, me ſacris (licet minoribus tantum) ordinibus eſſe initiatum, propoſuerunt mihi puncta, partim ex libro primo, partim ex quarto ſententiarum. Laborandum mihi erat uehementer, ut pro more eorum et pro honeſta-

neſtate patriae reſponderem, iam pridem ab illo ſtudio feriatus, ne dicam alienus; erat inſuper mihi componenda atque adeo memoriter recitanda oratiuncula in theologiae laudem, et publica proteſtatio et gratiarum actio et alia id genus, uelut quaedam cerimoniae; abſumpſi itaque dies quatuor, duos Ferrariae, duos in itinere. Expenſae fuerunt ex toto minus, quam XIII ducati. Vixi illic ſatis laute piſcibus uiuis; habui famulum et equum hoſpitis noſtri, neque tamen plus abſumpſi, quam ſcriptum eſt. Argues me, uereor, temeritatis, neque tamen absque cauſa rem ſum
2. aggreſſus. Caeterum mitto tibi nunc, obſeruandiſſ. D. Bilib. alterum a Pico tuo munuſculum, quod mihi heri ad te transmittendum miſit; petit, ut mittam et tuto et cito. Quid id ſit, neſcio, ipſe mihi non ſignificat, nec ego aperire uolo; ut igitur accepi, ita et transmitto. Venit nuncius iſte forte fortuna, alioquin diutius fuiſſet expectandum, quoniam mihi non miſit in tempore, quando D. Valentinus et famulus Iohannes Praun aderant, quemadmodum ei per ipſius ſacerdotem ſignificaueram. Petit uero ſerio, ut ſibi reſcribas, an et hoc receperis et alterum, quod ante annum (ne dicam biennium) ad te per nos dedit, opuſculum Theophraſti graece exſcriptum. Miratus ſum ego perſaepe, quod tamdiu ad illud tacueris, cum ego non ſemel abs te ſuper eo reſponſum petierim. Neque tamen ille de pede, quem ei per proprium ipſius equitem miſimus, me certiorem fecit.

Rogo,

Digitized by Google

Rogo, mi D. Bilib. et illum et nos certiores
reddas, an illud Theophraſti de eloquentia
graecum opuſculum receperis, necne, et
quidnam iam recipias; timeo enim, ne uir
ille clariſſimus negligentiae me arguat. Quo
autem in ſtatu res ſint Italiae, credo, te me-
lius noſſe, quam nos. Quamuis enim Pon-
tificis res agatur, hic tamen uix muſſitare licet.
Credunt tamen plurimi, ducem Vrbini
Victorem tenere exercitum. Picus ipſe
ab armis iam parumper reſpirat; quamdiu 3.
id liceat ei, neſcio. Vellem equidem, ut
pace frueretur perpetua. Denique tuum de
querela mea iudicium ſuſpenſo praeſtolor ani-
mo; res ea me non mouet amplius, totus
enim nunc ſacris deditus ſum litteris. Si ta-
men labor meus ille temerarius debeat quantulo-
cunque eſſe uſui, id in tempore fiat, neceſ-
ſe eſt. Nam et Caeſar ſenex eſt, et uiri, in
quibus ſpes reformandarum legum eſt, ſenes
ſunt itidem. Sed timeo, ne me rideas pro a-
lieno tam ſollicitum ſtudio. Bene uale, opti-
me ſtudiorum parens, et me, quaeſo, com-
menda apud dominos meos D. Hier. Ebner,
Hier. Holtzſchuher, Laz. Spengler et Caſp.
Nutzel, de cuius agnato, fratris filio, tibi
prioribus ſcripſi. Iam camera ſexta uacat.
Petiuimus ab hoſpite noſtro, ut aliquanto
tempore expectet, donec reſponſum iſthinc
recipiamus. Maxime eſſet commodum nobis
omnibus, ut alienus inter nos non ſtaret.
Quod ſi Nutzel uenire aut non uult, aut non
poteſt, alius forte mittendus eſſet, aut ſaltem

breui reſpondendum eſt, ne hoſpes diutius fruſtra expectet, cum camera uacua. Iterum uale. Ex Bononia 3 die April. Anno 1517.

VII.

Cochlaei querelas in Iuſtinianum improbat Bilib.

S. Ante horam a D. Valentino Stegentin litteras mihi attulit ſcholaris quidam, qui ſimul in menſa tua conſedit, quando in die reliquiarum opiparum exhibuiſti conuiuium uiris multis, ingenioſis omnibus, quo de D. Valentinus me tibi gratias nomine ſuo agere iubet. Sed quod ego iuris reliquerim ſtudium et in Iuſtinianum querelas conſcripſerim, a te non probari accipio. Id ueritus ſum antea, propterea unius exemplum inſcriptum ad te dedi. Quid enim, colendiſſime mi Domine Bilib. ſi ſemel feci, quod tibi diſplicuit, ſi bona fuit intentio mea? Facis contra conſuetudinem omnino tuam, quod tam certum absque litteris tuis nuncium atque adeo hoſpitem tuum ad me ire permittis, cum non ignores, uehementiſſime me tuum expectare iudicium, non tam de querelis illis, (quae tutiſſime latitare poſſunt) quam de doctoratu. Quid me ita ſuſpenſum relinquis? Si iraſceris, ſaltem cauſam exquire. Ne tamen iterum tibi Colonienſis uidear, (quanquam iram tuam ſemper maxime timui) iſta res me non mouebit, priusquam tuas uidero litteras. Heri plurima ad te ſcripſi. Hodie ex Senis multas accepi litteras, de quibus ne graueris, te rogo. Vir bonus eſt (ni fallor per omnia), qui mittit. Vale optime D. Bilib. pacem iam

habe-

habemus, neſcio autem, quam fidam. Multi Germanorum recedunt. Ex Bononia XII. Maii, Anno domini 1517.

In iure lubentiſſime ſtudere uelim, nihil autem uideo certi, ſed tamen omnino tuam expecto ſententiam iuſſumque, a quo hactenus me receſſiſſe non ſcio.

IX.

In Iuris Canonici ſtudio uerſatur. 2. excuſat querelas ſuas in Iuſtinianum.

S. Deſine, quaeſo, obiurgari atque iraſci, mi D. Bilib. nam Canoniſta ſum, et increpationem tuam praeuenire uolui. Quod ſi meam, quam per St. Praun, Praepoſito meo miſi, epiſtolam legiſſes, haud ita aſpere (quanquam aſperum mihi non fuit) me ad Vaceas abegiſſes. Quippe cum totum percurriſſem nuper Decretum, nonnihil ex eo ad illum ſcripſi, et quemadmodum mihi illa placuerit lectio, aperui. Viſitaueram item lectiones aliquot (quanquam paucas), priusquam tuam receperim epiſtolam, quae integrum menſem in itinere fuit. Circumſtant me tribus Rotis Corpora iuris utriusque, Abbas, Speculator, Felinus, Decius et duplex ſumma, recens utraque, hic impreſſae. Dabo itaque operam, mi D. Bilib. ut illi ſtudio ita incumbam, ut me nemo, qui aequo temporis ſpatio mecum currit, aut conſilio aut ratione ſuperet, modo incolumis maneam, ſaluusque ad uos aliquando redeam. Opinionem tamen 2 meam

meam de legum ſtudio nondum muto, niſi me iubeas. Tanta eſt enim tua apud me authoritas, ut uel inuitus tibi meus in quibusdam aſſentiatur intellectus. Voluerunt (fateor) nonnulli me alio trahere. Te tamen prae omnibus indubitato ſequar. Ne tamen credas me omnino absque ratione temere in Iuſtinianum et Gloſſatores eius ſcripſiſſe, unum tibi hic mitto Quaternionem, raptim exſcriptum, quem legas, rogo, ſi non totum, ſaltem a medio incipe, ubi multa quidem eſt uerborum petulantia, cui precor ignoſcas, rationum tamen ſub iis non omnino uana (ni fallor) eſt argumentatio. Lege, quaeſo, meum Accurſium, cum quo tam petulanter luſi, non ſine multo, (cum ſcriberem) riſu, non, ut ſcurrilitas illa publicetur, ſed ut animus meus in iocum quandoque ſolueretur. Scribunt alii carmina, alii obſcuras epiſtolas, alii aliud, noli quaeſo me ſolum prohibere, ne quando ludam, quanquam iocis illis ſubſit, (ut puto,) ueritas ea, quae poſſet, ſi audiretur, dum Reuchlin uiuit et Eraſmus, non ſolum ſtudiſis, ſed et reipublicae uniuerſae aliquando prodeſſe. Ne tamen exiſtima, ullum in periculum aut laborem ex hoc te ſollicitari a me. Tutiſſime latitabunt omnia, ſi tamen aliquando ad te Deus me reduxerit, ea de re libentiſſime tecum conferam. Nunc Ius Canonicum perſequar, ita tamen, mi D. Bilib. ut nimium in eo non morer, rixoſas ſcribentium opiniones disquirendo. Ad Rhetoricam animus meus uehementer anhelat, ut

Digitized by Google

ut diſcam aliquando ex arte loqui. Credes tu, tres menſes male me perdidiſſe. Ego itidem tibi ſcripſeram, non certe, ut omnino ita ſentirem, ſed ut ueniae praetextum quaererem. Quomodo enim male perdidi in tantis uigiliis tres menſes? An in uita tempus ullum melius collocaui? Non puto, modo id aſſerere pudor non ſit. Nam quanquam materia ipſa latitabit, tamen tot in ea comprehenduntur leges et hiſtoriae rationesque (niſi proprium me fallat opus) cum dialecticae tum rhetoricae, ut ipſa ſcribendi exercitatio, in tam uariis dicendi figuris, per ſe mihi ad fructum tantilli temporis ſufficiat, quanquam nulla adeſt uerborum uenuſtas, nec ulla dicendi ars. Quia tamen proxime legeram Tullii orationes, uolebam Verrinas imitari, longiſſimo per umbram interuallo, ſed ſtatim ſpes cecidit. Veniebat poſt inceptum inhibitio tua, angebat periculum, terrebat me nouitas et frigus foris erat moleſtiſſimum. Effeci tamen, quod antea nunquam feceram, a paruis enim incipiendum eſt. Ego, mi D. Bilib. omnem conatum eo referam, ut patriae et amicis aliquando utiliter inſeruire queam. Neque uereor, ſi minus euadam diues aut honore ſplendidus, ſatis ſuperque mihi erit, ſi paruulum mihi ſit domicilium, in quo mecum enutrire queam, non uaccas magnas aut equos, ſed cattum unum cum catulo cuſtode et matrem anum. Caetera diis curae erunt, dummodo *multis* utiliter ſeruire ualeam. Velis tu magnanimum me effici, uelim item

ego quoque, mi D. Bilib. neque animus mihi deeſſet, euehendi me uel ad elationem usque, ſed cohibent me multa uanitas mundi, breuitas uitae, fortunae exilitas, corporisque uarii defectus. Libentiſſime itaque in imo repam, dummodo nonnihil proſim. labor certe et cura non deerunt, modo Deus ſuam a me gratiam non elonget, ſed haec nimis ſunt ſeria. Memento, quaeſo, Aecurſii noſtri, mihique aliquid reſcribe, an iuſte ſit uno in loco tam ſcurriliter a me reprehenſus, ac ludificatus. Rogo tamen, dicendi quoque figuras (ſi forte quas conſpexeris) animaduertas, ut ad rhetoricam magis me incites. Omnia certe ſcripta tua eo animo ſemper accipio, quo tu ſcribere ſoles, optimo ſcilicet et gratiſſimo. Bene uale, mox iterum ſcribam apud Ier. Petz, has apud Magiſtrum Lucam Bononienſem, qui cras in Germaniam abiturus eſt. Ex Bononia, 28. Maii, Anno 1517.

X.

Huttenum, ex Italia diſcedentem, ualde laudat commendatque.

S. Redit in Germaniam noſter Huttenus, Colendiſſ. mi D. Bilib. cum meliori (faxit Deus) fortuna, quam fuit hactenus uel in Germania uel in Italia. Queſtus ſum ſemel id de Germanis propter Eraſmum tuum, imo ſingulare illud Germaniae decus, quod Baſileae ſuarum cum diſpendio rerum fuerit. Poſſem et propter Huttenum conqueri, quem neglexerunt Germani, compilarunt Itali, uulnera-

nerauerunt Galli. Quod ſi tantum iſthic negligitur ingenium, quid aliis ſperare licebit? Sed ego, dum tu uiuis, mi D. Bilib. iſta non timeo, ſecurus ſtudeo, modo Deus det, ut incolumis ad uos aliquando redeam. Fuit his diebus Venetiis Huttenus, cum gentilibus ſuis, Hieroſolymam proficiſcentibus, quos uti[illegible] comitatus eſſet, niſi Crotus Rubianus, Vulpinorum praeceptor, eum retinuiſſet. Rediit heri ueſperi, mane me hodie uocat, ſuumque in Germaniam diſceſſum aperit, ac ſeſe offert litteras meas ad te ferre, cras mane abiturus. Itaque raptim aliquot ſcripſi epiſtolia, at te quidem iuſſu illius, ad alios mea ſponte, ut Auguſtae et Ingolſtadii tantum ingenium a bonis uiris honorifice exciperetur. Ad te, mi D. Bilib. quid ſcribam aliud, niſi ut hominem ternario illi (quo de nuper tecum luſi) chariſſimum pro tua erga doctos conſuetudine ſuſcipias. Vnum tamen me rogauit liberrimum illud litterarum mancipium dicam an praeſidium, an potius utrumque, ut ſecreto tibi ſcribam, ne pompa illum Norimbergenſi (ut uulgo dici aſſerit) excipias. Nam non fercula tua, magnifica alioquin et lauta, ſed docta tua colloquia petit, non ſine uiarum diſpendio. Quo uero ſe recepturus ſit, neſcio, neque tamen dubito, quin ſecretiora tibi, quam mihi ſit commiſſurus. Hominem ego tantum ingenio, ſtudio, eruditione, gentisque ac patriae amore atque illuſtratione uehementer et laudo et honore proſequor. Vereor tamen, ne Germanica illa libertas, ſi

non

non temperetur, grauior ei aliquando ſit futura; retrahet eum Eraſmus, retrahe et tu quaeſo, ſi commode poteris, ne forte barbarorum inſidiis tanto praemature ſpolietur ingenio communis patria noſtra Germania, non poſſum aperte loqui ego, tu tamen ex ipſo [illegible] omnia intelliges. Scribit ad te et Fridérichus Canonicus, qui uehementer interim expectabit reſponſum tuum, ut intelligat, ſe tibi litteris ſuis non fuiſſe importunum. De Hutteni diſceſſu nepotes tui nihil ſciunt, uoluit ille ſecretum eſſe, ne forte inſidiis intercipiatur. Nos hic agimus ſani quidem, at nimium calidi, ueſtrum praeſtolamur reſponſum, multa de nobis ad uos antea ſcripſi. Cras quoque aut propediem ſcribam, quando redierit Pater Guardianus. Credo nos optime poſſe Romae agere hyemem. De duorum reuocatione omnia in ueſtram conſultationem repoſui. Bene uale ac Huttenum pro tua humanitate benignus excipe, Ex Bononia ſexto Kal. Iulii. Anno domini 1517.

XI.

1. Huttenus libellum Laur. Vallae contra Conſtantini donationem uult in Germania edere. 2. lectiones publicae iur. Canon. inutiles. 3. Cardinales XXXI creantur.

S. Quid tibi ſcribam noui, humaniſſ. D. Bilib. neſcio, quanquam noua ſunt plurima, at nobis omnia aut incerta aut ingrata. Abiit ad uos ante octiduum noſter Huttenus, homo ingenii magis acuti et acris, quam placidi et quieti. Dedi ei litteras, quanquam

quam uiſus fuerat a nobis nonnihil abalienatus. Amo equidem hominis ingenium, ferociam eius non ita, longe certe facilius abſentem, quam praeſentem (ita tecum loqui libet) amicum ſeruabo. Pridie, quam recederet, apud me uidit. Lau. Vallae libellum contra Conſt. donationem, quem ego ad modicum tempus uidendum ab alio commodatum acceperam. Vult homo eum libellum in Germania rurſus impreſſioni mandare; petiit, ut libellus iſte, quia correctior eſſet, transſcriberetur, non potui ei id denegare, transſcriptus eſt a Friderico Herbipolenſi, transmittetur ei post paucos dies, ſed et foris habent exemplaria. Credo equidem, ueriſſima eſſe, quae ſcripſit. Lau. Vereor tamen, ne tuto edi queant. At Huttenus anathema non formidat et indignum mihi uidetur, ut ueritas a ueritatis gladio prohibeatur. Facile igitur illius auſu in lucem Laurentii libertas, qua haud inferiorem Francus ille gerit, redibit. Scribunt ſuper commenticia illa donatione commenta multa Canoniſtae et Theologi et Cucullati, ſed omnium ratiunculas, immo captiunculas quisque, cui non nihil ſit cerebri, facile refelleret. At ego contra Canoniſtas loqui non debeo, ne tibi uidear rurſus eius ſtudii apoſtata, non certe id deſero, quanquam magna cum diſplicentia plurima lego, praeſertim ea, quae ſunt in ſexto et clementinis, ubi nulla uerboſitas Pontificum auaritiae ſatisfacere poteſt. Adigis tu me ad lectiones publicas, ego certe lubens pareo, ſed ut paucis diebus per annum legitur, ita in 2.

diem

diem unum ultra duas lectiones audire in eo ſtudio non licet. Ego uix unam audio, primam ſcilicet ubi tres ſunt lectores, hora illa concurrentes, inter quos doctiſſimus docendi gratiam non habet, alter ex cathedra percipi non poteſt, tertius eſt ita eruditus, ut minimo per lectionem negotio in contrariam partem uel paruo argumento flectatur. Attentaui id aliquoties, nunc potius eo tempore miſſam audio, ne tempus perdam. In altera hora duo legunt, alter lingua uelox et legum blaterator, alter iuuenis non admodum doctus. Quid uis igitur, ut faciam? Credisne uelle me negligenter tempus terere? Quod publice non poſſum, domi utcunque ſuppleo. At dices, cui nemo placet et is nemini placet. Fateor, neque tamen nemo mihi placet. In plurimis mihi et Bartholus et Panormitanus placent, at ſuper omnes placet mihi ſumma Syluestrina, ubi per compendium intelligere licet ea, quae in ſcribentibus per mille ambages longo tempore ingenti labore uix conquiri poſſunt, placet et ſpeculator. Cum aliis quid uis ut faciam? nonne, quod affirmat unus, negat alter? ſaepe etiam ſtudioſe? Annon tempus mihi breue ſupereſt et Gloſſarum ſcribentiumque pelagus eſt immenſum? Per integrum annum uix tria aut 4 exponuntur publice capitula et ea tamen ſumma cum incertitudine. Visne, ut eiusmodi nugis ſim contentus? ſi ita iuſſeris, mi D Bilib. haud cunctanter parebo, quanquam id mihi minime uideatur uel operae uel impenſae pretium.

Sed

Sed fruſtra haec ſcribo nunc, quoniam, priuſquam reſcribere queas, uacantiae indicentur. Iam calor nimius omnes lectiones aut inuitas aut deſertas facit. At domi nec frigora nec caumata a libris me hactenus prohibuerunt. Tuis exemplum praebeo, non tamen ſequuntur tantum, quantum uelim. Duos maiores pater iam pridem domum reuocare propoſuit, nos in horam iuſſa ueſtra expectamus; ſi res mea ipſius propria eſſet, domum utique reuocarentur hoc autumno proxime futuro. Nos uero reſidui Romam iremus, niſi noua nos Pontificis turba et machinatio retraheret. Velim, ut mihi eam rem committeretis, ut liceret mihi uel manere uel alio concedere pro temporis uel neceſſitate uel opportunitate. Poteſt enim ſubito caſus quispiam offerri, ubi non liceat ſcripta uel reſcripta ueſtra ſemper expectare. Nolim ego ueſtros dolo malo ſeducere, uereor tamen, ne ſemper poſſimus tuto manere. Sed pro ueſtra ſapientia bene diſponetis apud nos omnia, noſtrum eſt parere, ueſtrum dirigere et imperare, ſi tecum eſſem, ſecure poſſem ſecretiora quaedam proferre, id, quod maxime uellem, ſed expectanda dies eſt. Bene uale. Ex Bononia, 5to die Iulii, Anno Domini 1517.

Mirandulam obſideri audio, nihilominus tu illi reſcribe, ne doli me ſuſpectum agat.

Vide, quaeſo, monſtrum, 31 Cardinales una creatione dicam, an dinundinatione factos. Non ſatis erat, deiectis bona ademiſſe, ferunt ex adiectis Pontifici accreuiſſe ſupra 400 millia

duca-

ducatorum, opima credo ſpolia exuli futura duci Vrbini; ſed non dico ego, ne anathema fiam. Dicunt Cardinalatum uendi licere, ſicut reliqua officia.

XII.

Beneficium, Weinprenners, cuius patroni ſenatus Noriberg. obtinere ſtudet.

S. Ego tibi plurimis obſtrepo litteris, Humaniſſ. mi D. Bilib. non tam neceſſariis, quam officioſis et affectu plenis. Nunc tamen nonnihil neceſſitatis me habet. Heri ex urbe litteras accepi D. Andreae Buel, praepoſiti (ni fallor) in Spalt, noti in Banco Fuckerorum etiam iſtic. Is offert ſe amore Engelhardi,aſſecurare penſionem XVIII fl. quotannis de beneficio Weinprenners praeſtandam, in ſua praepoſitura, ut mihi ſub ea penſione a D. Iohanne Schonret, Parafernario olim Iulii Ep. reſignetur. Mihi dubium non eſt, quin tibi optime conſtet, propter illud beneficium, fuiſſe aliquando uehementer ſollicitum Dominum meum pie defunctum ut e manibus curialium extorqueret, quo Ius Patronatus ad Senatum noſtrum rediret, eoque tandem perueniſſe, ut Senatus conſenſu Georgius eius tunc ſcriba beneficium illud ſub penſione (ſi recte memini) 22 fl. obtineret, quanquam amicus ille noſter, Turricola ueſter, tum dixit in odium domini mei, beneficium illud conferri ita in eum, qui uix ſemel Donato in latus eſſet impulſus. Sed et eius malignitas et Domini mei conatus nihil tum effecerunt. Sollicitauerunt interim et alii, ſed fruſtra. Quod ubi intellexi, Engelhardum no-

noſtrum eius rei commoneſeci iampridem ultra biennium, nunc eo res uenit, ut mihi beneficium illud ſub penſione 18 fl. reſignetur, accedente et obtento prius Patronorum conſenſu, quo de ego minime dubito. Neque tamen tam cito Senatui ſcribere potui, quandoquidem de nuncio hoc uix 2 horas habeam. Et tu non neſcis, me imperitum eſſe eius ſtili, quo Senatui ſcribi ſolet. Credo equidem, per te et patronos meos rem facillime expediri poſſe uerbo uno, cum potiſſimum ad gratificandum ſenatui res tota ſit inſtituta. Si tamen opus erit, ut ipſe litteris a Senatu conſenſum petam, faciam id lubens, ſed te antea quoque rogaui, ut in germanicis me epitheris paucis inſtruas, forte tu illa (ut multa alia) in aduentum noſtrum reponis, quod aequiſſime fero. Petit D. Andreas Buel a me mandatum ſpeciale ad eam reſignationem et in penſionem illam conſenſum. Ego mox utrique reſcripſi, me pro conſenſu ueſtro quam primum ſcripturum. Quod ſi conſenſus a ſenatu ſine litteris meis commode peti non poteſt, facite, ut intelligam. Bene uale et de ſuorum reuocatione et noſtra manſione nos facite (quaeſo) certiores et tu et Patroni. Ex Bononia 18 Iulii Anno 1517. Hodie indictae ſunt uacantiae usque in Nouembrem.

XIII.

1. *Accuratiore de ſtudio iuris excuſatione uti debet Cochl.* 2. *De Hutteno, Eckio, Reuchlino, Pico.* 3. *An beneficium VVeinbrenners ſibi petendum ſit, haeſitat.*

S. Increpatio tua, opt. mi D. Bilib. ut fidelis, ita et neceſſaria prorſus fuit; fateor equidem, me multo fuiſſe ad te ineptiſſimum, ſed quae tua eſt erga me, quanquam non meritum, humanitas, ſimplicitati meae friuola illa condonabis; nihil enim unquam ad te iniquo ſcripſi animo, ſed neque ſuſpicione (quod ſciam) ſiniſtra, quanquam ſollicitum me fecerat D. Valentinus, qui mihi litteris ſuaſit, ut accuratiori ad te uterer de iuris ſtudio excuſatione. Iram tamen tuam nunquam ut inimici timui, ut parentis uero ueritus ſum et uerebor, quoad uixero. Vtinam ſic ueriti fuiſſent meam illi (rem tenes), qui debuerunt. Erubui quidem uehementer, quando tua legi; ſed longe ſatius eſt uel rubore melius erudiri, quam a tergo uel contemptui uel detractioni ſubiacere. Gratias igitur ago tuae correptioni tam fideli, et te rogo, ne ineptias meas oſtentandi (quarum me pudet et piget) gratia ad te miſſas putes, ſed tantum amiſſi per eas temporis excuſare me uoluiſſe credas. De quibus poſthac ne uerbum quidem unum.

Nunc alteras abs te litteras accepi, et eas quoque (ut omnes tuas) per quam gratiſſimas ac dignas, de quibus gratias tibi agam plurimas. At tantum abeſt, nepotibus me duriorem fuiſſe (quanquam tentaui omnia), ut ipſos de me queri auſos non exiſtimem, neque ullo modo timeam. At magis uereor, ne lenior fuiſſe, quam oportuit, uidear. Feci certe quod potui. Quod Hier. Petz mihi atque

que adeo ſibi impoſuit, ipſe uiderit, modo 2
tu non aegre feras. Quod Huttenum amas, facis, quod litterarum Heroa decet; ego inſolens uerbum non reddidi et apud contubernales eius ſum frequentiſſimus. Neque ſcio, quem ex litteratis amicis unquam perdidi praeter D. Eckium, qui tamen me uere nunquam amauit. Quae de libris et Roma praecipis, diligenter peragam omnia. Litteras Io. Reuchlini accepi, librum eius nondum, quoniam Petz cum mercibus adhuc Veronae eſt; at litteras tuas Pico nuper transmiſi. Habuit optimus uir Gallos ſibi iampridem infeſtos, ſed ego nihil certi de eo perquirere poſſum. Et de noſtro itinere adhuc ſum ualde incertus, Tuſcia enim Vrbini ducis incurſionibus eſt obnoxia. Niſi igitur tutum nobis aperiatur iter, nusquam abire auſim. Audiui generum atque adeo filium tuum graui laboraſſe morbo, cui quia condolui, congratulabor etiam, ubi ſibi redditum accepero. Bene uale obſeruandiſſ. mi D. Bilib. Ex Bononia 3 die Septembris
Anno 1517. 3

Sub idem tempus ex urbe litteras ab Engelhardo noſtro accepi, quibus de aduentu noſtro mihi reſpondit, et inter caetera de conſenſu Patronorum, ut mihi reſignetur beneficium Domini olim VVeinprenners ſub annua penſione 18 fl. rhenenſium. Ea de re te nuper et Patronos meos conſului. Poſtea ex litteris tuis meliorem ſpem accepi ſuper integro et libero beneficio. Nunc igitur prudentiae tuae totum relinquo negotium, ſi mihi be-

neficiolum illud, tanta penſione grauatum, futurum eſſet impedimento a recto et pleno beneficio iſtic impetrando, mallem (niſi aliud iuſſeris) ſpem ſenatus amplecti, quam ita oneratum beneficium. Sin uero credas, Senatum mei nihilominus memorem fore, oneratum acceptabo. At aequum eſt, Senatum illud mihi non imputare, non enim neſcit, quanto ſtudio laborauerit olim Dominus meus pie defunctus, ut illud e manibus Curialium extorqueret, ſuoque tum famulo ſcribae impetraret, maxime (ut aiebat) ea de cauſa, ut ad Senatum rediret ius Patronatus, quod et in perſona mea futurum eſt, non igitur deberet mihi a meliori eſſe obex aut obſtaculum. Itaque tibi ſoli nunc ſcribo, ut, qui prudentiſſimus es, perpendas, quidnam mihi faciundum ſit, quod foret et e re mea et ex uſu reipubl. Quicquid in ea re feceris, et ratum et gratum habebo; mihi reſcribens litteras Romam Engelhardo noſtro transmitte, neſcio enim, quando uia nobis fiat tuta, quod breui futurum ſpero. Bene uale.

Huic epiſtolae ſchedula haec adiicienda uidetur, qua Pirkheimerum de cauſa quadam falſae monetae conſulit.

Dixit mihi Hier. Petz, uocatum ſe eſſe in ius a quodam falſae monetae non ſolum reo; ſed et condemnato propter 80 fl. quibus eum falſarius ille ex falſa moneta obligatum agit. Conſului ſuper ea re D. Hippolitum de Marſiliis, in criminalibus cauſis expertiſſimum, qui

qui mihi reſpondit, quod Petz non ſolum non teneatur debitum illud exſoluere, ſed et damna ſua (quae ex falſa moneta tulit) recuperare optimo iure poſſit, et allegabat mihi breuiuſculam legem, cui initium eſt: nihil intereſt ff. ad L. Corn. de ſic. Nunc Petz dicit mihi, mulctatum ſe eſſe 50 fl. et in debitis, quae repetere non audet, perdere ſe ad 250 aureos; conſtare item, quod, iuſſu ſenatus, monetam dederit publico uiro monetario, qui pro quinque uix unum denarium probae monetae reddiderit. Ex quibus colligi poteſt, quod 80 fl. falſarius ille iniuſte petat, cum cauſſam tanti damni ſciens ex dolo dederit. Tu, qui et iuris et patriae conſuetudinis es expertiſſimus, quod bono uiro faciundum ſit, uno uerbo docere potes, conſulendo ſc. an litem proſequatur, an potius deſiſtat. Memento item mei, quaeſo, cognati, ſi quando ſchola uacauerit. Iterum uale.

XIV.

De Florentinae urbis pulchritudine librisque uariis.

S. Vidimus Florentiam, quae Italorum, ut noſti, prouerbio *bella* dicitur, epitheto ſane haud ementito, neque tamen quicquam nobis uiſum eſt bellius, quam maior (ut uocant) eccleſia, non tam intus, quam extra; eſt enim ueſtita et marmore et alabaſtro, opere uariegato, impenſis infinitis. Caeterum, quod ad forum tuum faceret, officinam intrauimus literariam, uidimus nonnulla ibi

opera graecis litteris impreſſa, quorum plurima te habere non ignorauimus, de nonnullis dubitauimus. Impreſſae ſunt orationes Ariſtidis, licitanti mihi duobus ducatis uenales proponebantur, ſed minoris emi poſſent. Dionyſii opuſcula (ſi modo dici opuſcula poſſunt; quia ſublimitate ſua omne pene ingenium excedunt humanum) emi, uti ad te ferantur, nomine meo munuſculi loco, quae Magiſter Lucas Bononiam referet, ubi nepotum tuorum praeſtolabuntur aduentum, ut ſimul cum aliis ad te eant, quae uſui tuo commodata uidebuntur Romae, Neapoli et Venetiis. Bene uale opt. D. Bilib. clientuli tui memor. Ex Florentia, XIV die Septembris Anno domini 1517. Voluimus alloqui filium Iohannis Tucher in lactis foro, at nusquam apparuit, nec eius domicilium comperire potuimus. Inuenimus alios duos iuuenculos, unum VVernlein, alterum Sebaldum VVulckenſtein, pueros. Via pacata eſt. Papa multos congregat milites, ſed mihi omnia ſunt incerta.

XV.

1. *Libri cuiusdam ſupplementum mittit.* 2. *Practicae operam dat.* 3. *Beneficium, de quo antea, recuſat.* 4. *Commendat ciuitati ſyndicum, Carol. Miltiz.*

S. Venimus Romam die Septembris 20, colendiſſ. D. Bilib et in publico diuerſorio manſimus diebus X, nunc in priuatam domum conceſſimus, ubi et ſtudiis et ſumtibus maior eſt commoditas. Inueni dominum Andream Kunhofer, in monte Quirinali,

ui-

uirum procul dubio eruditum, a quo quaterniones aliquot accepi, iuſſus, ut poſteriores ſimul cum primo folio tibi transmittam, tuque reſcribas, quantum tibi deſit, ut reliquum quoque recipias. Neſcit enim, quot receperis, dicit ſe bis aut ter miſiſſe. Nihil autem pecuniae uult recipere, credo, eum nihil erogaſſe, forte corrector fuit impreſſorius. Tuum eſt, opt. D. Bilib. breui reſcribere, quidnam eo de libro ad te peruenerit, ut totum recipias, ſimul queme doceas, quidnam mihi ſit agendum de beneficio; malo certe ſpem ſenatus, quam beneficium tanta penſione grauatum, ſcripſi tibi de XVIII fl annua penſione, iam dicunt mihi de XX. Ego quieſco, donec tuum intellexero conſilium. Non lubet magnopere, ob tantillum beneficium, (ex quo nihil pene commodi ſit) ad horas me canonicas obligare, praeſertim in ſtudio, maxime, ſi ex hoc ſenatus promiſſum euaneſcat. Nihil igitur praeter tuum conſilium agam. Iohannes et Sebaldus cras Neapolin ibunt, quibus ad te mox longiores litteras dabo. Papam habuimus ad Viterbium nobis obuium uenatorem; fama de pace inita frequens erat, at frigeſcit, neſcio quo pacto, ſed id parum ad nos. Practicae nonnihil operae dabo; heri prima habita eſt audientia, legebantur conſtitutiones et Auditorum Decanus orationem habuit, ſed tantus erat ſtrepitus, ut nihil percipere licuerit, ferunt pleroſque eſſe parum doctos. Nimia eſt certe hic uitae licentia, ſed quis-

que pro ſe reſponderit. Ego pro me meiſque curabo, ne tempus magnosque ſumtus inutiliter perdamus. Bene uale et me (uti ſoles) dominis meis commenda. Ex urbe, 3 die Octobris Anno domini 1517.

3 Volui dare Engelhardo ad te quaterniones aliquot, ubi autem intellexi, malle eum, ut per nepotes tuos ad te ueniant, retinui. Sunt illi nunc Neapoli, mox (ut ſpero) reuerſuri, ut hinc in patriam confeſtim abeant. De beneficio uti pie agere cepiſti, ita quaeſo reſcribe, ut ſciam, quid faciundum ſit. At dices, me cupiiſſe illud; fateor equidem, maxime, ut Senatui ius Patronatus liberum fieret, at neque de penſione tanta ullum unquam uerbum intellexeram, neque de petendo a Senatu conſenſu ſciueram aliquid. Malo igitur, illud penſionatum (ut aiunt) beneficium, quam ſpem ſenatus (qua de certiorem me nuper feciſti) mihi intercipi. Idem uult et Engelhardus. Tuum eſt igitur, opt. mi Bilib. paucis reſcribere, tum de Graeco commentatore, tum de beneficio ſpeque Senatus. Interim quieſcemus, nam et Engelhardus, nihil uult, priusquam reſcripſeris, agere. In eruditione Graecanica D. Andreae et ope utemur et conſilio. Iterum uale. Die Octobris Nona. opt. mi D. Bilib. Syndicus ueſter D. Caſpar VVirt, nunc in urbe non eſt, nec forte breui aderit; ſi alio egeretis, eſt hic D. Carolus Miltitz, quem noſſe te puto, iuuenis alacer, ſollicitus et impiger, ſcriptor et camerarius Apoſtolicus, magno praeditus fauore pluri-

mo-

morum et gratia Pontificis, ciuitati noſtrae maxime amicus, et mihi a puero, cum eſſet Coloniae, benignus et familiaris, quo nunc non eſt inter Germanos hic famatior inter tot, quae obit negotia. Is igitur commodiſſime (ni fallor) poſſet illi ſeni in negotiis ſuccedere ueſtris, ſi foret opus. Nihil tamen abs te in hac re peto, monuiſſe ſatis eſt.

XVI.

Beneficii ſui Francofurtenſis ad D. Barthol. conditionem deſcribit.

S. P. Veni huc ſatis adhuc bonis auibus, obſeruandiſſ. D. Bilib. nihil in itinere paſſus ſum aduerſi, niſi quod libri a raptoribus fuerunt uiolati magis, quam ablati, perdidi paucos, ſed leuem reputo eam iacturam, ſaluis reliquis. Suſceperunt me canonici mei admodum officioſe, mane mihi in ponte uenerunt obuii, et ſtatim introduxerunt me ad participandas praeſentias, quas tamen non quotidie in pane et uino (uti plerisque fit in locis) diſtribuunt, ſed hebdomadatim in pecuniis expendunt. In reditibus nihil uini habemus, ſolum pecuniam et frumentum. Mihi quibusdam carendum erit menſes 18. Et primis ſex menſibus extra muros pernoctare mihi non licet; ideo litteras tuas Moguntiam per alios mittere cogor. Miſiſſem iam dudum, ſed neuter iam domi eſt; Decanus in Aſchenburg, Regens terrae, Zobel Wormatiae; ferunt tamen utrumque breui rediturum. Dom. Iac. Heller ipſe tuas at-

ſuli literas, ſed aliquanto tardius propter occupationes. Offert ſe uir ex literis tuis ad omne humanitatis officium. Laudat noſtrum ſcholaſticum, ſecundum poſt me praelatum: quod ego perquam libenter audiui. Nam ille ualde beniuolum ſe mihi exhibet homo ſenex annorum 64 non tam doctus, quam expertus, ſed habet et aemulos et aduerſarios. Nam Decanus S. Barthol. parum bene uult ei, et omnes pene Vicarii eccleſiae noſtrae illi aduerſantur, mouent inuicem lites Moguntiae, opponunt ſe uicarii contra totum capitulum. Ego antequam ſex menſes pertranſeant, in capitulum non recipiar. Ideo laborabo interim pro concordia, neminem offendere cupio. Domus mea amplior eſt, quam ut a mea repleatur ſubſtantia; et pars altera ruinoſior, quam ut poſſit nunc a me ſatis inſtaurari, et prouentus quoque minores ſunt, quam fama ferebat. Ego tamen bene contentus Deo gratias ago; plus honoris, quam expeto, mihi exhibetur, et paucis uiuere, facile me docebit uita canonica, ſed et mater mea tenacior eſt, quam ut ſinat inutiles fieri expenſas. Maxentii opuſcula nondum abſolui, breui autem abſoluam et hinc recta mittam ad Hagenavv. Tu, quaeſo, ignoſce longiori fabulae, et Dominis meis Senatoribus, ſi forte quando de me fiat mentio, me commenda et excuſa, ſi quid uideantur habere (quod neſcio) querelae. Veſter enim ſum perpetuo. Bene uale et filiae tuae grauidae eiusque marito meas dicito preces. Ex Franckfordia 7 Cal. Febr. anno 1520.

XVII.

XVII.

1. *Hutteni inſtituta quaedam memorat.* 2. *Rem familiarem adornat.*

S. P. Fuit his diebus hic nobilis ille Huttenus, et quidem bis. Nunc in patriam arcem Stechelperg tendit, heri hinc profectus. Multos nunc ſe in proximis nundinis Dialogos ait emiſſurum, 2*am* febrem, Triadem Ro. fortunam, Inſpicientes, praedones etc. Inuenit praeterea in bibliotheca Fuldenſi hiſtoriam Henrici tertii, qui Caeſarem quoque pugnarum numero ſuperaſſe fertur, addit ipſe Apologiam contra Ro. Pont. Mira homo utitur libertate in aſſerenda Germaniae gloria, uehementiſſimo flagrans odio in Pont. Ro. inuenit etiam Plinium quemdam apud Fuldenſes in naturalibus, de quo magna promittit. Rogaui ego eum, ut Caſſiodori ſit memor. Breui uxorem, ſi ſpe ſua fruſtratus non fuerit, ducturus eſt et nobilem et opulentam. At ſolutus eſt a curia ſui Cardinalis, cum bona illius gratia, habet adhuc annuum ab eo ſtipendium. Putat, ſe tibi cito ex Bamberga ſcripturum. Opuſcula Maxentii abſolui quidem, nondum tamen transmiſi; in horas autem oportunum expecto nuncium per hoſpitem Kobergerorum. Adieci epiſtolam ad Philippum Furſtenberger, qui ſupremus eſt hic magiſter ciuium, homo tui amantiſſimus, literis quoque et graecis et latinis mediocriter eruditus; is certe, qui dudum pro tuis elucubrationibus Norimbergam miſerat. Erat nuper nobiſcum, id eſt, cum

Hutte-

Hutteno et mecum in oena decani S. Bartholomei, in qua honorifica de te facta eſt mentio, et in epiſtola quoque ad eum de te mentionem feci, fide forte maiorem, meritis certe tuis longe minorem. Cras apud amicum tuum D. Iac. Heller facturus ſum ſimul cum Scholaſtico noſtro prandium. Quicquid ille mihi exhibuerit, litteris tuis acceptum referam. Nudius tertius eram conuiua D. Mayer, plebani Franckfordienſis, ubi unus conuiuarum ferebat, legatos ueſtros ex Hiſpania redeuntes ſuperiorem noctem hic egiſſe. Quod ſi ita eſt, miror, quod nemo eorum me eſt alloquutus. Vbi intellexero, Sebaldum noſtrum rediiſſe, dabo ad eum literas, quibus me a falſa ſacerdotis criminatione apud eum purgem, niſi id aliter uiſum fuerit. Rogaui
2. enim te, ut illi perſuadeas, ne falſi illius criminatoris delationi fidem habeat. Si de ſtatu meo quaeris forſitan, ſum hic, Deo ſint gratiae, nequaquam inuitus. Maior eſt honor, quam opto, redditus minores, quam ſperaui; optime tamen ſum hac modo ſorte contentus. Prima nunc domus inſtitutio ſatis mihi grauis eſt. Habui iam tribus pene ſeptimanis proprium domi ſcriniatorem, expenſis haud ita exiguis. Veſtes item ſacerdotales, quibus hic uti oportet, ſatis magno aere comparare cogor. Emi et plauſtrum uini, unde autem reliquae domus expenſae? unde ſupellex? Ego tamen, modo Nemeſis nulla inuideat, pulcre in paucis annis, modo uixero, emergam.

Quod

Quod matrem meam huc mecum adduxi, laudant multi, ſacerdotes me beatum inde praedicant, adeo uel moroſae uel infideles ſunt eorum ancillae. Ego nusquam libentius, quam domi coeno. Conuiuia tamen pro comparandis amicis non recuſo. Velim equidem, ſi fieri commode queat. Vicinus meus Iohannes de Oſtheim, uulgo Scheffechenn cognominatus, per generum tuum Straub, quocum multa ſunt illi negotia, intelligeret gratum meum erga ſe animum; primos tres dies me laute tractauit, nec ullum pro expenſis obolum a me recipere uoluit. Offert ſe inſuper ad omnia obſequia. Cupit mihi benefacere, cui ego hactenus nihil inſeruiui. Bene uale, obſeruandiſſ. D. Bilibalde et amicis me commenda, praecipue uero D. Bernh. Adelman, a quo Caſſiodori libros expecto. Nam et Furſtenberger ait, ſe nuper exemplar illius libri habuiſſe, breuique recepturum, ut mihi copiam faciat. Iterum uale. Ex Franckfordia. 8 die Februarii. Anno XX.

XVIII.

1. *Laudat Phil. Furſtenberger, conſulem Francofurt.* 2. *diſſerit de Fulgentio* 3. *Alb. Dureri picturis* 4. *nouis libris.*

S. P. Quae tu pie monuiſti me ſuperioribus literis opt. D. Bilib. ſequar, quanta poſſum diligentia, gratias tibi de his aliisque interim agens. Senecae opera, monitu tuo, comparaui et ſcriptores Caeſarum et pleraque alia, quibus inſtructior fiam. Noua autem opera

opera, quae antea, ſic ſaltem, non uideris, incluſa literis chartula indicabit, quae omnia Io. Koberger iſthuc iam deſtinauit, praeterquam Hutteni dialogos, qui in horas adhuc exſpectantur ex officina Moguntiaca. Credo, eum nunc Bambergae eſſe apud Crotum. Si forte ad te uenerit, rogo, eum admoneas Caſſiodori, Fuldenſis bibliothecae. Certe meus non quieſcit animus, niſi intellexero, quid operum illius ibi contineatur. Benigne quidem mihi hic operam ſuam in ea re pollicitus eſt Huttenus; tamen ſi a te quoque moneatur, certius mihi erit uotum et ſpes firmior. Fuit heri apud me conſul noſter Phil. Fürſtenberger, uir bonus et manſuetus, qui operam ſuam benigne ad profectum meum ultro promiſit, et petiit, ut hac aeſtate, ubi mihi exire licuerit, ad ſe deſcendam in rus Rinckau; nam cum ſit ibi multarum poſſeſſionum dominus, uult aeſtatem, finito conſulatu,
2 ruſticari. Cumque legeret epiſtolam tuam in Fulgentio, dicebat, notiſſimum ſibi eſſe Abbatem Sponheimenſem. Solicitaturus apud eum, ut fiat nobis copia uidendorum illic librorum. Sunt et alia ibidem monaſteria, ubi aliqua putat eſſe antiqua. Vidit (neſcio ubi) Trogum Pompeium, librum Fulgentio noſtro duplo forte maiorem. Quid tibi, quaeſo, uidetur? nonne dignus eſſet, ut perquireretur? quae tu de turri Moguntina dixiſti, Huttenus ſe diſcuſſiſſe ait; uidit conſul noſter tuos iam editos dialogos, ego nondum uidi, niſi apud te olim. Nam cum inquirerem a Thoma Anshel-

Anshelmi, dicebat omnia abrepta et uendita eſſe a famulo, priusquam ipſe uenerit. Macte gloria mi Bilib. cuius editiones ita rapiuntur. Fulgentii noſtri partem uidi, mallem certe, ut marginibus minorem ſcripturam, quam textui appoſuiſſet, uelim item, ut numeros, quos adieceram, non omiſiſſet. Omiſit et notata plerumque ſcripturarum loca, quia aliquando ſpatium non habuit, ſed rogo, ne Kobergero noſtro iſta dicas, ne forte impreſſori iraſcatur, grauiorque fiat in ſolutione. Rogauit me Thomas, ut apud Koberger ſe promouerem, id tu multo potes melius. Eſt uir diligens et dignus promotione, eritque eo in tuis editionibus diligentior, quo ſenſerit te in ſe meliorem. Bene uale. Ex Franckfordia Non. April. anno CIↃIↃXX. Gener tuus maior eſt, quam ut digne a me, nouo patre familias, tractari poſſit. Optaui certe, ut ad me ueniret, rogaui quoque, ſerio tamen petere non audebam, non ignorans, multo ei meliorem eſſe hic hoſpitem, quam ego eſſe queam.

Commenda me, quaeſo, Dn. Alberto 3
Durer. Vidit heri conſul eius apud me Hieronymum et melancholiam; multus nobis de eo ſermo fuit. Miror autem, cur monumenta eius hic ita rara fuerint, et tam crebrae Lucae Hollandini picturae in his nundinis.

Clauſis iam bibliothecis finitisque nundi- 4
nis, miſit ad me noſter Phil. Fürſtenberger multos tractatulos nouos, inter quos erat

unum

unum, ceteris multo grandius exemplar, in quo erant tres libri Claudiani Mamerci Epiſcopi Viennenſis de ſtatu animae. Digni certe ut a doctioribus legantur, reperti in monaſterio ueteris cellae in Myſnia, ni fallor. Vereor autem, ne forte Koberger nondum habeat. Impreſſit Baſileae Adam Petri. Ego emere non potui, conſul illo exemplari me donauit. Quod ſi interim ad te non uenerit exemplar, proximis nundinis curabo, ut habeas. Iterum uale.

XIX.

1. Teſtis adſuit transactioni Reuchlin. et Franc. Sicking. 2. de Luthero et Fabric. Capitone. 3. Huttenus ad Belgas proficiſcitur.

S. P. D. Apud Fratres praedicatores ex induſtria nullas ad te literas ſcripſi, obſeruandiſſ. Dne. Bilib. quod putabam, tibi minus gratum fore uel minimum cum illis negotium. Venit deinde gener tuus ex Hollandia, quem literis onerare non potui propter citum eius diſceſſum occupationesque. Neque tamen graue mihi ad te argumentum ſuberat, niſi quod de cauſſa Io. Reuchlin, in cuius transactione teſtis aſtiti, paucis tibi uerum ſcribere uolebam. Erant a Franc. Sickingen tres Doctores, procuratorio homine, huc miſſi ex Spira et Vormatia, ut rem componerent. Nihil magis anxium fratribus, ſed opportuna multumque (ut mihi uidetur) aequa inita eſt uia; utrique parti, ni fallor, tolerabilior, quam curia Rom. Ferunt, a fratri-

fratribus prouincialiter collatum eſſe, ut mulcta Spirenſis ſententiae perſolueretur, quo de nihil certi habeo, neque interrogare curaui. Id mihi, ut teſti, conſtat, quod fratres prouincialiter conſtituerunt in urbe Ro. procuratores Iac. Queſtenbergium, Io. Coritium, Caſp. Wirt, Io. Peuern, et Iodoc. Eginger ad ſollicitandum apud Pontificem, ut tota illa cauſſa ſopiatur, cum honore utriusque partis, ne ullius laedatur fama. Vidi deinde ſupplicationem fratrum, qua prouincialiter pontificem orant cum honorifica Io. Reuchlin mentione, ut cauſſam illam perpetuo extinguat.

De Luthero admodum raro hic quicquam audio. Triduo cum praedicatoribus diſputaui publice, eorum more ac rogatu quoque; ſed Lutheriani omnino nihil proponebatur. Non praetermiſiſſem certe, quin pro eo arguiſſem, ſi qua extitiſſet illius materia. Vidi autem et eius et alterius cuiusdam reſponſiones contra Colonien. et Bononien. fortiſſimas ſane et uere germanas. De dialogis ſcripſit mihi etiam Adelman, ſed nihil adhuc uidi. Paucis diebus bis ad me ex Moguntia ſcripſit Fabritius Capito, cuius conciones hic quoque uel maxime laudantur; petit in poſterioribus literis, ut mittam ſibi opera Ciceronis omnia in forma portatili de littera Aldina. Inquiſiui hic, ſed fruſtra. Non ſcio alium certe, qui te poſſit aut facilius aut commodius ea in re morem gerere. Habes ad nutum mercatores Venetianos, qui nihil tibi

denegent. Obſecro te, ſi graue non ſit homini inſeruias. Noui, quod uirum diligis Pretium tibi integerrime reſtituetur, m ſponſore, immo et debitore. Si oratione Cic. Aldina non habeat impreſſio, alterius pe tit impreſſionis, modo ſint in forma porta tili.

3 De Hutteno id heri a Doctore Glauber ger accepi, quod intra octo dies ex Mogun tia abierit uerſus Hollandiam ad Ferdinandum Addidit, centum ei florenos eſſe numeratos ſe procuratore, iuſſu Reuerendiſſimi Dom Moguntini. Si quid boni habes de Georgio noſtro, rogo, inter reſcribendum comme mores mihi. Non poſſum pro iuuene non eſſe ſollicitus, cui tantum eſt ingenium. Bene uale et antiquo me, quaeſo, foue patrocinio Meus Phil. Furſtenberger iam hinc diſceſſi ruſticatum ſimul cum uxore et filiabus, in Rinckau, ad quem ego finita reſidendi neceſ ſitate procul dubio, ſi uiuam, deſcendam ut Moguntiae quoque amicos parem. Saluta generos tuos liberosque uerbis meis, inprimis paruulam illam neptem, tantopere ante aeta tem facundam ac iocundam. Ex Francof pridie Idus Iunii Anno 1520.

XX.

1. *De Ptolemaeo.* 2. *Commendat Io. Vogelen.*

S. P. D. Ingens eſt, Magnifice Dom. Bilib. de Ptolemaeo tuo ſtudioſorum ex- ſpectatio, ſed et impreſſor ipſe plurimum ac uehementer exſpectat. Precor itaque elucu- bra-

brationi illi tuae feliciorem ſucceſſum, quam habent nunc tam diuerſa in fide ſtudia plurimorum. Audio, Auguſtae quoque eſſe quendam, foeniſecam, uulgo *Mader* nomine, qui nonnihil in Ptolomaeo recognouerit, ſed credo, tibi illius opera opus non eſſe. Ceterum lator praeſentium eſt Iohannes Vogelen, uetus amicus, fr. re. Dom. Bernhardi Adelman. proinde pro ſua eruditione et ueteri amicitia, qua amiciſſimo tuo arctiſſimum (ut ait) iunctus fuit, erit tibi (ut credo) commendatiſſimus. Eo enim hactenus in eruditos fuiſti animo, ut communi ſtudioſorum iudicio habitus fueris et literarum decus et eruditionis uariae atque adeo omnigenae princeps. Ceterum de turbulentis ſtudiis partium iam nihil ſcribere poſſum; non enim uult lator cras redire, ut plura, quae uellem, ſcribere liceret. Bene uale, Patrone antique et obſeruande mihi plurimum. Ex Stutgardia III Non. Iunii cIↄIↄxxIIII.

XXI.

Nauſeam plebanum generalem eligendum curauit.

S. P. D. Magn. Dom. Bilibalde. Fuit his diebus hic, dum iret peregrinatum ad Aquisgranum, apud me Io. Wenger, Doct. Med. praeſtantiae tuae bene notus, qui multa retulit mihi per triduum, cui ad te literas non dedi; non enim intellexi, eum iſtuc iturum. Nunc autem ſcribo, ut in commune conſulas non ſolum de Nauſea noſtro, qui

mea interceſſione a Capitulo S. Bartho. Francof. plebanus generalis electus eſt, ſed etiam de operibus Ruperti Tuicienſ. quid enim de nobis, et quid habeamus, ex incluſa intelliges ſcedula, quam ad ſecretarium Herbipolenſ Epiſcopi nunc mitto. Lator praeſentium famulus eſt Nauſeae ab eo e Bononia ad nos praemiſſus. Ipſe uero non parum difficultatis parit nobis tardiori ſuo aduentu. Non enim eiici poſſunt commode apoſtatae ſeditioſi, priusquam uerus appareat paſtor. Obſecro te, per totius familiae tuae ſacros penates, ne deſis ſororibus filiabusque tuis in hoc rerum turbine. Commenda me, quaeſo et illis et Dno. Hieronymo Holtzſchuher, patrono meo cariſſ. non ſolum propter collata beneficia, ſed etiam propter inſignem, quae de ipſo praedicatur, pietatem. Bene uale, Patrone obſeruandiſſ. Ego nunc non ſolum ad doctrinam Chriſti, uerum etiam ad paradoxa Ciceronis me paro, ut felicius ducam, iniurias ferre, quam inferre, licet de tot malorum auctore nunquam bene loqui queam. Iterum uale. Ex Colonia V Calend. Nouemb. anni ƆIƆIƆXXV.

XXII.

1. Odium Noriberg. ſe ſibi contraxiſſe intelligit. 2. Laudat reſponſiones Pirckh. in Oecolamp. ſed moleſte fert, quod in artic. de transſubſtantiatione ab eccleſia diſſentiat. 3. De Budaeo et Clichtoueo, item de nonnullis, quos edidit libris Rup. Tuicienſ. 4. Exilio defeſſus praeben-

dam

dam in eccleſia S. Victoris obtinuit. 5. De bibliotheca eccleſiae S. Albani.

5. Magn. Dn. Bilib. Quod rarius ad te nunc ſcribo, non eo fit, quod uel minus obſeruem amemue te, quam antea, ſed quod minor offertur opportunitas fidelium nuntiorum. Vereor enim, ne forte aberrantibus literis propter me a pleriſque iſthic male audias. Audio enim, tantum in me odium eſſe, ut etiam libelli mei anathema ſint. Quod ego ſusque deque facio, immo magis gaudeo, ſic diſplicere ſcripta mea eccleſiae catholicae inimicis. Quod ſuperioribus nundinis ad tuas non reſpondi litteras, aquarum in culpa fuit inundatio. Cogebar enim Confluentiae diebus X conſiſtere, atque ita ad nundinas aſcendere non potui. Interea nulla fuit mihi ſcribendi opportunitas tuta. Vidi quidem Spirae Dn. Chriſt. Kreſſen, ſed non ſum alloquutus, ei parcens, ne forte a ſuis ob id male audiret. Ceterum reſponſionem tuam 2
in Oecol. transmiſi in Angliam epiſcopo Roffenſ. Cum ex litteris eius intellexiſſem, ab ipſo quoque reſponſionem parari, quam iam editam ſcribit, ſed a me nondum uiſam, ſcribit autem eam in quinque libros excreuiſſe; quid uero de tua ſentiat, nondum intellexi, mihi profecto plurimum placuit, niſi quod de transſubſtantiatione contra eccleſiam ſentit cum cum Luthero. Abſit a me procul, ut uel in minimo puncto a catholica eccleſia diſſentiam ſcienter unquam. Video enim doctiſſimos uiros in graues incidere errores, quamprimum uel in

modico ab eccleſia diſcrepant, quod forſitan iuſto ſit Dei iudicio, quia per ſuperbiam ſapientes ſunt apud ſemet ipſos, ac ſuae innituntur prudentiae, Deus autem ſuperbis reſiſtit. Haec ſcribo Magn. Dn. Bilibald. non ut cenſor libri tui, ſcio enim quanto ſim in omnibus te longe inferior, ſed ut amator honoris ac ſalutis tuae. Neque enim honeſtum, nec ſalutare eſt, in re tanta contra eccleſiam catholicam, quam baſin atque columnam ueritatis uocat apoſtolus, ſentire cum haeretico, eo praeſertim, quem in plerisque aliis errare credis. Ego certe ante Vormatienſem diaetam tres ſcripſi in Cap. Babyl. libros de euchariſtia, nondum tamen editos, in quorum ſecundo uideor mihi oſtendiſſe totam eius ſacramenti ueritatem negari, negata transſubſtantiatione: non eſt enim alia uia, per quam adſit ueritas corporis et ſanguinis Chriſti, atque ita re ipſa conſentis Oecol. quem tam operoſe impugnas.

3 Ex Pariſiis literas accepi a Budaeo et Clichtoueo IIII Mart. datas, ſed interim falſa me contriſtauit fama de obitu Budaei, quem uiuere adhuc teſtatur opus eius recens, quod nondum uidi, ſed uenale eſſe audio, ſed et Clichtouei recens proſtat opus, quod propugnaculum eccleſiae inſcripſit, quod non prorſus oculis tuis indignum exiſtimo. Prodiit et Irenaeus per Eraſmum, duo item opuſcula Ruperti Tuitienſis meo labore hac aeſtate ſunt edita. XIII lib. in Matth. et IX lib. de glo. Trinitatis; reſtant adhuc XLII libri eius-

dem

m uno in opere, ſed nondum deliberaui
im ſubire laborem. Nam alio auocat me 4
inc noua cura domeſtica; acceptaui enim
c periculoſo tempore hic praebendam in
cleſia S. Victoris, longo defeſſus exilio, mo-
ſtum enim ac uerecundum fuit, ſic aliena
aerere hoſpitia ubique atque grauare ami-
s. Difficile tamen eſt, emergere pauperem
ot grauibus expenſis nouae praebendae pro
itutis, pro domo, pro emancipatione, pro
brica etc. quae ad 300 aureos excurrunt. In-
rea complendus eſt annus reſidentiae absque
ctuum perceptione, expectanda item lis a
rtiſanis, forſitan et bellum a Landgrauio
ſſiae, et ex urbe Rom. iam per ſeptem men-
et ultra nihil omnino litterarum accepi.
ec ſcribo, ne putes me non neceſſitate
i, ſed auaritiam ſequi. Excuſſi his diebus 5
liothecam antiquam in uicina eccleſia S.
bani, ubi inter uolumina ſcripta habentur
am IX libri Ruperti, ſuper Geneſin, ſed pu-
eosdem haberi inter XLII lib. de operibus
initatis; curabo tamen, ut id certe ſciam,
ita ſit, nec ne. Inueni etiam Amalarium,
i ſub Carolo M. et Ludouico Imp. ſcripſit de
inis officiis, ſed haec temporum tur-
io ancipitem ac deſidem me reddere cona-
. Deus omnia bene uertat, in quem uni-
m totam ſpem meam coniicio. Tu precor,
ne uale, et has clientuli antiqui literas ae-
o, te obſecro, animo accipe, et ſi commode
tes, aliquando reſcribe. Ex monte S. Victo-
prope Moguntiam 15 die Sept. anno 1526.

Digitized by Google

XXIIII.

1. *Obitus et laus Emſeri.* 2. *Pirck. a ſententia Euangelic. de eucharistia auocare contendit. acerbe inuehitur in Oecolamp.* 3. *Auctor eſt Pirckheimero, cuius praeſtantiam ualde extollit, ut conſilia de reformandis moribus uniuerſae eccleſiae concilio, mox congregando, exhibeat.*

S. Non facile credis, Clariſſime Dn. Bilib. patrone plurimum obſeruande, quam inuitus ad te ſileo tamdiu, ſilere tamen coegit me partim uerecundia, ne forte ingratis literis importunius obſtreperem tibi, partim metus ab improbitate, ne forte aberrantibus literis et fraudem aut uim paſſis praeſtantia tua mecum fieret improbis fabula. Nunc autem, quia domeſticum habeo nuntium, ſcribo, licet non ſatis certo ſciam, an Nurembergam peruenturus ſit; ſcio tamen, eum literas non traditurum eſſe alienis. Inprimis itaque id ſcribendum duco, quod tibi mecum commune exiſtimo, moeſtum ſcilicet nuntium de obitu Hieronymi Emſeri, ueteris amici tui, propugnatoris mei fideliſſimi. Obiit enim, ſi forte nondum audiſti VII die Nouemb. Dresdae, ſuffocatus (ut mihi ſcriptum eſt) fluxu pectorali, quum tertio ante obitum die ſacrificium miſſae peregiſſet. Vir profecto, qui, ut amicitia tua non erat indignus, ita in aſſerenda fide catholica omnium fideliſſime, diutiſſimeque ac fortiſſime pugnauit, cuius animam non dubito nunc ſuper glorioſo laborum eius fructu gaudere, ipſamque ueritatem, pro qua hic dimi-

dimicauit, clara uiſione intueri. Tu uerita- 2
tem corporis et ſanguinis Chriſti in euchariſtia,
erudite quidem contra Oecol. aſſeruiſti, ſed
utinam ita aſſeruiſſes, ut a magnis eruditiſſi-
misque uiris non adderetur: quatenus catho-
licus eſt liber tuus. Scio, te admonitum fuiſſe
a quodam non leuis auctoritatis uiro, ut ſic
impugnares Oecol. ne uidereris ſentire cum
Luth. miror itaque cum in plerisque a Luth.
diſſentias, in hac re tam ardua uni illi magis
adhaerere uolueris, quam uniuerſae per or-
bem eccleſiae. Non expoſtulo tecum opt.
Dn. Bilib. ſed amanter et reuerenter admoneo,
ut in cauſſa aeternae ſalutis potius cum eccle-
ſia, quam cum homine damnato ſtare ſatagas.
Librum tuum priorem plurimum ſane com-
mendat Epiſcopus Roffenſ. Sed cum inuiſa
clauſula hac: quatenus catholicus eſt. Poſte-
riorem protinus, ut per amicum ex Nurenber-
ga accepi, lectum in Angliam ad eundem
transmiſi; ut uideat, quam contemptibilis
tibi ſit communis ueſter aduerſarius. Scio,
eum et Baſileae doctiſſimis iam ob haereſin
ſuam inuiſum eſſe. Ita enim reſcripſit inde
ad me quidam egregie doctus. Heus! tu caue
poſthac ornatiſſimas tuas literas inauſpicatis
quorundam nominibus ipſe infames reddere.
Oecolampadii nomen quid ad me? hominis,
quem ego ne quidem redemero pilo, quales
quales ſint eius literae. Eſt enim, cur et debe-
am et odiſſe uelim. Hoc affirmo tibi, inquit,
non eſſe hic quemquam rectius erudi-
tum, qui non putet, graue eſſe flagi-

tium, amaſſe hunc Publicolam, ut dicam leuiſſime. Haec ille ex Baſilea. Suſceperat idem Oecol. graue certamen contra catholicos ſuper abolendo miſſae ſacrificio, ſed parum profecit, ut audio. Cenſuit enim ſenatus, ut de caetero ipſe cum ſuis nihil contra catholicos ea in re attentet. Vide, obſecro, quo tandem prolapſus ſit ſuperbus ille hypocrita, ſuae innixus prudentiae. Noſti, quam ſuperbe contempſerit epiſcopum Roffenſ. Ego itaque ut eius impudentia uulgo quoque notior fiat, nactus non nihil otii quinque prologos Roffenſis nunc in teuthonicum uerto, ut illis ſaltem reſpondeat, ſi poteſt, qui tam ſuperbe totum opus contempſit, antequam uidit, ad quod nunc tam diu mutus eſt. Ignoſce, obſecro eximie Dn. Bilib. patrone praecolende, antiquo tuo clientulo ex ueteri erga te amore atque confidentia liberius, quam meam decet paruitatem, ſcribenti; noui enim omnem adulationis fucum tibi plurimum odibilem eſſe. Rogo igitur te, ut hoc epiſtolium, quod inter te et me ſolum loquitur, Deo teſte, aequo accipias animo, ne forte fraudi fiat mihi, ſi tu expoſtulare uelis cum iis, quorum ſecreto nunc ad te memini. Ego quidem nomen gloriamque tuam uehementer amo, propagarique gaudeo in decus et familiae et patriae tuae, alioqui minime obſcurae; ſed adhuc magis amo animae tuae ſalutem aeternam, quae certe absque periculo fore non uidetur mihi, quam diu cum Luth. contra eccleſiam uel in minimo puncto ſteteris. Id ut falſo ſuſpicer, plurimum opto. Bene uale Dn. uener.

Digitized by Google

ner. patrone chariſſ. Ex rure ſancti Victoris, prope Moguntiam non. Decemb. anno gratiae, cIↃIↃXXVII. Tuus ex animo clientulus uetus Io. Cochlaeus.

Magnif. Dn. Bilib. Iam pridem ſatis ſuperque multa eruditionis tuae monumenta probatiſſima edidiſti, ita, ut Eraſmus quoque quum nuper in Luth. ſcriberet, remouens a ſe inuidiam, qua Lutherus dixerat, eum doctiorem in uno digito, quam ſit rex Angliae cum omnibus ſciolis ſuis, ait: quid hic erat cauſſae, ut me conferret regi ac doctis Angliae potius, quam Bilibaldum aut Budaeum, aut Leonicenum, aut alium quemuis e turba ſcriptorum? Hic certe uides, quanti eruditionem tuam faciat Eraſmus, qui te primo commemorat loco. Quid igitur ſi alterius quoque rei non minus ſane glorioſae magisque neceſſariae monumentum quam ſaluberrimum et praeſenti ſaeculo dares, et poſteritati relinqueres? Quid, inquies? dicam. Vides, quo prolapſa ſit omnis diſciplina eccleſiaſtica, quo antiqua principum moderatio, quo ciuilis honeſtas, quo domeſtica frugalitas, quo cura educandae ac inſtituendae iuuentutis. Vellem igitur, ut pro reformatione morum in uniuerſa eccleſia Chriſti intenderes ingenii tui acrimoniam, cui adderes exercitatam eloquentiae induſtriam, ſpectatam in rebus agendis prudentiam longiſſimamque magnarum rerum cauſſarumque experientiam. Non puto profecto unum uiuere hodie, qui ſalubriorem tractatum iis de rebus concipere atque in debitum modum redigere poſſit, quam tu;

non

non ſane ut in uulgus mox ederes, ſed ut ad futurum concilium, quo diu carere non poſſumus, reſeruares, cuius auctoritate poſſit efficaciter in effectum deduci. O quanta gloria exhibiturus eſſes tunc regibus et principibus, quod nullus epiſcoporum, nulla uniuerſitatum praecogitauerat! quanta inde utilitas totius eccleſiae! quanta pro eo labore merces in coelo repoſita! Cogita, obſecro, hac de re, ſed margaritum iſtud omnium pretioſiſſimum non eſſet temere proiiciendum ante porcos uulgares, ſed ſuo tempore ante proceres eccleſiae utriusque ſtatus, qui mederi poſſint, et deberent.

XXIV.

1. *Se contentioſius huc usque egiſſe, fatetur. de iudice in religionis negotio.* 2. *Lepidis argumentis firmat caelibatum clericorum,* et 3. *transſubſtantiationem.* 4. *In Bernenſium reformationem ſcripſit.* 5. *a Georg. D. Saxon. recipitur, cuius* 6. *conſiliarium foedus finxiſſe perhibent.*

Ex Dresda, prid. Kal. Iul. 1528.

S. Magnif. Dne. Bilibalde patrone obſeruandiſſ. Dulces grauesque et gratulatorias literas tuas, quas tu pridem ad me dediſti Idib. Februar. his primum diebus accepi, nempe 23 die Iunii fuerant miſſae Moguntiam, ſed non ſunt illic redditae mihi. Ago certe ampliſſimas gratias pietati tuae, qua me antiquum clientulum tuum tam prudenter admones ac pie inſtruis. Confiteor equidem, me plerumque dolore et indignatione motum contentioſius egiſſe, quam

quam grauium uirorum iudicia probare queant. Puto tamen, ſi quis mala, quae ex Lutheri doctrina prouenerunt, recte expendat, is dolori qualemcunque locum forte relinquet. Sed malo apud te culpam ingenue fateri, quam multa prolixitate, quae ad rem non facit, uti. Taedet me profecto contentionum iam et conuitiorum, licet in materia tragica atque atrociter iniurioſa dulcibus uerbis uti neſciam. Vtinam Deus eam det mentem principibus et cunctis aliis magiſtratibus, ut re ipſa tandem agant contra hos motus diſſidiaque et ſcandala, quo minus opus ſit libris contentioſiſque uerbis; ſicut agitur nunc paſſim contra anabaptiſtas. Niſi enim ſerio aliquando agere coeperint, ſcribendorum librorum (quod recte praemonuit Salomon) nullus erit finis. Vis, ut papiſtae tollant abuſus, id uellem et ego, ſed quis erit iudex in cognoſcendis abuſibus? nam pleraque rituum ceremoniarumque inſtituta, quae nos maioresque noſtri et ſancti doctores, ut pia ac ſalutifera, probauimus, partes aduerſae non ſolum tanquam abuſus, uerum etiam uelut ſummas impietates idololatriaeque abominationes funditus delere ac extirpare conantur. Quis ergo inter nos tam longe diſſidentes iudicabit? Papa? hunc ne tu quidem ſuſcipies. Concilium? hoc pars aduerſa Satanae ſynagogam uocabit. Principes? ne hi quidem unius ſunt ſententiae. Quanto minus expectandum eſt, ut confuſa multitudo ſanam ferat unanimemque ſententiam. Quanto tutius eſſet igitur in antiqua eccleſiae fide perſi-

ſtere;

Digitized by Google

ſtere, quam ſic fluctuare, ac omnia in dubium ſub incerto iudice uocare.

2. Vidi nuper 28 propoſitiones contra digamiam nouorum epiſcoporum, quibus reſpondet Lutherus multo quidem pluribus, ſed longe minus efficacibus. Spero quidem, te iam pridem uidiſſe, libenter tamen mitterem tibi exemplar, ſi ullum adeſſet; quod enim uidi, non meum, ſed alterius erat. Suſpicor enim, te propoſitiones illas oppoſuiſſe ſcandalo illi publico, quod Dominicus ueſter ſceleratis coniugiis populo ueſtro dedit. Obſecro te, ſi uere author es, ut rem ſerio agas. Nam paucis illis propoſitionibus eo impulſus eſt Lutherus, ut contra Chriſtum et eccleſiam atque etiam contra prophanas leges Ro. laicis permittat uni uiro uxores duas, tres aut quotquot uoluerit habere ſimul, quamuis uerba eius non ſint adeo expreſſa. Quamuis uero autor propoſitionum approbet graecorum morem, qui ſacerdotibus coniugii uſum permittunt; tamen Lutherus quoque eo deducit rem ſua impugnatione, ut uidere poſſimus, probabiliorem eſſe Rom. eccleſiae, quae caelibatum obſeruat; fieri enim poteſt, ut uxor moriatur breui. At longe difficilius arbitror fore, ut poſt conſuetudinem thori quis ab omni complexu abſtineat repente, quam ut quis expers coniugii caſte uiuat, qui ſolitarie dormire aſſuetus eſt. Vtinam reducantur in uſum canones antiqui contra ſcandala concubinatus. Falſiſſimum enim eſſe credo, quod ſpurciſſime ſcribit Lutherus in plerisque libellis, neminem caſte uiuere poſſe absque ſpeciali rara ac miraculoſa gratia

gratia Dei, cum tot millia fuerint Hieronymi ac Gregorii temporibus tum monachorum, tum ſacrarum uirginum, quae ſanctiſſime uixerunt. Et uidemus, plerosque maritos longa abſentia fidem ſuis ſeruare uxoribus, uirisque uxores. Sed et Veſtales aperte conuincunt illud mendacium. Quid? quod equi quoque (quibus maximus eſt in Venerem impetus) perpetuo abſtinentur plerumque a coitu, neque tamen ob id moriuntur. Quae eſt igitur tam foeda barbaries iſta, credere, equum absque coitu uiuere poſſe, hominem non poſſe?

De transſubſtantiatione non audeo tibi nunc moleſtius obſtrepere, quia nuper Moguntiae 3
paucula tibi per literas obieci. Quod pauci iam credunt opinioni Luthericae, non miror. Mihi enim longe improbabilior magisque impia uidetur, quam Bernenſium eſt, quamuis populo minus horrenda uideatur. Quid ita? quia negat ſubſtantialem conuerſionem et affirmat palpabilem falſitatem, quod hic panis ſit corpus Chriſti. Vbi conſtat, praedicatum et ſubiectum plus differre, quam differunt bos et equus, nemo autem uere dixerit, bos eſt equus aut hic bos eſt equus meus. Addit praeterea impietatem hanc, ut praeſens Chriſti corpus, atque adeo totum Chriſtum, non putet uenerandum, adorandumue eſſe. Et uos hodie longe minori ueneratione proſequimini illud, quam ante X annos feciſtis.

In Bernenſium Reformationem paucula 4.
ſcripſi teuthonice, dum Moguntiae adhuc eſſem, neſcio tamen, an iam excuſus ſit libellus

lus, nec ne. In actis certe ſuis minitantur apoſtatae reſponſionem contra ea, quae ad Senatum Bernenſem per proprium et iuratum nuncium tranſmiſi. Tu forſitan argues me temeritatis, quod ultro illi me negotio immiſcuerim. Et certe ſi prophana eſſet cauſſa, ſtultiſſimus aut procaciſſimus ob id uideri merito poſſem; in cauſſa autem fidei totiusque eccleſiae omnium noſtrum intereſt. Puto igitur, unicuique catholicorum pro uirili ſua reſiſtere licere. Vtinam Deo probetur intentio mea, qualecumque fuerit hominum de me iudicium. Pro uanitate enim et umbra nominis Cochlaei (quod ipſe inuitus porto mutaremque libenter in paternum, ſi libris appoſitum eſſet) ne feſtucam quidem leuare uelim, tantum abeſt, ut tot labores et diſcrimina pro nominis huius immortalitate ſubirem.

5 Quod congratularis mihi ob principis mei uirtutem atque prudentiam, gratiam tibi habeo. Faxit Deus, ut ſic me geram, quo neque illum, neque me coepti poeniteat. Eam ſane conditionem, Deo miſericorditer diſponente, adeptus mihi uideor, quam maximopere ſemper deſideraui, nempe qua priuatim absque pompoſo ſtatu, absque cura paſtorali uiuere ac Deo ſeruire queam; faxit Deus, ut ſublatis diſſidiis in unitate fidei tendamus ac coeleſtia. Ego in hac uita nihil magis opto, quam ceſſare ab iſtis contentionibus, reliquum aetatis diuino ſeruitio ut dedicare poſſim. Satis diu uagus exulque fui; ſatis contendi, ſed non ſatis oraui; non ſatis ad coeleſtia mentem

ere-

Digitized by Google

erexi. Det nobis pacem dominus, ut in otio ſpiritali ſanctis aliquando fruar contemplationibus.

Habeo mecum nepotes duos neptemque unam; nepos maior eras hinc abiturus ad matrem meam reuertetur, ad quam et ego, Deo dante, intra duos menſes reuertar, menſem unum cum ea permanſurus. Ita enim fieri oportet, tum propter fructus praebendae S. Victoris; tum propter alia quaedam negotia illic expedienda. Moleſtiſſimum profecto eſt animo meo, ſic derelinquere matrem in terra aliena extra patriam. Sed quid agerem? Moguntiae infida erat pax et principi meo non potui honeſte ſeruitium meum qualecumque denegare. Sperabam, huc aduehi poſſe matrem biga aut carpento, ſed impedit eam neſcio quis defectus muliebris in utero. Prouidendum igitur erit, ut ibi honeſte ac commode permanere queat.

Audiſti procul dubio, quanto apparatu ad bellum praeparauerint ſe duo illi noui Euangelii protectores. Quam uanus autem ac temerarius fuerit conatus ille, ex aliorum principum literis, arbitror, te iamdudum intellexiſſe. Gaudeo equidem, ſic reddi uobis pacem, ſicque prodi machinationes et mendacia Euangelicorum. Dolet mihi tamen, fictorem foederis fuiſſe ex principis mei (ut conſtans hic fama eſt) conſiliariis. Sed luet ille, ſi tradetur domino meo, meritas poenas. Mitto tibi exemplar unum excuſationum, quamuis putem, te iamdudum uidiſſe. Eſt mihi nunc liber be- 6.

E ne

ne longus D. Io. Fabri, qui Lipſiae propediem excudetur. Obſecro te, ut mihi plerumque ſcribas, quicquid de Bernenſibus aliisque Heluetiis, quantum ad fidei negotium attinet, acceperis. Eſt Lipſiae Hiero. VValther, nepos illius, qui iſtic notiſſimus tibi fuit, qui libenter transmittit huc, quicquid ad eum dederis, ſi forte Lucas Straub moleſtius ferret transmittendi laborem. Poſtremo te per diuinam obſecro miſericordiam, ut uirginum S. Clarae patrocinium, quantum fieri poteſt, ſuſcipias. Si Chriſt. Kreſſ. aliquid pro iis, quae ſunt in Pillnreut potuit, cur tu minus uel poſſis uel facere debeas pro tot ſororibus ac filiabus in Vrbe? Sed longior ſum, quam uel tuae uel meae occupationes facile ſinunt. Bene uale, chariſſ. ac perpetuo memorande patrone et ignoſce huic meae importunitati. Alterum exemplar aut ambo, ſi libet, trade, quaeſo, Dominae reuer. ſórori tuae.

XXV.

1. *Libellus de ſacerdotum coniugio nondum edi potuit.* 2. *De diſſoluendo regis angliae matrimonio et* 3. *colligendis praeſidiis aduerſus Turcas.*

S. Magn. Dne. Bilibalde, Patrone obſeruandiſſ. Vix credas mihi, quam graue ſit animo meo, adeo raras et dare et accipere literas, tum a Magnificentia tua, tum a ſorore tua iam ad exitum ſpectante; ego uero anxie uereor, ne forte iam non lecturis, (quod Deus auertat) ſcribam. Solatur me una ſpes, quod longe clarius eſt nomen tuum, quam ut ob-

obdormitio tua diu latere poſſit; at maxime coram te erubeſco, quod libellum de ſacerdotum coniugio nondum ediderim, quamuis mihi ea in re nullius ſim culpae conſcius. Mox certe tradidi chalcographo Lipſienſi cum ceteris libellis, ut per aeſtatem ederetur; at bonus uir eum libellum, qui ceteris fuerat longe uendibilior magisque neceſſarius, omiſit, et eos duntaxat edidit, quos ad Anglos quosdam inſcripſi. Nunc, ubi moleſtius expoſtulaui; praetendit horum temporum difficultates, et rerum omnium turbationem, atque etiam denegat ulterius tale obſequium, ſed didici iam pridem patientius ferre chalcographorum improbitates maiori cum incommodo, quam dicere auſim; ne inſultarent inde inimici mei.

Expecto tamen in horas meliorem occaſionem, qua reperta, certiorem inueniam edendi modum. Obſecro te, ut per hunc latorem reſcribas mihi, ſaltem tria uerbula; ut intelligam, quomodo ualeas. Quid ſpei ex te nobis ſit, de ſummo theologo Graecorum, cuius tot opera egregia per militem tibi Deus donauit. Dum nuntius it reditque ex Neuenſtadt, commode per otium ſcribere poteris. Si quid conſolationis habeas uel de Caeſaris proſpero ſucceſſu, uel de praeſidiis contra Turcarum arma paratis, libenter profecto intelligerem ex te, ſed petere non auſim prolixas a te literas, quem longe utilioribus ſtudiis et elucubrationibus occupatum exiſtimo. Velim praeterea ſcire, quidnam libellorum aut literarum a me ad Magn. T. intra ſemeſtre tempus

 per-

peruenerit, a te certe iam compluribus menſibus nihil literarum accepi. Nuntio huic fidere licebit, qui mihi probatus eſt antea. Ex Anglia in horas expecto literas laetiores; audio enim, caſſatum iam eſſe totum negotium de ſoluendo regis matrimonio ac D. meum CardinalemCampegium, pro ſua integritate, rem prudentiſſime traxiſſe in dilationem, donec Papa mutauerit ſententiam. Transmiſit mihi quidam ex Anglia exemplaria Breuium Apoſtolicorum ad eam rem ſpectantium, ſed iucundiſſimum fuit mihi intellexiſſe, a partibus reginae ſtetiſſe doctiſſimos epiſcopos Londinenſem, Elienſem, Roffenſem etc. Res ſcandali plena fuit, nec expedit, ut uulgo dicatur, quid cauſſae fuerit praetenſum. Neſciuiſſem certe cauſſam, niſi ex Breuium tenore intellexiſſem, reginam illam prius nuptui traditam fuiſſe Arthuro (ſi recte nomen teneo) regis fratri primogenito, atque etiam copula carnali ab eo cognitam, qui quum ſine prole deceſſerit, alteri fratri eadem tradita eſt uxor per diſpenſationem Iulii Papae, nunc in dubium tandem reuocata fuit illa diſpenſatio, ad quam examinandam Papa iſte commiſſarios dedit, ſed ſopita ſunt iam (ut audio) omnia, rediit in gratiam rex cum regina, regis gratiam perdidit, ut aiunt, CardinalisEboracenſis, qui antea ſumma pollebat apud regem tum gratia, tum auctoritate. Noli, quaeſo, haec aliis dicere, ſi non ſint uulgo nota, propter ſcandala uitanda.

Nos

Nos in his terris ſub ill. prin. Duce Georgio conſenſimus in communem collationem uniuerſaliter ab omni ſtatu tum ſeculari tum eccleſiaſtico exigendam, ex qua ſane immenſa pecuniarum uis colligi poterit. Nobilitas enim conferet ſextam partem bonorum ſuorum, clerus quartam partem omnium prouentuum ſuorum, ciues et ruſtici mitiorem ferent exactionem, ita, ut de tribus florenis minus tribus groſſis dent octo denarios, ſed taxantur omnia eorum bona. Curret igitur et ea exactio ad ingentem ſummam, colligetur autem omnis ea pecunia in futuras neceſſitates contra Turcas. Deus bene uertat! Vereor equidem, ne ſectarum diſſenſio conatum illum perturbet, aut prorſus impediat. Mitto nunc ex 4 libellis breuiſſimum, ſi forte uel per tranſennam inſpicere libeat. Video ex ſubſcriptione Marpurgenſi Oſiandrum ueſtrum in egregia illa conuocatione fuiſſe. Opto te optime ualere Magn. Dne. Bilib. patrone chariſſ. Ex Dresda prid. Cal. Decem. in feſto S. Andr. Apoſtoli CIↃIↃXXIX.

Noſti manum deditiſſ. clientuli.

Ea, quae occaſione cuiusdam epiſtolae princeps meus in Lutherum et ille uiciſſim in principem et Dominum meum teutonice ſcripſit, nuper latine ſunt edita. Nondum recepimus exemplaria, alioqui mox unum ad te daturus fueram.

XXVI.

1. *Gregorii Nazianzeni errores coarguit.* 2. *Num pro* EPISCOPATV *recte dicatur* EPISCOPA? 3 *La-*

zarus Spengler. magna pollet auctoritate. 4. *De S. Coena.* 5. *De coniugio ſacerdotum.*

S. P. Magn. Dn. Bilib. Patrone obſeruandiſſ. Tardius tibi et ſcribo et remitto tuum Gregorium, quam uel deſiderium meum uel tua forſitan expectatio uelit. Ignoſce, obſecro, adeo enim multis diſtractus fui his duobus menſibus, quamquam adhuc ſim occupatiſſimus, ut quam maxime uolebam, ne ſemel quidem perlegere potuerim. Comitabar nuper illuſtriſ. principem et Dominum meum in Bohemiae fines, ubi colloquium eius petebat rex FERD. Lytomeritiae comitaturus eundem, ni fallor, Auguſtam quoque in comitia imperialia; dixit enim, ſe uelle ut ſimul pergam. Ego tamen hunc modo nactus nuntium, cuius fidem iam ſaepe probaui, non potui committere, ut abſque literis meis illuc iret. Trado itaque ei priores duos ſexterniones ſimul cum leuiculis annotatiunculis meis, quas certe ad alium etiam te multo minus eruditum mittere non auſim, ad te uelut ad patrem omnia confidenter refero, plurimum obteſtans, ut boni conſulas. Scio enim, quod aliorum nemo te de tam paruis admonere dignaretur, ſed erubeſceret potius et contemneret ea uelut nihil. Ego autem malo tibi occulte et fideliter, tam parua licet et friuola, ſubindicare, ut non habeant aduerſarii aut aemuli ſaltem et inuidi, quibus certe carere pro eminentia tua non potes, unde translationem tuam ſuper minutulis huiuſmodi lapſibus calumnientur, id quod ſolet inuidia, dum prae-

ſtare

ſtare non poteſt, qnod ab altero egregie praeſtitum uidet. Deus opt. max. te conſeruet incolumem, donec omnia peragas, ut iuſtum uolumen cum dignitate omniumque proborum approbatione et gaudio prodeat in lucem.

Spero tamen in praefatione ita te contra ſcandala proloquuturum eſſe, ut non modo contumaces haeretici iuſta hinc ſibi praeſidia parare non poſſint, ſed ne infirmi quidem iure inde ſcandalizari debeant. Quod profecto perquam neceſſarium fore duco. Multa enim reperiuntur in iisce antiquitatibus, a quibus praeſens aetas abhorret, tu uero pro tua prudentia ſcies et illa excuſare, et noſtra, quae catholica ſunt, defendere. De abuſionibus ſane et corruptelis eccleſiaſticorum noſtrorum nequaquam a te, et neque ab ullo homine patrocinium iniquum peto, ſed multa habuit illa aetas, et illa mundi pars, ubi nunc extrema Turcarum barbaries eſt, quae non habet aetas noſtra, nec unquam habuit eccleſia Rom. neque uniuerſa eccleſia occidentalis. Et miror equidem, tam multa egiſſe S. Gregorium iſtum contra canones etiam Graecorum. Qui enim canones permiſerunt ei, ordinari epiſcopum eccleſiae Nazianzenae, illius epiſcopo nondum demortuo et eo etiam patre carnali? quo exemplo tot eccleſiis factus eſt epiſcopus? nunc Aſimorum, nunc Byzantinorum, nunc Nazianzenorum. Quo deinde iure aſſumtas eccleſias pro libitu et uoluntate ſua iterum deſeruit, nunc in heremum, nunc in aliam transmigrans eccleſiam? Qua pietate frequenter de-

deſeruit populum ſibi creditum uel propter contentiones aemulorum, uel propter inſtantes haereticos? Cur deſeruit bonus paſtor gregem fidei ſuae creditum ueniente lupo? Id quod ſaepe feciſſe uidetur. Videtur itaque mihi opus fore graui et erudita, quam pro tua et eruditione et prudentia egregie praeſtare poteris, praefatione, in qua omnia eiusmodi ſcandala excuſentur, ne offen lant. De Oecolampadii translatione non miror, ſi multa ibi deſideres; nam ex Anglia quidam ſcripſit mihi, Germanum Brixium Pariſienſ. ex uno tantum libro, quem de paſſione Babylae, martyris, transtulit, plus quam C C errata deprehendiſſe, atque etiam confutaſſe. Ego adhuc nihil eorum uidi, neque hic facile uidebo; ad nos enim huc inſignes bibliopolae non ueniunt, et burſa mea nondum ſinit, ut Lipſienſibus bibliopolis generatim demandem omnia opera noua mihi huc transmittenda.

De Epiſcopa non dubito, quin ſcias rationem tuam defendere, ego de uſu admonui, ſed patere, quaeſo, modicum me tecum friuole, informationis tantum gratia diſceptantem. Primum quum fatearis, multis epiſcopis apud antiquos maxime apud Graecos fuiſſe uxores, quo nomine igitur congruentius dicta eſſet uxor epiſcopi, quam epiſcopa, ſicut uxor presbyteri presbytera? nonne igitur iuſtum fuerit, ut ſaltem differentiae cauſſa officium diceretur epiſcopatus potius, quam epiſcopa? deinde, ſi officium presbyteri, presbyteratus diaconi, diaconatus, clerici clericatus recte

di-

dicitur, cur non et ſimili modo epiſcopi quoque officium recte dicatur epiſcopatus? Tertio ais, apud nullum antiquorum reperiri epiſcopatum; at mihi contra uerius uidetur, apud nullum latinorum pro epiſcopatu epiſcopam dici. Non auſim quidem pertinaciter id negare, quia non omnes legi, nec tam fida mihi eſt memoria, ut omnia lecta teneat. Libenter tamen ex te diſcam, quinam ex antiquis latinorum epiſcopam dixerint pro epiſcopatu. Ego uero ex antiquis probatiſſimos quosque reperio epiſcopatum dixiſſe. Certe Tertull. ait: ſperabat Epiſcopatum Valentinus, quia potens erat ingenio et eloquio. Cyprianus lib. 1. ep. 3. pro epiſcopatus uigore, Auguſtinus de ciu. Dei lib. 19. cap. 19. epiſcopatus non honoris, ſed operis nomen eſt, allegans illud Apoſtoli I Tim. 3: qui epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, neque ibi quicquam de epiſcopa meminit in annotationibus Eraſmus, neque Ambroſius aut Hieronymus hic aliter loquuntur. Quid dicam de Rom. pontificibus, adeo multis et eruditis, etiam antiquiſſimis, apud quos ubique epiſcopatum, epiſcopam nusquam, legiſſe me credo. Et tritum eſt prouerbium: artem diſcamus, uſum uero teneamus. Adhuc igitur in ea ſum ſententia, ut mallem dicere epiſcopatum, quam epiſcopam. Tu facies, quod tibi melius uiſum fuerit. Certe, quod de praefectura et praetura, obiicis, me non magnopere mouent, tum quod haec latina ſunt; epiſcopatus uero presbyteratus,

 dia-

Digitized by Google

diaconatus etc. graeca, tum quod in te potius retorqueri poſſit haec obiectio; nam ſicut officium praefecti non recte dicitur praefecta, ita neque epiſcopi officium recte dicetur epiſcopa. Quae hac de re diſſeruit Eraſmus, nondum uidi, quia opus poſtremum epiſtolarum nondum habeo.

3 Quae mihi de cariſſ. mihi filiis honeſtiſſimorum ciuium ſcripſiſti, iucundiſſima ſane fuerunt. Miror autem plurimum, qua fronte totus ſenatus potuit Chriſt. Tetzel praeferre Domino Mart. Geuder, ſeni adeo maturo et tot egregiis filiis adornato, ſed Lazarus ueſter uidetur in manu habere, quibus uelit, dignitates tribuere, ſed feramus hanc temporum iniquitatem, donec benignius nos Deus aliquando reſpiciat. Libellus e teutonico in latinum uerſus non a me, ſed ab Walthero Lipſienſi ſimul cum literis ipſius miſſus eſt, ita enim ipſe mihi nuper retulit hic, quo literae peruenerint, ignoramus; fraudis omnia plena ſunt; miſit idem et Lazaro ueſtro exemplar unum, quo reſpondens multa in me conuitiorum ac deſpectuum opprobria ſcripſit, nullo unquam a me uerbo (quod ſciam) laceſſitus, miſit et libellum quendam teut. ex decretorum uolumine excerptum, de quo non opus eſt ad te ſcribere, qui per te ipſum optime ſcis, quantum ualere debeat. Ceterum libellum principis mei non ego, ſed alius quidam tranſtulit, neque meo conſilio ſic editus eſt, licet olim optauerim, ut latinus fieret propter Anglos. Iniurioſum tamen librum Lu-

Lutheri non ſic emiſiſſem absque annotationibus in margine. Si quid ergo ibi peccatum eſt, aliorum culpa eſt, non mea. Quae a 4.
me deſideras, in confutatione 15 articuli Marpurgenſium partim conſulto, partim oſcitantia et feſtinatione omiſi. Nam quum maxime deteſter impietatem Zvvinglianorum, nollem populo perſuadere, Lutherum quoque illis conſentire, etiamſi uerum eſſet; mallem etiam tacere, aut utrumque potius anathematizare. Ceterum in hoc non uidetur reprehendendus Lutherus, quod conceſſit ſacramentum altaris eſſe ſacramentum ueri corporis et ſanguinis Chriſti, nam et nos id fatemur. Si autem adieciſſet, ſolum uel nil niſi ſacramentum, iam tempus fuiſſet reprehendendi. Videbam tamen inter legendum, eam Zvvinglianorum uafritiem, quod hoc intenderent, quod tu; ſubiudicas uerum cum uerba id expreſſe non habeant, diſſimulare libuit. Deinde quod dixerint, ſpiritalem manducationem neceſſariam eſſe, nos quoque fatemur, euchariſtiam non eſſe ſacramentum neceſſitatis, ſicut baptiſmum; uериſſime tamen dicis, grauiſſime ibi errare Lutherum. Certe ex Francofordia nuper ſcripſit mihi quidam, quendam ibi Oſiandrum praedicaſſe publice, baptiſmum quoque non eſſe neceſſarium, pueros absque baptiſmo ſaluari poſſe; hinc iam fieri, ut nonnulli paruulorum non baptizentur. Cetera quoque rectiſſime redarguis, ſed non omnia poſſumus aut uidemus omnes; tuae igitur admonitioni gratias ago plurimas. Quod autem circa 13 5.
arti-

articulum petii, ut oſtendant mihi unum ex omnibus ſanctis aut probatis ſacerdotibus, qui in ſacerdotio conſtitutus uxorem unquam duxerit, id adhuc peto; nec obſtant ii, quos mihi obiicis, quia non in ſacerdotio, ſed antea, quam ſacerdotes fierent uxores duxerant; aliud eſt uxorem prius ductam habere et retinere, aliud de nouo ducere, ut noſtri faciunt Lutherani. Oſtende igitur, ſi potes, unum ex omnibus, etiam Graecis, qui in Epiſcopatu aut presbyteratu de nouo duxerit ullam uxorem. Ego certe nullum ſcio, ſcio autem id et legibus et canonibus etiam Graecorum prohibitum eſſe. Si ergo adhuc me deceptum putas, rogo, ut inſtruas, quia ueritas ſuper omnia placere debet. Aſſerui nuper miſſae ſacrificium teut. contra Lutherum, ſed non audeo grauioribus magisque neceſſariis ſtudiis occupationibusque tuis importune teut. nugis obſtrepere. Sorori autem mitto exemplar conſolationis gratia; digna profecto eſt ſancta illa uirago, ut a fratre ſempiternae conſeruetur memoriae etiam in Greg. Nazianceno, qui ſororem ſuam ſimili extulit exemplo.

Contra malignum libellum nouorum Decretiſtarum ſatis acriter ſcripſi, non tamen eſt mihi nunc uel otium uel opportunitas edendi; omni enim hora incertus ſum, quando imperet mihi iter princeps. Collegi autem per contrarium alium quoque libellum, in quo non oſcitanter ſecundum ordinem libri excerpſi hoc uel illud decretum, quod per calumniam traherem

Digitized by Google

herem in partem noſtram, ſed ſub rectis titulis collegi ex toto decreto ſub ſingulis titulis tria, quatuor aut quinque decreta, quibus adiunxi etiam leges imperatorum et authenticas Iuſtiniani, ſacras praeterea literas, ubi certe longe alius uidebitur (ſpero) labor apud eruditos, quam maligna illa excerptio. Et nunc longe difficilior me habet labor, cuius partem, Deo dante, oſtendam tibi uel coram, ſi licebit, uel per nuntium ſaltem.

De reliquis duabus orationibus, quas transmiſiſti, nihil nunc mitto, quia benigne ſcripſiſti, non opus fore feſtinatione. Dabo tamen operam, ut perlegam, antequam abeam hinc Auguſtam. Deus bone! quantus eſt torrens, quanta exuberantia, quanta uis eloquii Gregoriani. Quantum uero debebimus tibi, Vir optime, qui latinitate tantam copiam Graecanicam feliciter adaequas. Det tibi Deus de rore benedictionis ſuae, ut perficias omnia; quanti enim theſauri eſt uel una iſta de Caeſario fratre funebris oratio? et uideo, reliquas duas non minoris eſſe pretii. Liberet me Deus ſemel a miſerabili labore et contentione, qua tot annos aerumnoſe perdo cum haereticis; at, ſi uitam hactenus propter catholicam fidem contemſi, ſtudia certe maioris facere non poſſum, quam uitam ipſam. Omnia igitur poſthabeo aſſerendae contra haereticos fidei. Deus boni conſulat hanc intentionem meam, et praeſtet nobis miſericorditer harum contentionum finem. Bene uale, cariſſ. Patrone, Vir clariſſ. ac de literis juxta et de republica optime ac feliciſſime merens

rens ac promouens. Ex Dreſda 27 Mart. 1530.

Tuus Io. Cochleus.

Ceterum, quod oblitus fueram, qui tibi dixit reuerendiſſ. D. Card. Campegium tam auare et nequiter egiſſe in Anglia, ille te uehementer decepit. Vtinam eſſet mihi otium ſcribendi tibi honorificentiſſima de eius prudentia et integritate teſtimonia; quae uir integerrimus epiſcopus Roffenſis manu ſua et quidam alius theologus ſummae tum probitatis tum eruditionis ad me ſcripſerunt per quendam nobilem, quem princeps meus in Angliam miſerat.

XXVII.

1. *Enarrat iter.* 2. *Gorgoniam Pirkheim. teütonice redditam edit.* 3. *Propoſitiones in Eccium.*

Ex Auguſta 30 Maii 1530. S. Tanto tempore hic ſum, et ad te non ſcribo, certe contra intentionem et morem meum Magn. Dn. Bilib. non ob aliam cauſſam, niſi quia certi aliquid expectabam de Caeſ. Maieſt. aduentu, ſed nimis longum fit tempus iſtud, committam igitur hoc aliis ad te ſcribendum; ego interim quae noſtra ſunt proprie ad Magn. T. fiducialiter magna fide ſcribam. Prius tamen iter noſtrum paucis explicabo. Iuimus ergo a Norimberga per Roth, Eychſtat et Ingolſtadium Monacum usque, ubi biduo permanſimus. Vrbs ea a plerisque noſtrum omnium pulcherrima eſt iudicata. Princeps noſter cum Ducibus Bauariae, duobus fratribus, abiit uerſus Inſpruck ad Caeſaream Maieſt. filium cum familiae maiore parte miſit huc, inter

inter quos et ego eram gaudens; timebam enim mala per Alpes hoſpitia propter hominum pluralitatem. Hic opportunum pro ſtudio meo nactus ſum hoſpitium. Cum autem putarem Caeſarem citius aduenturum, edidi latine non nihil in compendium iuris canonici, quod ex urbe ueſtra oriundum eſt, licet innominatum ſit more expoſitorum infantium. Tu, quaeſo, ſubindica, quo pacto poſſit auctor teneri, ut negare non poſſit; aliquid enim intendo, literis tuto committi cuncta non poſſunt; pro tua prudentia rem diriges, ego efficaciter (niſi Deus obſiſtat) ſatagam. In reliquo item negotio hodie prolixe ſcripſi ad patronum meum. Videbis (ſpero) pulcrum ludum cum tempore, ut intelligant etiam improbi, quomodo iniquitas mentiri ſoleat ſibi. Velim tamen pro ampliori inſtructione, ut uel Sebaldo noſtro, uel mihi ſignifices, quousque proceſſum ſit in Iudicio Camerae, hoc enim neceſſarium uidetur mihi, ut ſciamus, ſi forte exactius hac de re interrogemur, aliquid enim ad cauſam facit, ſi Magn. T. uolet, pulchram habemus occaſionem emendandi multa bona opportunitate, quae alioqui forte nunquam corrigi poſſent.

Tuam Gorgoniam teutonice reddidi, quae forſitan hic edetur; uoluiſſem quidem, ut prius tuam ſubiiſſet limam, ſed tempus et intercidendi periculum terruerunt me, et tamen hic quoque nullus eſt, quamquam multi offeruntur amici, quem rogare auſim, ut limam 2.

ap-

apponeret. Vnusquisque ſuas obtendit occupationes, breuis eſt libellus, ideo praecurro hanc nactus occaſionem, ut ingenti operi tuo uel hoc libello praeparetur maior expectatio. Quid enim de Gorgonia, niſi omnis uirtutis ſpeculum commemoratur? et tamen uerboſius mihi uidetur prooemium, et in quibusdam locis, (utinam non in omnibus) tuam deſiderarem cenſuram, ſed dabis (ſpero) ueniam non ſponte aberranti. Scis praeterea, me non eſſe in lingua teutonica exacte uerſatum. Quid mirum igitur, ſi latinum tuum aſſequi non poſſum, cum tu credas, te graecum aequiparare non poſſe? Bene uale, chariſſ. et obſeruandiſſ. Patrone, et tempore opportuno reſcribe. Libellus Gorgoniae nuncupabitur Antonio Fuggero, boni igitur conſules, quia retrocedere non licet, cum libellus ſit iam illi exhibitus quaſi edendus; tergiuerſari ergo non licet. Et tamen non eſt res magni momenti, ubi intellexero tibi diſplicere, parua iactura erit, ea exemplaria coemere et abolere, aut in melius commutare. Iterum uale, et ſaluta cariſſ. ſorores et filiam ad S. Claram,

3 Vidi propoſitiones in Eccium de uino, Venere et balneo; rogaui quidem illum, ut a nomine tuo abſtineret, ſed forte iam fuerat impreſſum, quando monui. Quaeſiuit ergo plagas, quas reperit. Mallem tamen hoc tempore eius auctoritatem in cauſſa fidei non ſic eleuari. Multus hodie de iis propoſitionibus in menſa principis ſermo erat. Nam can-

cancellarius eas uidit, ſed neſcit, unde prodeant. Multus igitur fuit riſus, licet non legerentur propoſitiones. Aderat et D. Iulius; qui nonnihil addebat ſalis ad maiorem riſum.

XXVIII.

1. Cochlaeus Auguſtae erat unus ex ſeptenis arbitris. 2. De Arnoldo Beſalienſi.

S. Magn. Dne. Bilibald. Licet rariſſime ad te iam ſcribam; ultimas tamen inter nos literas ego dedi, ad quas nondum accepi reſponſum. Fateor quidem culpam, ſi contendas, quod rarius ſcripſerim, ſed rerum incertitudo me ſemper ſuſpenſum tenuit; neque nunc ſcriberem, niſi nuntii certitudo me inuitaret, ſaltem ad remittendum tibi quicquid Gregorii Nazianzeni abs te bona fide recepi. De quibus longe prolixiorem mihi uoluptatem promittebam, quam re ipſa cepi, non ſane; quod orationes tam piae ac eruditae uoluptatem legendi non afferant, ſed quod otium ad eas legendas mihi conceſſum non fuerit; quamuis nondum ſcribere poſſim, quidnam effectum ſit ex laboribus noſtris. Adhuc in ſuſpenſo ſumus inter pacem et bellum, adhuc neſcimus, an certa fidei unitas Germaniae reddatur, adhuc agitur de concordia redintegranda, et, quod tu minime reris, D. Io. Eckius praecipuus nunc habetur hic pacis et belli arbiter. Poſt lectam Caeſaris reſponſionem cum Lutheranis principibus egerunt aliquamdiu principes tum electores, tum alii nonnulli, a quibus ad minorem numerum uentum eſt,

nempe ad ſeptenos homines ex utraque parte; ab iis demum ad ternos. Eckius unus fuit e ſeptem, et nunc de tribus quoque potiſſimus a plerisque habetur. Faxit Deus, ut concordia ſolida nobis contingat. Fui et ego unus e ſeptem, quamquam indignus et inutilis. Aderat et dominus meus, qui dicere ſolet forti certe et excelſo animo: non ſunt facienda mala, ut eueniant bona; ego autem ſententiam rogatus dixi: inter duo mala minus eligendum eſſe, bellum autem plus mali affert, quam uel iniqua concordia; mallem igitur concordiam, etiamſi quid permittendum ſit in iis, ubi non periclitatur fides. Plura ſcribam, ubi certiora intellexero.

2 Bene uale clariſſ. atque obſeruandiſſ. Dne. Bilibald. ex Auguſta 25 Auguſt. 1530.

Remitto tibi orationes aliquot b. Gregorii tui, non ſine rubore meo, atque etiam animi dolore et indignatione, quod neque meo, neque tuo ibi deſiderio ſatisfecerim. Partem poſteriorem legendam tradidi Arnoldo Beſalienſi, uiro doctiſſ. qui praepoſito Colonienſi notiſſimus eſt et familiariſſimus, qui bona fide legit meoque iuſſu (nam antiqua mihi cum eo familiaritas eſt) conſignauit quaedam loca, ſicut ego facere ſoleo, quamuis ille centuplo ſit me in omnibus eruditior. Non eſt, quod de fide eius dubites, noſco eius integritatem. Exſcripſit praepoſito Germaniam ad te datam. Alia mittam aut reportabo ipſe, quibus Magn. T. non eget, ego autem epiſcopis quibusdam absque autoris indicio legenda tradam, quia ad rem quam maxime faciunt.

XXIX.

Digitized by Google

XXIX.

1. Pirkheimeri Germania diuulgata. 2. conditiones pacis. 3. Philippi Melanchth. promiſſa irrita.

S. P. Magn. Dne. Bilib. Nudius tertius literas et exemplaria Germaniae tuae accepi, nempe VIII exemplaria, praeter literas ad Dom. Peutingerum et ad ill. praepoſitum Colonienſem. Hic multis iam hebdomadis dyſenteria (ni fallor) laborans in extremo uitae periculo fuit, et ingens erat quorundam de beneficiis eius (nam et ipſe uenari ſcit beneficia) expectatio et Caeſar ipſe interceſſerat pro Marchione Io. Alberto; ſi caſus ita ferret, ut uacaret praepoſitura Colonienſis. Aegrotat quidem adhuc grauiter; tamen ſpes eſt ſalutis recuperandae. Reddidi literas utrique per famulum; Suaſio et Varenpuhlero nihil adhuc reddidi; Philippo Melanchthoni et Spalatino mox eodem ueſpere transmiſi exemplaria ſingula; qui pro ſe ſe tibi gratias credo agent, agit et D. Iulius Pflug; ſed et Dno. meo principi Georgio exemplar unum tradidi, Nurenbergae in reditu (Deo uolente) aliud inueniam.

De pace nihil adhuc certi habeo; uereor equidem utrobique periculum, ſiue pax fiat, ſiue bellum ſuſcipiatur. De monaſteriis peſſime ſtat articulus pacis, nempe ut ea, quae adhuc permanent, in ſuis regulis et caeremoniis non impediantur, reliqua per ſequeſtros gubernentur usque ad futurum concilium; et 2.

ex ueſtris hic unus dixiſſe fertur: etſi maneant monaſteria, tamen uelitis ea habere clauſa, ne ibi ad populum praedicare et miſſas celebrare liceat. Diligenter ſane admoneo ea de re, ut cautius proſpiciatur ea de re, quantum profecero, ſcribere non poſſum, bene tamen ſpero, ſic concluſum iri, ut Lutherani, ſi fidem et promiſſa ſeruare uelint, non multum
3. gloriari inde queant. Gaudeo ſane, Philipp. Melanchthonem a ſuis non usque adeo bene audire, quod tam multa promiſiſſe uideatur, neque tamen a nobis multum gratiae referat, quia plura promiſit, quam praeſtat, et forte praeſtare queat. Sed et nos, qui de mediis pacis cum illis tractauimus, non per omnia noſtrae parti complacemus, quia aliquid illi amore pacis remittere uideamur. Quis autem omnibus in tam diuerſis iudiciis ac ſenſibus ſatisfaciat?

Non ſcio, quamdiu hic remanſurus ſit Dominus meus; exſpecto in horas, cum iubeat itineri accingere nos, ipſe tamen unus eſt ex VIII principibus, qui iam tandem a Caeſ. Maieſt. ad conſultandum electi ſunt, aut forte ab aliis electi cum Caeſare conſultant de concluſione et Receſſu. etc.

Dn. Ge. Geuder hinc abierat cum domino ſuo, ſed rediit, non tamen ſcio, an adhuc conſiſtat hic? De ſacris uirginibus ſaepe illi locutus ſum, ſed ueremur ambo, ne forte rem peiorem efficeremus, ſi priuatim pro illis ſolicitaremus, antequam generalis concluſio et diſpoſitio fiat. Bene uale Magn. Dne. patrone

Digitized by Google

ne colend. ſſ. ex Auguſta 17 Sept. 1530. Noſti manum.

XXX.

Conuitia et minae.

S. Mag. Dne. Bilibald. Ante paucos dies ſcripſi tibi, ut cogitetis de cauſſa Dni. Io. Geuderi, ne rurſus negligatur terminus proxime in Octobri habendus, quia fieret in graue eius praeiudicium, quantum accepi ab aliis, niſi auocata ſit cauſſa per Priorem Rebdorffen. Receſſus autem Caeſ. Maieſtat. die 22. huius menſis datus longe aliter ſonat, quam iactitant Lutherani, uos accerſitis uobis grauia pericula, uidebitis profecto, quam iuſtum erit Dei iudicium in eos, qui ſacras Dei ancillas tam impie ac procaciter uexaverunt. Vos confiditis in armis et pecuniis ueſtris, nos in iuſtitia cauſae et in auxilio diuino. Receſſit heri poſt prandium hora ſecunda Dux Saxoniae elector, cum quo grauiſſima habita eſt actio antea ueſpere et mane usque ad horam primam. Videbit et ille, quam parum proſpere cedant ſacrilegis bona eccleſiaſtica. Interim et nos pro partibus noſtris iuſte affligemur; certe Caeſar principibus promiſit, ſe extra fines imperii et Germaniae non abiturum, quin prius reduxerit ad obedientiam et unitatem Lutheranos. Remitto tibi per Doctorem Ioh. VVenger orationem pro monialibus et propoſitiones contra digamiam. Neſcio, quantum poſthac libellis in hac cauſſa proficiemus. Deus ſit nobis propitius, et reddat pacem absque multi ſangui-

Digitized by Google

nis effuſione. Nunc uoti compos eſt ſpiritus Lutheri, quod eo rem perduxit, ut poſſit Lutherus manus ſuas in ſanguine lauare. Faxit Deus, ut non fiat, ego certe non uideo, quomodo poſſit Germania maximam cladem euitare, imminet ab uno parte Turca, imminebit ab altera Caeſar, forſitan, et alii reges ac principes. Det Deus, ut mentiar. Rogo te, ut haec de me non dicas ulli, certiora forſitan ex ueſtris intelligetis; ego nihil certi ſciens, omnia timens plurimum ſuper patria noſtra doleo etc. Bene uale, et ſi quid mali patietur res publica ueſtra, nemini iuſtius adſcribes, quam Lazaro illi, qui uiros bonos peruertit et ad illicita traxit. Ex Auguſta 24 Sept. 1530. Noſti manum.

XXXI.

Lazarus notatus. Cochlaeus unus eſt ex quatuoruiris.

S. Miror profecto, cur modo tam raro reſpondeas ad literas meas, forte credis, me iamdudum hinc abiiſſe etc. De uirginibus S. Clarae nihil certi promittere poſſum, quid enim agam ſi nulla fiat executio? Vereor certe, ne prius haberetur, ſi quis aperte pro eis quereretur aut ſupplicaret Caeſari, qui in occulto iam ſatis ſcit, ut audio. Vos usque ad bannum proterui eſtis. Vereor, duce Lazaro, qui tot annis in peccatis ſepultus non ſolum fetet ipſe, ſed et pulcherrimae ciuitatis famam Caeſari ac toti fere mundo fetere facit. Vos igitur uideritis, quid fiet, ſi Iudaicae ſoboli

li ſalutem ciuitatis diutius credideritis. Poſt biduum abibit hinc Dominus meus, ſed audio, eum non per Nurembergam iter facturum, quod certe mihi perquam moleſtum eſt, quamuis inſtet R. D. Legatus, fortaſſis et Caeſar petet, ut hic maneam, donec edantur omnia, quae oportet. Ego enim quartus ſum et unus ex quatuor, quibus illud negotii commiſſum eſt, non tamen intendo remanere, quia non uideo, quo pacto pateat mihi tutus tranſitus absque latere Domini mei. Quod ſi remanendum mihi ſit, (quod nolim) reſcribam tibi cito, ut huc ſemel mittas adhuc literas, tuoque me iuues conſilio. Bene uale, cariſſim. et obſeruandiſſ. Patrone. Ex Auguſta die 18 Octob. 1530

II.

EPISTOLA IO. FABRI, AVGVSTANI, ORD. PRAEDICAT.

Conqueritur de inimicis ſuis et bonarum artium hoſtibus.

S. P. D. Fama prorſus illa tua ſingularis, praeſtantiſſime VVilibalde Byrckmeier, doctrinaque incomparabilis, quae te omnibus notum, bonis uero cunctis amabilem reddunt, in cauſa fuere, quod has ad te darem, Aetati noſtrae per te atque huic noſtro ſaeculo congratulor. Eſt enim et hoc tempore, quod admirari poſſimus, nec ſemper ueterum ingenia ſuſpiciamus. Ego nos, qui hoc ſaeculo uiuimus, multum tibi debere fateor ſimul et Eraſmo Roterodamo, quod bonarum literarum

Digitized by Google

ſitis primarii ductores, neque ullos putauerim, qui uobis palmam non tribuant, praeter unicos neſcio quos ſophiſtas theologos, qui quidem omne, quod ſuae ferurae non ſit, aut demoliuntur aut certe uim parant et te etReuchlin et pleroſque alios doctiſſimos uiros in Germania ſunt aggreſſi, ſed ita contudiſtis uos eorum hominum ora, ut forte ſibi rerum ſuarum conſcii bellum iam declinent. At ubi uos euaſiſtis ſuperiores, ne nihil mali interim molirentur, me ultimo ſunt aggreſſi, tantis (ut uerum fatear) machinis fortiſſimiſque caſtris, ut et Pontificem Maximum, ut dicunt, atque nonnullos ex purpuratis patribus in mei excidium armauerint, inque caſtra ſua induxerint. Quod ſi cauſam quaeris, profecto (ita Deus me amet) nullam ſciuerim ego, ni cauſam uelint, quod nunquam fuerim conſentiens eorum conſiliis in perſequendis doctis atque innocentibus uiris, ſed potius reluctans atque contrarium perſuadens. Praetendunt ipſi temere neſcio quam ſanctitatem uitae grauitatemque catholicis. Gaudeo autem, inter eos me poſitum, qui cum nullus ſim, ab his tamen ſim crebro moleſtatus atque perſecutiones grauiſſimas paſſus. Nam ita mihi perſuadeo, ut ſi nihil in me praecipuum ac ſingulare uidiſſent, nunquam me perſequerentur. Etſi enim mihi nihili ſim conſcius, uideo tamen, eos neminem agreſſos, niſi praecipuum quoddam in ſe haberet excellenſue donum. Appetunt enim uideri et cum per ſe non ualeant, ex aliorum gloria optant ſibi decerni triumphum, aut forte id maximo datur uitio, quod uobis uiris doctiſſi-

ctiſſimis, qui ueras ac bonas literas colitis atque plurimum extollitis, fauerim atque adhaeſerim. Vtcumque, quae modo ſit cauſſa perſecutionis meae, Caeſar ſacrae et glorioſae memoriae, ut qui innocentiam meam, eorum uero fraudes plene agnouiſſet, in protectionem mei ſuſpexit. Expulſis itaque eis ex Auguſta ultimo imperiali conuentu (ubi cum magna caterua conuenerant) mandatum dedit, quatenus a mea atque meorum ceſſarent perſecutione. Verum ipſi morte Caeſaris audita, una cum reuerendiſſimo D. Cardinali S. Sixti, qui et ipſe eorum fauet factis, ad ultimam mei internecionem bellum innouarunt, excommunicationes et id genus minantes, niſi paream obſequarque uoluntati eorum. Ego tamen interim me continui, ſatis arbitrans, ſi oppida ab hoſtibus interim probe defenſarem. Poſtea uero quam potentiſſimus Carolus in Rom. Regem eſt electus, reuerendiſſimi ac illuſtriſſimi magnificique domini commiſſarii maieſt. regiae defenſionem meam contra eos homines aſſumſerunt. Sciunt enim probe ipſi, (utpote qui interfuerunt publico conſilio, quo Caeſar glor. memor. eis ipſis mentem ſuam declarauit) quod maieſtati ſuae atque mihi fuerit propoſitum. Nihil enim moror prorſus, immo ſummopere affecto reformatam uitam, quam ipſi ſe dicunt optare, uerum non eo pacto, quo ipſi eam excolunt. Fuit Caeſareae maieſtati, per eamque mihi longe conuenientior, humanior, nec non aequior modus, religioſe uiuendi, quam hi

 homi-

Digitized by Google

homines hactenus ſint uſi. Neque bonas literas Theologicas abhominor, quin immo eas colo tractaboque, quoad uixero; ſed non iuxta eorum inſtituta, ut qui a cunabulis ſophiſmata ac ſuperfluas illas quaeſtiones ſemper fugerim. Mallem uero, ut Theologia et ipſa latine loqueretur, tractaremusque diuina myſteria, quemadmodum ueteres Theologi tractarunt, Auguſtin. uidel. atque Hieronymus; Picus uero Mirandulanus, Marſilius Ficinus politicos inter modernos, eſſentque nonnulli ex fratribus, qui Graecas atque hebraeas literas noſſent. Ad hoc continuo laboraui iamque res in finem deducta eſſet, ſi Caeſar uiueret; at eo mortuo, omnes adhibebo conatus, ut potentiſſ. Carolus facta atque propoſita aui proſequatur. Quod ſi in finem deduxero, nemo me beatior, nemo felicior, ſed de hoc latius alias, cum per otium licuerit, tibi, uir clariſſ. ut qui ingenuam integritatem atque ueras literas colas, ad plenum depingere. Nunc autem mittit ad te aliquis amicus, immo tibi amicus, mihi uero parentis loco Chonradus Peittinger, quas in defenſionem mei domini commiſſarii dederunt, literas, non ob aliam ſane cauſſam, niſi ut me tibi commendaret, quem cupiat bonis omnibus commendatum eſſe, quique rem tibi forte non ingratam coram monſtraret. Nam poſteaquam bonos omnes laeſerunt hi homines, quid reſtat, obſecro, niſi ut ab omnibus et ipſi impetantur. Ego uero etſi cognoſcam me de tali ſorte, ut amicitia tua plane non ſim dignus, fores tamen amicitiae tuae pulſo. Cur

enim

enim et meae ſortis homines deſpicies? quum et inter geniales dapes uilis quandoque iuuat atque appetitur oliua. Fac uale, Vir Clariſſ. meque tibi commendatum habe. Et ſi aliquando Cocleum tuis humaniſſimis literis ſalutaueris, me huic (rogo humiliter) quamplurimum commendes quoque. Fuit enim mihi in diſputatione illa Bononienſi, quam contra Eckium diſceptaui, et amicus et fautor, id quod forte alias ex uiro illo optimo percepiſti. D. Auguſtae 1519 d. 12 Auguſt.

III.

EPISTOLA HERMANN. NVENARII, COMITIS.

1. *De Solino, Freculphi codice et Richardi epiſtolis, itemet berbario edendis. 2. de Landgrauio Haſſiae.*

S. D. Hodie tempeſtas aeris, tum etiam diei reuerentia profectionem meam ſuſpenderunt, uerum quia non ſatis intellexi, an librum illum Solini nomine inſcriptum, excudi apud nos uelis, an potius ad te, ſi obtineri poterit, transmitti; uelim id ipſum aliquando per literas explanes. Inſuper ſcio ego codicem apud nos inſcriptum Freculpho epiſcopo, qui ſe de Gothorum gente ortum profitetur; dedicat autem opus illud cuidam Iudith, reginae puto Romanorum; hiſtoriam orditur ab exordio mundi compendioſe ſatis. ſed non animaduerti, illum exacte tractare res ſiue Gothicas, ſiue Germanicas, ſed potius

penes

penes Romanorum hiſtorias haerere. Vidi etiam epiſtolam cuiusdam regis Hiſpaniarum nomine Richardi, quae permulta in ſe continet Germanicae uetuſtatis monumenta, ſcribit enim ſe ſereniſſima iam pace gubernare Gothos, Vandalos, Alamannos, Sueuos, Saxones, unde non obſcure colligitur, eas gentes totam tunc occupaſſe Hiſpaniam, atque eandem per ſua uocabula diſtribuiſſe. Hinc etiam uidemus, cur Seſibutus rex Gothorum uocetur, cum tamen ille partem eam Hiſpaniae obtineret, in qua metropolis eſt Hiſpalis, inde Seuilia dicta. Nam eius ciuitatis Iſidorus epiſcopus erat, cuius permultae extant ad praefatum Seſibutum epiſtolae. Andaloſia a Vandalis olim dicta eſt ea prouincia, licet ex eadem poſtea Vandalos Gothi deturbarint. Eſt autem Hiſpanis peculiare, literas quasdam uel abiicere, uel permutare. Si tibi probatur, haec omnia in unum opus contrahemus, neque Solinum illum tam prolixum eſſe patiemur, ſed excerptis tantummodo uetuſtatis monumentis, reliquum uelut inutile reſecabimus. Item placeret mihi per otium deſcribi herbarium illum, de quo mihi hodie retuliſti; nam erit opus multis gratiſſimum, praeterea et lectione etiam doctorum uirorum dignum, potero ego nonnihil ad eam rem operae praeſtare; nam permultas herbas ex Dioſcoride apprehendi, quas uel ignorat, uel perperam interpretatur recens medicorum ſchola, ſi quid in ea re per me fieri uelis, libentiſſime meum
2. ſtudium tibi communicabo. Quod poſtremum

eſt,

eſt, unice optarim, quantum per honorem tibi licet de propoſitis per Landgrauium articulis certior fieri; nam contingit ea res non nihil Caeſarem noſtrum, cuius ego nunc uices aliquo pacto gerere cogor. Neque uero te non fidelem Caeſareae maieſtati expertus ſum, uellem ego officio meo utcunque ſatisfacere; nam praeterquam ut illi bene uelim parum eſt, quod poſſim, ſi tibi per honorem non licet prodere, nihil urgeo; breui enim, fama ipſa rem omnem diuulgabit; fama fuit apud nos duos illos euangelicos principes nonnihil de deligendo nouo Romanorum rege tractare, ita tamen, ut interim epiſcoporum auctoritas omnino deturbaretur. Cum uacabis aliquando, Ratisponam uel breuiſſimam literulam ad me mittes, tum etiam de libris illis ueteribus. Vale feliciſſime, mi Bilibalde. Feſtinanter e diuerſorio noſtro.

Tuus Hermannus Nuenarius, Comes Praepoſitus Colonienſ. Dominus Bedburis.

IV.

EPISTOLAE MICH. HVMELBERGII.

1. *Oecolampadium moresque ſacerdotum prauos redarguit.*

S. Binas tuas literas, Bilibalde eruditiſſime piiſſimeque, et poſteriorem κατὰ οἰκολαμπαδίου libellum recepi, et non tam pro libello, quam etiam literis gratias et habeo et ago maximis maiores, quas etiam dum, ſi licebit, olim

Digitized by Google

olim referre non pigebit. Ceterum quod ille te modeſtiſſime iuxta ac piiſſime pro Euchariſtiae aſſertione ſcribentem adeo uirulenter inſectatus fuit, admodum diſplicuit, non ob id tantum, quod te de Chriſtiana religione optime merentem, indignis tractavit modis et palam δεισιδαιμονίας traduxit, ſed quod etiam alioquin bonam de ſe exiſtimationem apud multos contaminauit, apud me autem maxime, qui ex eius in Eſaiam commentariorum lectione miram de ipſius animi candore, pietate ſanctitateque opinionem conceperam, quod illic non minus docte, quam pure et pie, abſtruſae ſcripturae propheticae ſenſus eruiſſe mihi uiſus eſſet, idque adeo, ut non dubitarim, eum diuo Hieronymo in hoc interpretationis genere praeferre. Atque utinam in prophetis interpretandis perrexiſſet, non ſuſcepiſſet impii dogmatis patrocinium, eſſet adhuc in eo, quod non poſſet non commendari a doctis, quod nunc totum hac inſipientia ſua fœdauit. Deus errantem ἐν τῇ ἐρήμῳ καὶ ἀβάτῳ καὶ ἀνύδρῳ reducat in uiam ſalutis et creet in eo cor purum et pium et ſpiritum rectum in uiſceribus eius renouet. Amen.

Porro quod ſcribis, te fruſtra hactenus ſperaſſe fructum Euangelii et ſpiritus libertatem paſſim in carnis licentiam uerſam queruIaris, nae ſolus non es, qui grauiter id feras, multi tecum hanc calamitatem deplorant. Sed quorum, quaeſo, culpa hoc malum contigit? Certe falſorum quorundam fratrum et pſeudoprophetarum, qui praedicabant, quum tamen

non

non eſſent miſſi, non animas Chriſto lucrari cupientes, ſed uulgi applauſum quaerentes, dum neglecta lege, qua cohercenda multitudo eſt, gratiam plus nimio liberaliter ebuccinabant, contemptaque religione; omnia ſacra prophanabant, nuſquam non ſcandalizantes Euangelium. His praedicatoribus hunc euangelii fructum ſcilicet acceptum ferre debemus, quod plerique omnes arbitrantur licere ſibi peccare; et in peccatis ad finem uitae uſque perſeuerare, nec unquam, niſi inſtante morte, reſipiſcere, adeo proſtitutam habent Dei miſericordiam, ut iuſtitiae eius uel nullam uel paruam habeant rationem. Ob quod et Dei ira iuſte in nos iam peſte, iam gladio ſaeuit. Olim peccantem Iſraelem Deus per Aſſyrios et Chaldaeos puniebat, nos nunc per Turcas affligere coepit, et plane timendum, ne quod illis et nobis eueniat, ut regamur in uirga ferrea, et ceu figuli uaſa confracti, inque uiliſſimum comminuti puluerem proiiciamur a facie terrae, nobis, inquam, qui in Europa Chriſtiano adhuc cenſemur nomine, non Germanis tantum, quibus iam cominus imminet atrox hoſtis, Turca: his enim deuictis, quis reliquus populus tam potenti reſiſtet hoſti? et profecto Turca inſignes hactenus uictoriae, multos adhuc polliceri ſibi triumphos uidentur, ni prohibeat Deus a nobis poenitentia placatus, et puris exoratus precibus, aegre effugiemus dirum flagellum. Sed haec tecum pluribus, quam par eſt; uerum quia bonus uir es, boni conſules quidquid a bono prodit animo,

Digitized by Google

mo. Bene uale in gratia et pace Domini IEſu Chriſti. Rauensburgi IV Eid. Februar. A. MDXXVII.

Velim ſcire, num Martini liber, quem iſtà hieme contra Sacramentales iſtos homines ſcribere orſus eſt, editus ſit.

Tuus, quidquid eſt,

Michael Humelbergius.

Vaſtauit Zelymus Memphimque Rhodumque ſuperbam
Pannonios idem depopulauit agros.
Proxima iam praeda eſt, timeo, Germania Turcae,
Qua capta, caedet quidquid et orbis habet.

II.

De rebus Conſtantienſibus turbulentis.

ὑμελβέργιος τῷ πιρκχειμήρῳ εὐπράττειν.

Literae tuae quanto copioſiores, tanto gratiores mihi fuere. Pergas ſic uelim familiariter et amiciter mecum agere. Ego tametſi ingenio et eruditione non poſſim, tamen enitar amore et officio tibi liberaliter reſpondere; modo ſemper boni conſulas τὴν ἐμὴν ἀμαθίαν. Alteram partem Eraſmi aduerſus ſeruum arbitrium necdum audiui editam. Scripſi pro ea nudius quintus Conſtantiam, ubi, qui Baſileae impreſſi ſunt libri, mox proſtant, ſed non fuit reperta. Zuinglius edidit librum 24 quaternionum hoc titulo inſcriptum: Amica Exegeſis ad M. Lutherum. Hunc ipſe nondum uidi, audio modeſtum eſſe, ac nulla amarulentia reſperſum. Exigit autem a Luthero, ut τὸ

Digitized by Google

τῆς εὐχαριστίας πρᾶγμα ſcriptura et ſolidis argumentis tractet, non, ut multa, ſolis conuitiis, diligenterque penſitet etiam inferiorum in eccleſia iudicia, qui itidem ſcriptura utuntur. Oecolampadius ad ſecundam tuam reſponſionem dicitur reſpondiſſe. Sed tu eum libellum iam dudum, opinor, habuiſti; ſin minus, mox reſcribe et primo tabellione recipies, ſiquidem Conſtantiae uenalem haberi aiunt, unde mihi interim adferendum curabo. βαρές φέρει ὁ ἐκεινθε ſe tumultus et ſeditionis abs te argutum. De rebus Conſtantienſibus hoc habe. Epiſcopus et Canonici exulant, ille Mersburgi in arce ſua, iſti uero Vberlingii, non ui ciuium pulſi, ſed ultro eccleſiam ſuam deſerentes. Aeſtate retro Conſtantienſes urbis ſuae uallum, foſſas et aggeres inſtauraturi communi tam ciuium, quam ſacerdotum labore et impenſa domatim omnem operam diſtribuerunt, qua re ſe grauatos canonici arbitrantes, ut qui eccleſiaſtica gauderent libertate, et pontificio iure immunes eſſent ab omnibus publicis operibus, pro uiribus reſtiterunt, querulantes interim de hocce grauimine apud proceres et ſenatum Imperii. Is ad illorum delationem Conſtantienſibus diem dixit, arbitros poſuit locumque audiendae cauſae et tollendae controuerſiae deſignauit Vberlingium. Vbi quum ſtato die conuentum eſſet, Epiſcopus et Canonici γραφὴν ἔθεντο ἐπὶ διαιτητῶν contra Conſtantienſes, tam iracundam et amarulentam, ut illi omnino dedignati ſint ad obiecta reſpondere, teſtati, ſe de tam atroci

iniuria in nullos porro arbitros conſenſuros, ſed magis iuris rigorem experturos eſſe, ſi quid Epiſcopus et collegium iſtud aduerſus ſe habeant. Itaque re infecta diſceſſum eſt. Canonici timentes, ſe ob acerrimam illam accuſationem fore ciuibus odio, et ob id ſe aliquando periclitaturos, foris manſerunt, et relictis Conſtantiae ſuperbis aedibus, auecta tamen omni ſupellectili, Vberlingii nunc habitant, non prius, ut quidam muſſant, Conſtantiam redituri, quam in uerba iurarint Magiſtratus, ciuilia onera cum populo ſubituri. Reliqui ſacerdotes dicto Senatus audientes ſunt, et imperata faciunt. Si qui concubinas habuerunt, aut ſuſpectas alioqui ancillas, eas, iubente Senatu, uel ablegant, uel ducunt uxores. Id ipſum et concubinarii laici facere publico edicto coguntur. Volunt Conſtantienſes urbem ſuam repurgatam eſſe a foedis adulteriis et ſcortationibus.

Forum praeterea epiſcopale, quod Conſiſtorium uocatur, Cellam abit, eſt id oppidulum ad Venetum lacum ſitum ditionis archiducum Auſtriae etc. Bene uale, meque mutuiter ama; et tuis literis identidem et oblecta et orna. Rauenſpurgi e muſeo noſtro XVIII Kls Maias MDXXVII.

Tuus Michael Humelbergius

Quae Martinus nuper ad Angliae regem ſcripſit, nondum uidi. Si iſtic proſtant, mihi emito et mittito, pretium aſſignatum mox mittam. Qui has attulit, lubens feret.

Epitaphium Ioannis Schlupf, Vberlingenſium parochi, qui latine Repo uocari uoluit.

Apol-

Apollo.

Sub terram repſit, Ioannes nomine, Repo,
Quem uulgo Schlupffum barbara lingua uocat.
Huic quicunque uolet gratus perſoluere iuſta,
Is tantum dicat, barbare Repo uale.

Barbaries.

Repo Iuuenis libenter uixit;
Senex inuite morixit;
Mortuus ſe hic ſepelixit;
Et ad patres ixit;

Calliope.

Vos o Sophiſtae barbari
Deflete ueſtrum nunc decus,
Quod morte ſublatum inuida
Orcus ſepultum iam tenet.

Pridie Eidus Aprilis.

MDXXVII.

Fuit is, qui Balthaſare rebaptiſatorum anteſignano VValtzhuta pulſo, populum in priſtinum ordinem redigere, papiſticis et ſcholicis concionibus ſategit. Sed quantum promouerit, neſcio. Hunc iocum addidi, iam iam enatum, ut eo dolorem ex podagra, ſi forte praeſens, his acceptis adeſſet, non nihil leuares. Iterum uale, Bilibalde colendiſſime.

III.

Epitaphium Michael Humelbergii.

DEO OPTIMO MAXIMO
TRINO ET VNI
SACRVM.

Myſtes ille ſacer CHRISTI, doctusque MICHAEL
HVMELBERGIVS, hoc conditur in tumulo.

Immeritum e uiuis quem triſtia fata tulerunt,
Doctis ac multis flebilis ipſe quidem.
Quare age, qui praeſens haec ſcripta legis, pia uota
Fac, animae dicas uerbaque ſacra precor.

MICHAELI HVMELBERGIO RAVENSPVRGENSI
HVMANI ET DIVINI IVRIS CONSVLTISSIMO
GRAECAE IVXTA ET LATINAE LINGVAE DOCTISSIMO
CHRISTIANAE PIETATIS SACERDOTI INTEGERRIMO
DOCTIS AC MVSIS AMICO
GABRIEL FRATER CHARISSIMVS
PIO AC SYNCERO MENTIS AFFECTV
POSVIT GRATVS
LIBENS MERITO
OBIIT AN. DN. M. D. XXVII
MENSIS MAII DIE XIX.
VIXIT ANN. XL. DIES ALIQVOT, PLVRES, PAVCIORES.

V.

EPISTOLAE GABRIEL. HVMELBERGII, MED. DOCT.

I.

Indicat libros Baſileae recens typis exſcriptos.

S. P. D. Accepiſti reor, quas Kalendis Ianuariis ad te dedi literas, quibus tuis reſpondi, et gratias pro libris muneri mihi miſſis habui. Interim, quod ſeriberem, dignum ſe obtulit nihil, niſi quod inter fratris mei Michaelis monumenta carmen ad te reperi, quod

Digitized by Google

quod tibi haud ingratum fore putans, ſubſcribere placuit.

Pirckheimere, tuum nobis haec ſcripta probatum
Vt monſtrant animum, ſic ſimul ingenium.

Hoc quamuis breue ſit, laude tamen tua non omnino carens, nec uacuum. Ex quo quali erga te fuerit animo, tibi haud difficile iudicatu erit. Fuit illi iugis tui memoria, maximo ac uero te proſequebatur amore, optime ac pie de te ſentiebat, maximique faciebat ſemper, quod ipſe melius noſti, quam ego calamo depingere poſſim. Reperi et ex beato Ephrem, paulo ante obitum ſuum deſcriptam paginam, quam quia ſacramenti euchariſtiae materiam continet, et in hac tu te contra aduerſarios et hoſtes Chriſti exercueris, tibi, ni fallor, transmiſſurus erat, quare ipſam a me nunc demum accipe. Praeterea rem tibi non ingratam facturum me arbitror, ſi, qui recens Baſileae impreſſi ſunt libri, ſubſcripſero. Sunt autem hi: Philippus in Iob, Opera Philonis, Sedulius in epiſtolas Pauli, Chromatius in quaedam capita Matthaei, Beda de figuris, Codex Theodoſianus, Inſtitutiones Caii et Pauli Iureconſultorum, Voluſianus de Aſſe et Frontinus de limitibus agrorum. Et haec in officina Henrici Petri, autore Sichardo, qui etiam ueterum medicorum, ut ad me ſcribit, centonem nobis daturus eſt. Scripſit et Eraſmus noſter duos dialogos, alterum de pronunciatione, alterum de optimo dicendi genere, quem uoca-

Digitized by Google

uit Ciceronianum. Sunt et Ciceronis opera excuſa emendatius aliquanto, quam antea ſumptu Gratandri et beneficio Sicchardi, qui antiquiſſima exemplaria, ad quae conferrentur, ſuppeditauit. Haec, quia non iniucunda tibi fore ratus ſum, adſcribere haud abs re putaui. Tu nugis meis ignoſcito. Quod reliquum eſt, latet apud te, ni fallor, Apulei de herbis liber, quem, ſi ad exſcribendum petere auderem, haud cunctarer, et optima fide me reſtituturum pollicerer. Sed tu forte, quamuis de fide mea non dubites, id tamen aequum non cenſes, quare haud mihi petendum, aut, ut impetrem, ſperandum, etiam ſi petam. Sed de his ſatis. Nolo enim moleſtior tibi eſſe. Tu omnia boni conſule et mutuiter me ama, ſaepiusque literas tuas non Laconicas, ſed Atticas et omni eruditione plenas ad me, dum per otium licet, ſcribe. Vale piiſſime in Chriſto Ieſu Saluatore noſtro uir integerrime. Veltkirchii III Eid. April. M. D. XXVIII.

II.

1. *Luget obitum Alb. Dureri.* 2. *conqueritur de re herbaria perturbata.*

S. P. D. Literas tuas ſeptimo Kalendas Maii ſcriptas, octauo Eid. eiusdem recepi, Vir ornatiſſime. Propter amici tui Alberti Dureri mortem tibi condoleo, ut qui maxime. Amiſiſti, non dubito, amicum optimum, et quem amiſſum merito doleas. Sed cogita, illum hoc perturbato tempore multis aeru-

aerumnis ereptum, ac praeceſſiſſe, quo nobis adhuc eundum eſt, et breui ſequemur, nihil nobiscum hinc portaturi, niſi bonae arboris fructum bonum, quare patientius etiam ferendum, quod reuocari non poteſt. Turbauit me plurimum aegritudo tua, nec eſt, quod me conſoletur, niſi ſpes ipſa, quam de recuperata nunc ſanitate tua concepi, quam etiamſi nondum aſſecutus fueris, quod abſit, ut tamen quam primum conſequaris, diuinum pro te numen adoro. Apuleium de herbis ea 2.
cauſſa deſiderabam, ut cum farragine mea conferrem; habeo enim eundem ex antiquo libro deſcriptum, ſed mancum et deprauatum. Petiit hunc a me Sichardus quidam Baſileae, cum ſuo, quem propediem cum aliis quibusdam editurus eſt, collaturus. Ego homini, de re literaria bene merenti, lubens morem gererem, ſi, qui librum iſtuc perferret, fidus daretur nuncius. Cepit Apulei emendationem Peutinger, cui exemplar etiam eſt antiquum, ad quod meum aliquando collatum fuit, ſed in multis haec uariant. Neſcio, ſi quando emendatum a ſe editurus ſit. Circa herbarum et rerum medicinalium indagationem laudo inſtitutum tuum. Multa enim ſunt, quae nunc ignorantur, etiam a peritioribus, uerſamurque nonnunquam magnis in erroribus, qui ex ſola medicorum, quod dicere pudet, deſidia, et herbulariorum perfidia occaſionem habuerunt. In qua re etiam ignorantiam meam fateri haud me pudet: nec uitio mihi uorti debere autumo, propter ſedulam, quam

in his, inueſtigando hucusque, non ſegnis habui diligentiam; quamuis nihil, aut parum, ſi modo aliquid, profecerim. Eſt tamen nonnihil etiam prodiſſe tenus et tentaſſe aliquid, ſi non datur ultra. Verum quo minus in multorum (quae, niſi librorum accedente auxilio, indagari nequeunt) cognitionem peruenire potuerim, paupertas mea obſtaculo fuit, quae libros comparare non ſinit. Nam cum copioſa mihi ſit ſoboles et illa non paruo ſuſtentanda, uix tantum corradere poſſum, quantum ad hanc parcius etiam alendam ſatis eſt. Proprius etenim ſuccus paucus eſt, nec minus paruum, immo minimum, quod ex medica praxi conquiritur lucrum: hic enim nullus medicinae honor eſt. Caeterum de his, ſuper quibus doctior a me fieri cupis, utinam tibi ſatisfacere poſſem. Quod cum in omnibus certe, ut petis, praeſtare non queam, in aliquibus tamen id conabor: nec ſine effectu, ni fallor. Fui etenim in iisdem inueſtigandis iam diu occupatus; quamuis adhuc non omnia certo indagare potuerim, nec mirum id, cum plurima noſtro acuo in uſu ſint, quorum permutata ſunt nomina. Vnde fit, ut ſaepius unum pro alio et letale pro ſalutifero propinetur, non modo ab ignaris, ſed et a peritioribus aliquando et magni nominis medicis. Quod non aliunde fieri puto, quam peruerſis quorundam moribus, qui non ueritatis indagatores, ſed pecuniarum potius inquiſitores ſunt auari, qui aliis inuidentes ea, quae a priſcis illis elaborata acceperunt, poſteris quoque

que abſconderunt, aliis nonnunquam ob id inditis rebus uocabulis et propriis quomodolibet ſuppreſſis et occultatis: cum tamen ueterum diligentia nihil intentatum inexpertumque reliquerit, quod non prodeſſe uoluerit poſteris. Sed maligni poſteriorum mores, id quod nouerunt, demonſtrare noluerunt, immo occultauerunt potius, tanquam ipſis periturum fuerit, quod tradiderint aliis. Hinc factum eſt, ut recte facta ueterum intra ipſos perierint, ac multa olim notiſſima et omnibus obuia, nunc a paucis dignoſcantur, ſed ab omnibus fere ignorentur, quod maxime deplorandum eſt. Nam quamuis ſint aliqui, qui rerum ueritatem indagare ſtudeant, rarus tamen eſt, qui uel paucula quaedam demonſtrare poſſit; tanta eſt omnium facta immutatio. Ego iam diu in his me exerceo, parum tamen aſſequor: quare quid de aliis ſperandum ſit, neſcio. Vtinam horum certus aliquis demonſtrator olim contingat, qui nos omnia certo edoceat. Quod quamdiu non fiet, cogemur ſemper in tenebris et ignorantiae nubilo multorum cum pernicie, quod maxime dolendum eſt, uerſari. Sed de his nunc ſatis ſuperque. Tu prolixitati et loquacitati meae, qua contra naturam meam abuſus ſum, ignoſcito. Quod ſi his, quae ad quaeſita tua reſpondeo, melius ac certius quid noſti, fac me doctiorem. Vale feliciter et ſanitati tum corporis, tum animi ſtude, diuque nobis incolumem te ſeruet omnipotens Deus et Saluator noſter Ieſus Chriſtus cum patre et pneumate ſancto. Amen.

men. Si quid eſt aliud, quo tibi ſeruire poſſum, manda, et ad uota tua ſemper paratum me habebis: Tuus enim ſum totus. Iterum uale ac ſalue Vir clariſſime. Veltkirchii VIII Kalendas Iulii An. Dn. M. D. XXVIII.

III.

De Rhabarbaro et Rhapontico.

S. P. D. Quae ad literas tuas et quaeſtiones illas medicas reſpondi, accepiſſe te reor, Vir clariſſime. Interim ego nihil tuarum literarum accepi; quare uti tibi placuerint, neſcio: quod tamen, et quam belle ualeas (tua enim ſalus non ſecus ac propria mihi curae eſt) ſcire deſidero. Ceterum quum prius ad te ſcripſerim, Rhabarbarum eſſe radicem a Dioſcoride Rha ſimpliciter dictam et, ut tradit, a Romanis Rha ponticum dici, aliud tamen eſſe a radice noſtro tempore Rha ponticum dicta. Quaerere poſſes: quaenam igitur radix eſt, quam nunc Rha ponticum adpellamus? Reſpondeo, radicem illam, quae nunc Rha ponticum dicitur, eam eſſe, quam Dioſcorides Centaurium maius uocat; naſcitur haec plurima in alpibus noſtris, eamque ego hoc anno in hortulum ſoceri mei transplantaui. Hoc autem ita eſſe quamuis prius ſentirem, quia tamen plantam cum libro non contuleram, aſſerere non auſus fui: nunc autem id aſſero, et ita eſſe ex plantae effigie et deſcriptione, ambobus inuicem collatis, comperi. Hoc eſt, quod ſcire te uolui. Adhaec nuper dum Rauenſpurgi apud congenerum meum Doctorem Ioacimum

Egel-

Egellium eſſem, uidi Cornelium Celſum et Q. Serenum recens impreſſos cum ſcholiis cuiusdam, quae tamen ad ſtomachum meum neutiquam faciunt: neſcio qualis ſit Celſus, quem tu Venetiis impreſſum ſcribis, aut quem Sichardus nobis promittit, qui niſi alius fuerit, non probo. Haec ſunt, quae ſcribenda nunc ſe obtulerunt; Tu qualiacunque boni conſule. Et hoc nuncio, ſi nihil tibi obſtat, reſcribe, literisque tuis me oblecta. Vale pie in χρῷ Ιεῦ Servatore noſtro. Curſim Veltkirchii IIII Nonas Octobr. An. Salutis noſtrae M. D. XXVIII.

IV.

Remedia quaedam aduerſus calculum. Botanica uaria.

S. P. D. Accepi literas tuas omnium deſideratiſſimas, Vir clariſſ. Quod ſcribis te a calculi dolore liberatum, maximo eſt mihi gaudio, & unice tibi gratulor. Lubens ad te longe antea ſcripſiſſem ea, quae in eiusdem morbi malo non inutilem uſum aliquando praeſtiterant, niſi medicorum, quos longe doctiſſimos apud uos eſſe non dubito, conſiliis et opera iam dudum ab hoc malo liberatum te putaſſem. Nec modo adſcribere pigeret, niſi ſuperuacaneum id exiſtimarem, propter ſingularem et diuinam medicinam illam Veronicae qua nunc adiutum te ſcribis, et quam poſthac ſolam, ſi quando aegritudo, quod abſit, denuo moleſtare te perrexerit, in medicum uſum admiſſurum te non ambigo, nec melius tibi conſuli poſſe arbitror. Sed quia ex continuo unius

unius rei uſu natura propter aſſuetudinem rem illam poſtmodum non amplius tanquam medicinam acceptat, nec inde iuuatur, et eam ob cauſam medicamenta quoque uarianda ſunt, ideo quae mihi quoque experta ſunt, licet fortaſſis per te prius etiam utcunque tentata adſcribam, ut ſi uel poſthac, ubi non prius, utilitatem aliquam adferre poſſint; et ſi non radicitus euellere morbum, ſaltem ad tempus dolorem lenire ualeant. Sunt autem, et in primis ex animalibus accepta, haec: Oſſicula poplitum poſteriorum leporis, et eiusdem uſti cinis. Oſſicula mandibularum lucii piſcis, nec non cancrorum lapilli. Audiui etiam fide dignos aſſerentes, ſe ſanguinis capricorni uſum perutilem in ſemet ipſis expertos. Ex plantis autem uàlde utilem expertus ſum aliquando uſum aquae deſtillatae herbae cuiusdam a noſtris uulgo ab effectu ſaxifragae uocatae, quam heliochryſum facile crediderim: eſtque alia ab ea ſaxifraga, cuius radicem herbularii noſtri nunc circumferunt, et a Dioſcoride ſub Empeiri nomine deſcribitur. Eſt heic etiam ſenex, qui ſe nulla re magis adiuuari aſſerit, quam balneo decoctionis ſenacionis uulgariter *brunnen Kreſſich*: praeaſſumendo tamen ſeptem aut nouem baccas iuniperi, et deſuper bibendo infuſionem hederae terreſtris, uulgariter *guntreben* et ſeminis herbae, nunc apium uocatae ex aqua ardente. Eſt et alter, qui nihil utilius expertum ſe dicit, quam uſum phyllitidos, quam nunc linguam ceruinam appellant, et, licet falſo, ſcolopendrion

drion. Et haec ſunt, quae in hac re ſelectiora noui, quae tu boni conſule. Ceterum quia Manardi mentionem facis, ſcias illum paulo antequam tuae redderentur literae, ad manus meas primum perueniſſe, antea numquam mihi uiſum. Ex hoc iam didici, quo nomine appelletur ſemen illud, quo plurimum ueſcimur et *Erbes* uocamus, ſi modo uera ſunt, quae de Eruilia ſcribit. Reliqua, quae tractat, quieſcere nunc ſino. Scire uelim, quid ſit *aſtrenz* ſiue *maiſtervvurz*, num ſit illud, quod uocat Dioſcorides meon et ex latinis aliqui anethum agreſte? Quid item *roſen von iericho*? quid *ritterſporlin*? quid *graſayvvurtz oder gamsvvurz*, nec non quid ſcabioſa? Tu ſi haec noſti, fac me doctiorem. Demum quod Ptolemaei Coſmographia propter librariorum auaritiam carere cogimur, ut ſcribis, doleo. Vtinam Deus ſaniorem mentem illis aliquando tribuat. Et utinam tu ex graecis medicis aliquot latine loqui facias; quemadmodum et per te latine loqui didicit Nazianzenus. Quid Auguſtae agatur, tu melius me noſti. Faxit Deus, ut omnia in ſui laudem et gloriam ac chriſtianae reipublicae commodum dirigantur et perficiantur. Vale proſperiter et incolumis, Vir optime, et Gabrielem tuum, quod facis, mutuiter ama. Veltkirchii Rhetiae XII Kalend. Sept. An. DN. N. ἰεῦ χριοῦ M. D. XXX.

VI.

VI.

EPISTOLA GREGORII HALOANDRI.

Diſquirit de interpretatione uocabulorum : βιοκωλυτης *et* λωπδυτης; *item de* bucellariis.

Cum commendatione mei, quaero, ornatiſſ. uir, utrum habeas dicere, quomodo latine poſſit reddi hoc, quod in quadam nouella legitur: ἢ τοὺς καλουμένους βιοκωλύτας, μᾶλλον δὲ λωποδύτας, ut agnominationis gratia maneat. Solent in conſtitutionibus imperatores (ut l. fin. C. ad l. Iul. de ui publ.) quoddam genus latronum bucellarios appellare, ſiue a gente latrociniis famoſa, quemadmodum et Iſauri, ſiue aliter ex Accurſ. ſententia dictos. Exiſtimaui igitur, ſi βιοκωλύτην uiolentiarium, nempe iudicem prohibendis uiolentiis deſtinatum dicerem, qua ratione et iurisconſulto ληστοδιώκτης nuncupatur latrunculator ff. de iudic. l. ſolemus: et pro bucellario λωποδύτην acciperem: non longe abfuturum τὸ παρωνομάζειν. Sed uereor, ne paullo remotius quaeſitus ſit orationi color, neque aequis cum oculis naſuti homines aſpiciant. Ea in re tuum explorare iudicium uiſum eſt, aut ſi quid habeas melius, abs te diſcere. Veniam det audaciae meae praeſtantia tua, cui me commendo.

VII.

EPISTOLA HVBERTI LEODII

Rogat, ut ſibi aliquot uerſus Heſiodi explicet.

S. P. Decreueram, uir diſertiſſ. ſaepius apud me hoc tempore, quo apud Nurembergen. ſumus, quacunque ſumpta occaſione te inuiſere, ut eum hominem de facie noſſe liceret, quem in libris et doctis et eruditis toties iuuit contemplari, ſed nec occaſio ulla ſe interim, neſcio quibus fatis, obtulit, nec ſine occaſione auſus ſum, non animaduertens doctorum hominum proprium et maxime peculiare eſſe, ut prae ceteris ſint ſemper candidiſſimi humaniſſimique. Quod equidem paucos ante dies in te affatim deprehendi, qui me tam benigne, quia forſan audieras amare literas, ultro ad te adeundum aliquando inuitaſti. Qua re nihil gratius eſſe potuiſſet. Sed rurſum peſſimis auibus factum propter maturam principis mei abitionem et conglomerantibus ſe ſe negotiis, ut omnino deſperem de congreſſu. Ne tamen diſcedam absque aliquo abs te munere, quo fuiſſe me apud Pirckeimerum reuerſus in patriam poſſim gloriari, rogo te, ut paucos hos ex Heſiodo uerſus in opere Εργα καὶ ἡμέραι mihi profecto aenigmaticos tribus uerbis elucides. Sunt autem non procul a ſecundi libri fine hujusmodi:

Μὴ δ᾽ ἐπ᾽ ἀκινήτοισι καθίζειν, οὐ γὰρ ἄμεινον
Παῖδα δυωδεκαταῖον ὅτ᾽ ἀνέρ᾽ ἀγήνορα ποιεῖ
Μὴ δὲ δυωδεκάμηνον, ἶσον καὶ τοῦτο τέτυκται etc.

Scire percupio, ſi quid cauſae huiusmodi ſuperſtitio habeat. Eraſmus in adagiis cetera omnia ferme, hunc locum uero non attigit; ſi non denegaueris, ego me maxime in graecis literis, quibus hucusque, nullo duce, operam impendo, adiutum exiſtimabo; remittam craſtina die famulum ad te cum dictionario tuo, qui haec ad me perferat. Vale diutiſſ. praepropere.

VIII.

EPISTOLA GLAREANI

Diſſerit de Ptolomaei Geographia.

D. Bilibaldo Pyrckheimer Glareanus S. D. Etſi nihil erat, quod ad te ſcriberem, ornatiſſ. Bilibalde, illud ipſum tamen nihil ut ſcriberem, animus inuitat. Haud ita multos ante menſes iuuenis hic, qui has ad te defert literas, εὐαγγέλιον nobis attulit, multo omnium iucundiſſimum, reſtituere te Ptolomaei Geographiam ex uetuſto codice graeco. Gaudebam ſane pluribus de cauſis, maxime uero, quod te authore fieret, ut author eminentiſſimus, ſine quo omnis Geographia caeca eſt, in lucem prodiret, hunc enim eius rei ſolum artificem uocare ſoleo, ac confuſa male ferme eſſe absque huius inſtitutione, quaecunque alii longis commentariis congeſſerint, corraſerint, coaceruauerint. Mi-

Com-

ror uero huius uiri ingenium. Sed quid ego haec apud te γλαῦκας εἰς Ἀθήνας. Argentinenſes graeculas aliquot uoces inſparſerunt ac infulcierunt uerius, quam rei operae precium fecerunt. Ac miror, quod ego τοὐτόνγε τὸν ὄνον πρὸς κιθάραν execrer, qui poſtremo ſanctiſſimum opus contaminauit in eodem oppido, homo inſigniter ſtolidus. At nunc expectamus cum graecum, tum latinum abs te factum. Faxit Chriſtus Opt. max. ut uotis omnium ſtudioſorum conatus tuus reſpondeat. Commendo hunc iuuenem tibi multis modis, tametſi alioquin tibi eſt commendatiſſimus. Olim in ludo meo fuit inſtitutus. Pater, praeter ingenium ac mores integerrimos, famam quoque optimam hic apud nos merito obtinuit. Mag. Senatus Vrbis Baſileienſis Collegium (ita uocant ſummam ſtudiorum ſedem) in manus meas tradidit. Efficiam, ut, quotquot huc aliunde uenerint iuuenes, bonis diſciplinis ac moribus optimis educantur. D. Eraſmus nondum abiit, ſaepe tamen abire ſtatuit, uexatur perpetuo calculo, qua in re miror hominem poſſe haec pati; plus enim quinquagies peperit, hoc eſt, mortuus eſt, ut ipſe interpretari ſolet. Sed iam deſino eſſe moleſtus. Vale. Baſileae.

IX.

EPISTOLAE EOBANI HESSI.

Pirckheimeri humanitatem extollit. Noribergae, ſatis amplo ſalario inuitatus, bonas literas profitetur.

S. Tuam eruditionem clariſſ. Bircamere, tum in uertendis graecis, tum etiam edendis latinis, ut ſemper ſum admiratus; ita humanitatem cum alias abſentis, tum nuper etiam praeſentis exoſculabar. Cum in aedes tuas uocatum doctiſſimorum amicorum conuiuio non modo adhibuiſti, uerum etiam humaniſſimis uerbis eiusdem liberalitatis ſaepius futurae ſpem mihi aperuiſti. Gratias igitur tibi maximas ago, ut ille inquit, diſertiſſime et humaniſſime Noricorum, qui ſunt, quique fuere, Bircamere, et qui poſt aliis erunt in annis, teque rogo, ut, ſi minus officioſe tuae erga me pietati reſponſum eſt, non inſolentiae hoc alicui aut naturae prauitati, ſed ſimplicitati ac pudori meo fortaſſe ſubruſtico tribuas, meque, ſi quando ad Eraſmum ſcripturus ſis, certiorem per aliquem ex tuis facere ne grauere. Cupio enim et ego uiro doctiſſimo meique amantiſſimo praeſentem hanc qualemcunque fortunulae meae mutationem ſignificare literis, de qua illum ſollicitum ſemper fuiſſe ſatis ſcio, et nuper ex literis amici cuiusdam, illi mihique communis, intellexi. Nam ad Martinum Hunum, qui olim tibi quoque meas reddidit, ſi forte potes meminiſſe, ſcribens inter alia his quoque uerbis eſt uſus: Gratulor Eobano noſtro, uel quod in urbe florentiſſima ſatis amplo ſalario bonas literas eſt profeſſurus, uel quod poſthac facilius inter nos commeabunt literae; frequenter enim ſcribit ad me Bilibaldus. Vides et tui mentionem fieri; quae res animum mihi fecit, ut iſtuc a te peterem.

rem. Quod ad me attinet, dabo operam, ut breui intelligas et gratum erga bene merentes eſſe Eobanum et in amicorum album ſemel adſcriptum haud quaquam inter poſtremos poſſe aequo animo conſiſtere. Bene uale, ciuium tuorum decus et ornamentum ſingulare, meque, ſi dignum iudicabis, uiciſſim ama. Ex aedibus conductitiis noſtris Nonis Quinctilibus MDXXVI.

Quam cuperem uidere carmen, quod tu impenſe nuper laudaras; utinam uel per Thomam noſtrum queat nobis eius fieri copia.

II.

Expoſtulat cum Bilibaldo.

S. Mirari ſatis non poſſum, optime ac doctiſſime Bilibalde, quidnam cauſae ſit, quod tanto iam tempore nullam animi ſiue amoris erga me ſignificationem edideris, praeſertim cum nullo non ſtudio id conatus fuiſſem, ut poſteaquam ſemel Nurenbergam me contuliſſem, in amicitiam me tuam inſinuarem; potuerunt eum animum teſtari tibi aliquot in te officia mea qualiacunque: uerum, ut uideo, a te contempta adeo, ut etiam affectum te prius aliquo modo mihi prorſus auerterent. Quid enim cogitare aliud poſſum, quam auerſum te nulla alia de cauſa, niſi quod bene mereri de te ſtuduiſſem. Itaque cum libros aliquot Syluarum edere ſtatuiſſem, exiſtimabam forte offenſurum etiam magis te, ſi ea carmina, quae officioſe ſane magis, quam feliciter ad te ſcri-

pſeram, illis inſeruiſſem, ac tu in meis libris tuum nomen legi nolles. Eadem cauſa et eius rei me iam dudum ſuppoenitere coepit, quod Idyllia tibi dedicaram; quo tota uita nihil unquam mihi infelicius contigiſſe ſatis mihi ſum conſcius, qui nulla ſpe, quod plerique ſolent, remunerationis, ſed ſolius tuae gratiae et amicitiae penitioris ambitione, eum tibi libellum adſcripſeram, utinam utinamque meliore conſilio, quoniam offenſam inde, unde gratiam ſperaueram, retuliſſe me uideo, id quod non modo non in tuos, ſed ne in ullius quidem mortalium mores cadere exiſtimaram, cum nec ulla inde ſpes potiundae tuae amicitiae plus iam biennio affulſerit. Infelicem me, qui non meo me modulo ac pede metitus mihi pares amicitias ambierim. Sed deſino, ne et hic tibi ſim, quam par eſt, moleſtior; breuiter enim his literis et ſubtimide tecum uelut expoſtulare uolui, ut ſi quid earum rerum, quae hactenus a me tibi tributae ſunt, mutari contigerit, aequiore animo feras, qui ipſe in cauſa fueris. Bene uale, optime Bilibalde. VIII Id. Octobr. MDXXX.

X.

EPISTOLAE IOANNIS HESSI.

I.

Reuchlini ſectatores laudat. Noui libri.

S. P. Etſi omnia tua, clariſſ. patrone, ſint longe gratiſſima: nihil tamen et gratius et maiore cum exſpectatione in manus meas ueni-

uenire potuit Piſcatore tuo. Ex illo enim tuo ut liberali, ita et libero conuiuio in hunc usque diem et philoſophorum impetus, hoc eſt, monachorum ac Luciani noſtri ut diligens, ita prudens defenſio in animo ſedit, quo ueluti praeteritum cibum in ora reuoluere ſolitus. Diuiſi nobiliſſimam praedam uiris humaniſſimis anteſignanis uereque coryphaeis Reuchlinae noſtrae factionis, D. Doctori Vrſino, atticae muſae unico delicio et D. Sauro et Valentino Cratoaldo, utraque literatura et hebraea et graeca pene ex aequo ſuſpiciendo. Hi omnes pro innata humanitate gratas tibi gratias mecum agunt dextroque Marte in uerba tua iurarunt. De Iulio Eraſmico quod ſcribis, legi et quidem duriter bullatum noſtrum Oratorem exſecratus, quod ſua ingrata ambitione obfuit, quo minus et in Heſſi ueniret manus. Age obſecro, opt. max. patrone, deſiderio meo aliquando ſatisfiat. In hoc enim unico ad te ut ad ſacram illam anchoram confugio. Parce importunis parumque uerecundis precibus. Capnionis defenſionem ut uno in loco, ita fere uno ſpiritu perlegi; tantus amor innocentiſſimi uiri, tantaque iſtarum omnium rerum uoluptas. Neque Idolorum, generale idolum, neque diu ſperatus Triumphus ad nos, barbaram gentem, uenit; indies tamen exſpecto. Apologia Eraſmi noſtri nondum nobis uiſa, communis mihi tecum, dolor ob illam tam inſignem aemulationem inter uiros certe maximos. De amore tuo in bonos omnes, deque illa admiranda amicorum obſeruatione

tione quod dicam non habeo, cum non contentus me hominem immeritum ornare ex aequo et tuis claris literis et doctis uigiliis ad Demoſthenis usque lucernam, immo et me catalogo tuorum adſcribis, tua ſola bonitate graculum fidibus coniungis. Reliquum, quod reponam penitus nihil habeo, niſi hoc unicum, tuus ſum, quantus ſum, tuusque ero. Ex Olſnica die diui Thomae Apoſt. ann. XVII.

Heſſus, Reuchliniſta

II.

Impenſe commendat Iul. Pflug.

Sola fides et amicitia. S. D. perſuaſi mihi conſtanter, nobiliſſ. Pirckamere, tibi Maecenati bonorum omnium rem gratiſſimam et me facturum, ſi id in primis agerem, ut boni pariter et docti inter tuos numerarentur. E quorum numero hic ad te uenit D. Iulius Pflugk, et imaginibus, moribus ac utriusque linguae eruditione adoleſcens longe clariſſimus, ab ipſa natura ad recta ſtudia ſculptus ac factus. Dici non poteſt, quantum homini tribuo, quantumque de eo polliceor Germaniae noſtrae, quae hercle felicior, ſi multos haberet Iulios. Sed quid haec? ſatis eſt enim indicaſſe uirum tui nominis ſtudioſiſſimum, cui neque tu umquam deeris, id utriusque bonitate promittente. Habuerunt nuper ex Ferraria meas literas ornatiſſimi noſtri adoleſcentes D. G. Geuder et H. Holzſchuer; nihil tamen adhuc reſponſum. Spero ſaluos omnes, ſaluus ſit et noſter integerrimus Theologus D. Cocleus. Vale, uiue felix. Bononiae X die Aug. ann. XIX.

III.

Digitized by Google

III.

Mittit Gregor. Nazianz. codicem. De nouis tabulis Sarmatiae et Scythiae et ſcriptis eriſticis.

Dom. tecum. S. D. Quod uerbis promiſi et opere hic praeſto. Habes enim clariſſ. et patrone Nazianz. meum, quem nunc unice commendo. Vtinam tuae Magnific. tam utilis, quam mihi charus. Pro libellis miſſis maximas ago tuae Magnific. gratias, et ego ſimili in officio libenter me officioſum erga tuam Magn. oſtenderem, ſed plane libellorum apud nos nihil, praeter Spirituoſorum hominum Spirituoſa Somnia aduerſus euchariſtian, ſed quis pius illa uelit? Cracouia Poloniae nuper dedit tabulas duas Sarmatiae et Scythiae, licet inelegantes, tamen, me iudice, non inutiles. Si te illarum tenet ardor habendi, non deero tuo deſiderio. Vnum a te Opt. patrone, pro iure amicitiae noſtrae et ego uiciſſim a tua exigo Magn. Faciat me participem illorum, quae nobiscum circumferuntur aduerſus Oecolampadium et huiusmodi impoſtores. Nam tua Mag. uix credit, ut a fautoribus horum hominum libelli nobiscum ſupprimantur. Tu uale, certiſſime et chariſſime patrone. Dat. XI Maii VVratislau. Ann. XXIX.

XI.

EPISTOLA CONRADI PEVTINGERI.

De Gregor. Nazianz, latine reddendo. Diſceptatio de raptu Pauli.

S. in Chriſto Seruatore. Accepi nuper literas tuas, ſimul libellos et literas noſtri Hieronymi VValtheri, et hoc ingenue credo, aliquos fuiſſe libellos interceptos et etiam quod non recordor, me a Chuonrado Kirmeir aliquos accepiſſe; fateor, me ſibi non reſpondiſſe, propter occupationes, quibus diſtringor, ſed ad proximum reſpondebo; miſit etiam libellos plures, quibus concertatum uideo plus contumeliis, quam literis ſacris, ſed haec ad iſtos. Quod opus arduum es, ut ſcribis, aggreſſus, laborem hunc tibi non opto, ſed tibi et nobis omnibus congratulandum eſt, quod, te interprete, Gregorius Nazianzenus in dies latinus et locupletatus redditur, quem hactenus maximi illi ſacerdotes, quos diuites in praebendis appellant, etiam eruditi, neglexerunt; ſed rogo, cum opera haec in publicum exibunt, ut pro pretio et cito a chalcographo habeam. Ceterum quae Abbas Caeſarienſis de raptu Pauli ad me perſcripſerit, ego etiam ſibi reſponderim et quid denuo chartarum ad me dederit, ad te mitto. Ego nolo amplius reſpondere. Vides, quo homines iſti prorumpant. Si tantum otii ſuppeditabit, rogo, legas conlectiones meas, et ſi quid emendandum putaueris, rogo, reſcribe ac exemplar remitte; nollem ego occaſionem praeſtare, ut ad inuicem concertaretis, tu pro prudentia ac modeſtia tua rem tranſiges; niſi ego doctores ſeu patres non intelligam, etiam praeter te, Paulum dicunt etiam corpore raptum in caelum, ſed haec per humanam no-

Digitized by Google

noſtram imbecillitatem diſcutienda non erunt. Vale et me tui obſeruantiſſimum diiudicato. Contra libellos iam emiſſos de honeſtate clericorum neſcio quid docti Ingolſtadienſes commentantur. Salutato, rogo, noſtrum Lazarum Spengler meo nomine. Iterum uale, die XII Martii a. XXX.

XII.

EPISTOLA THEOBALDI BILLICANI.

Succenſet nonnihil Oſiandro. Diſſerit de uerbis S. Coenae.

Theobaldus Billicanus. Gratia tibi a Dom. noſtro IEſu Chriſto, clariſſ. cariſſimeque Pircamere. Attulit tabellarius quidam Norembergenſ. miſſum a Lochingero libellum tuum, ſiue mauis appellari reſponſionem (ſic enim tu inſcripſiſti) ad Ioannem Oecolampadium. Legi excuſſique, quantum mihi et iudicii Dominus dedit et quantum per negotia licuit, quibus infinitis obruor; placuit ut qui maxime. Gauiſus uero ſum immodice, quod e Noremberga tandem nobis, qui fidei ſuae rationem redderet, prodiret uel e laicis. Nam quorum intererat hic mederi conſcientiis, ob uiam ire haereticis, murum ſe opponere Satanae, paſſim omnia reuocanti ſub dubium, quae ſpiritus ſanctus iam olim praeclaris facinoribus ſtrauiſſet, ut tu prudenter et uere coniicis futurum, ni ſuccuratur, ii magis muti, quam piſces, uel ignoratione uerae fidei, uel ignauia animi hactenus apud uos ſiluerunt, ad ridendam alio-

Digitized by Google

rum operam, quam ad edendam ſuam paratiores. Dicam enim liberius tecum, Tuus Oſiander cum noſtra legeret, quod mola ſalſa litamus et lacte Deum placamus, ut uerbo Pliniano utar, fertur faſtidiſſe riſiſſeque, quae nos utcunque produxeramus, non ut hoc ſatis eſſe confodiendis illorum conatibus putaremus, ſed ut excitatos iterum felicius exciperemus. Quae res (dicam enim) non meo nomine offendit multos, ſed ſupinae caritatis, quae debebat inter nos, qui Chriſtum adnunciamus ipſiſſimam caritatem, proniſſima conſtare, ſed haec miſſa facio. Spero uero fore, ut in uiam redeant Cinclius et Oecolampadius; ſcriptis enim ad me literis Oecolampadius perquam frigide, perquam ſupine ſuum tropum in CORPORE attingit et Cinclius Achilleum ſcutum; Caro non prodeſt quidquam, dicitur ſenſim remittere, ut non dubitem illos poenituiſſe coepti. Ego ſane (nihil enim te celabo) fere abductus fuiſſem in hanc perfidiae aleam, non quod ſingula uerba coenae putarem labefieri ullis tropis poſſe, ſed quod quaſi allegoriae ſpecies ludebat 1 Corinth. 10: panis, quem frangimus, communicatio eſt corporis. Vbi κοινωνίαν pro conſortio accipi et ſimplicius eſt et conſtantius, cum ipſe ſubiiciat: unus panis, unum corpus, et a ſimili argumenta de communicatione daemoniorum uel participatione, de participatione altaris Iſraelitici, quae communicationem ſiue μετοχίαν pro conſortio ſanguinis et corporis dominici accipi fere

ſim-

Digitized by Google

ſimplicius oſtendunt atque adeo ad Philippum Melanchthona ſcripſeram, ſi quid ille haberet, hic explicaret et plenius et citius, ſed (eſt Deo gratia) manet conſcientia tandem quieta in ſimplicitate uerborum dominicorum et manet nihilominus ſuus fructus coenae dominicae, quem Paulus 10. Corinth. tractat. Sic enim Chriſtus: bibite ex hoc omnes, effunditur pro multis. Edite, corpus eſt, quod pro uobis datur. Effundi pro nobis, ſane eſt κοινωνία τȣ̃ αἵματος. Corpus dari pro nobis, κοινωνία τȣ̃ σώματος τȣ̃ χριςȣ̃ ἐςίν, ut quod Paulus de communicatione corporis et ſanguinis dicit, ad horum uerborum ſenſum pertineat (qui effunditur pro uobis, quod datur pro uobis). Iam anxia et male ſedula aduerſariae partis probatio et tota contentio, ueterumque omnium concors et conſtans confeſſio, licet interim in (corpore,) interim in (communicatione) exponenda uerſentur, ſatis indicio ſunt, ſpiritum illum non eſſe ex Deo. Ceterum et Oecolampadius et Cinclius in me atque alios editis libris ſcripſerunt, quos nondum legi. Vbi legero, dabo operam, ut intelligat, me non fruſtra Chriſto credidiſſe. Tu uale in Dom. Ieſu, ſenator egregie, et quod longo uſu, prudentibus conſiliis, praeclaris facinoribus in republica huius ſaeculi, cum laude et uera gloria praeſtitiſti, id in eccleſia Domini, ſancto ſpiritu, pientiſſimis conatibus, conſtanti fide, oſtendas et praeſtes. Nordlingiaci decim. quint. Calend. Apriles ann. a Chr. nato MDXXVI.

Lochin-

Digitized by Google

Lochingero non ſcripſi, cui ſanctam a Dom. pacem imprecor, quem tu iubebis plurimum ſaluere, ſcripturus, ubi ſecundam editionem ad Cinclium et Oecolampadion abſoluero. Dominus donet uobis ſpiritum ſanctum. Amen.

XIII.

EPISTOLA THOM. VENATORII
Laus ſumma Bilib. Luciani rhetor.

S.P.D. Cum mecum ipſe reuoluerim, praeſentis. Patrone, multos ſaepe uiros, hiſce noſtris temporibus, philoſophiae ſtudio, rerumque cognitione magnarum excellenter florere, illos ſolum et recte et religioſe facere arbitratus ſum, qui in tanto ſtudiorum uſu praeclara poſteritati monimenta relinquerent, quibus iuuentutem noſtram, ad maiorum morum capeſſendas diſciplinas, animarent, ſtimularent, urgerent. Quanquam non deſint, qui tres liberius, quam par eſt, accuſent, damnent, rideantque, quos ſatius ducimus, ut ineptias ſuas palam omnibus offerant, quam ſi acrius inuidia accenſi, ſtudioſis omnibus, temeritate freti ſua, inſultent, et obganniant, et ut nihil in hominum uita inhoneſtius, quam doctorum uirorum ſcriptis detrahere; ita nihil quoque honeſtius, quam ſi doctos, quoad fieri poteſt, imitemur, et laudibus proſequamur ſuis, etiamſi nos erratorum quandoque monuerint, aequo animo monentes, audiamus, praeſertim ubi nihil, niſi

niſi aequum et rectum apparet. In qua dimenſione cum pauci ſeſe continuerint, eos inter tu uel maxime polles, qui nihil, quin aequum eſſet, monuiſti unquam, qui, inter innumeras reipublicae occupationes, nihil in omni ſtudiorum genere, aut ſcribendo aut meditando remittis, ut diuturnum illud otium, quod euoluendis bonis authoribus et rerum contemplationi (a teneris unguiculis usque) contuliſti, ex ſcena iam in caueam deducere pergas. Et quanquam non minori induſtria, quam publica ſtudioſorum utilitate, multos Graecorum codices latinitati reddideris, hoc tamen tempore, quo Luciani rhetorem uerteres, omnibus plus feciſti. Eſt enim rhetor is uarius, multiplex, ſuauis, diſertus, copioſus, ubi multae non ſolum reconditae et (ut aiunt) intima ex philoſophia depromptae ſententiae, ſed etiam fabularum quaedam obſcura, hiſtoriarumque difficultates explicantur. Quocirca ſperamus, tuum hunc laborem, et tibi inprimis honeſtum, et ſtudioſis omnibus non infructuoſum uideri poſſe. Non enim ſyllogiſmorum captiunculis, aut Crocodilitis, aut Soritis, ceratinis, rhetorem tuus efficit Lucianus, ſed breui quadam et ſuccincta garrulitate (dummodo alte clamauerit) rhetor uulgo admirabilis egredietur, qualis Eckius impurus homo eſſe poſſit, ſi quando barbaras ſuas poſitiones et quae in caſtae latinitatis interitum coniurarunt, diſputabit. Sed nota tibi eſt hominis audax temeritas et arrogans impudentia, qui diis etiam ipſis mandare lo-

quens

Digitized by Google

quens haud erubeſceret. Verum tamen quantum hoc Epiſcopo noſtro diſpliceat, quam illaudabile honeſtioribus uideatur, quam iudicio doctorum et bonorum contrarium ſit, denique quanta inutilia ſequantur, quae tum corporis, tum animae bona in perniciem ducant, externisque aduerſentur, nemo, uel maxime eruditus, facile ſcripſerit, nedum ego. Quod autem minime neceſſarium ſit, Theologicum hominem, et qui Chriſtianus uocari uelit, haec audere, tecum ipſe expendas uelim. Honeſtum enim non eſt, iucundum neque, ab utilitate autem abeſt quam longiſſime. Sed miſſa ſint haec. Etenim haud dubie olim ad inſtar Marſiae, cute erepta, poenas daturus eſt. Redeat itaque, unde defluxit, epiſtola. Quanta tua in me plantatio fructificarit, quam uiua et efficax, quantum animum omnium doctorum mirabili quadam poteſtate in Thomam tuum transformarit, quantum denique me tibi deuinxerit, non eſt praeſentis temporis enarrare, quandoquidem iſthaec mentem deſiderant non infimam, ſed quae in otio ſummo et ſumma ſtudiorum commoditate uerſetur, ne diminuta laus in iniuriam transeat meritorum. Ego autem cum huiusmodi auctoritatis hominibus nolim me decertare, cum in litteris nec audeam, nec poſſim aliquid, uellem autem ut quam plurimum. Sed uelle hoc ipſum et ſi quid aliud eſt in me, totum tibi acceptum refero et habeo. Merito igitur Muſarum non patronus tantum, ſed et fons appellaris, ad quem omne ſtudioſorum genus haurire doctrinam et ſapientiam con-

Digitized by Google

confluat, quemadmodum Theophraſtum ut audirent diſcipulos ad tria millia perrexiſſe legimus. Tanta quippe eſt tui nominis, tuae prudentiae, tui ſtudii ſingularis fama, ut quilibet humaniſſima illa conſuetudine non frui tantum, ſed uti etiam atque etiam malit. Nec quenquam itineris poeniteat, dummodo diuinae philoſophiae parentem Bilibaldum inueniat, uideat, alloquatur. Tot tantisque ingenii dotibus effeciſti, ut nedum doctus, ſed etiam barbarus et quisque te diligat, amet, ueneretur. Tibi igitur pro tuis in me collatis bonis praemium ſit uirtus tua, ubi mea nihil acceſſerit.

Et bene uiue diu felix, ſemperque beatus,
Viue diu felix, docte uir, atque uale,

Ex Eyſtadio, quinto Maii an. MDXIX.

II.

Doctiſſimo Viro Bilibaldo Pirckheymero Thomas Venatorius transmiſit.

Ad Deum Opt. Max. Ode.

Tricolos-Tetraſtrophos.

Salue rerum opifex optime, maxime.
Salue caelituum ſplendor amabilis.
Vitae conſcius omnis,
Quavis morte potentior.
Te primum canimus, pectore candido,
Maiorem omnibus, et qui magis omnia
Conſeruare cupis, quam
Rerum perdere gloriam.
Tu reddis uariis ſeminibus grauem
Tellurem; teneris uitibus occupas

Mon-

Montes. Nec ſua pontus
Naturae bona negligit.
En! qui turbinibus conquatimur malis,
Infauſtos agimus, ter miſeri, dies,
Saeuo ſydere triſtes
Sulcamus mare turgidum.
Saeuis occiduae Tethydos undique
Iactamur fluctibus, interitum mora
Spondet. Nil ſupereſt, quam
Mox illidere Syrtibus.
Adſis perfugium rebus in aſperis
Certum, ſuppetias exulibus ferens,
Atrae nubila noctis
Laeto ſydere diſcute.
Neu cymbam penitus turbinis impetus,
Aut triſtis Boreas, aut Notus obruat,
Da felix Cynoſurae
Aut ſublime Elices iubar.
Audi uota, preces, et lachrymas ſimul,
Et. qui pectoribus pulſat in intimis
Singultum, facilisque
Noſtris conſule caſibus.
Adſis tot miſeris cladibus impiger,
Adſis perpetuo. Scilicet aureae
Aetatis memor, et da
Littus uiſere patrium. Amen.

XIV.

EPISTOLAE V. FABRIT. CAPITONIS.

I.

Religionis errores Argentoratenſes tollere laborant.

S. P. D.

S. P. S. Qui has pertulit Mgſtus eſt, uir animo praeditus fortiſſimo, quo utuntur hic uerbi praecones patrono aduerſus calumnias atque uim aduerſariorum. Eum, mi Burckheymere, ut es humanus et comis colloquio tuo dignerjs appoſitisque ad rem fabulis confirmes, etiamſi eſt per ſe confirmatiſſimus, potiſſimum autem enthymematis tuis imbuas, quibus grauiter et facete ſoles cauſam inter amicos agere pietatis. Neque dubita, ut eſt ingenio et memoria inſigni, huc reuerſus diligentiſſime ſufficiet referre, quicquid aut humanitatis aut pietatis protuleris. Latine neſcit, naturae felicitate tamen mediocrem eruditionem aequat. Talem uirum Norimbergam proficiſci gauiſi ſumus, inprimis ego, qui norim, quanta commoda hinc ſit ex tuis praeſertim aedibus relaturus. Audies ab eodem uiciſſim, quae nobis conditio, qui rerum ſucceſſus et quis curſus uerbi. Nam bonam partem tacitis conſiliis idem rexit. Hoc ieiunio affectabimus ad libertatem inculcandam contra iugum pontificum bonaque pars eius rei confecta eſt. Sacerdotes coniugio ſe mancipant non pauci, quorum cauſam, quae cum uniuerſo Euangelio coniuncta uidetur, nos, abiecte caelibes, defendimus. Enim uero periculum eſt, ea labefactata, labefactari uerbi fructum, ſtabiliri e contrario hypocriſin et monachorum ignauam oneroſamque mundo ſuperſtitionem, una cum Romanenſium ſycophantiis, impoſturis, rapinis et flagitioſis nundinationibus, ex toto redintegrandam, quamquam orbem talium

Digitized by Google

peſtium iam olim pertaeduit. Aut enim liberi a legibus aut illarum ſerui prorſus erimus, nihil eſt tertium. De inſtituto meo ſuperioribus literis plura; interea nihil nouatum eſt. Exſpecto uero in horas exilium uel potius a ſeruitute baalitica immunitatem. Viuam paucis perbeate. Adulationi nihil debebo, omnia autem ueritati. Morbo articulari adhuc detineor, ferendo tamen et equo ſatis; incedere enim et inambulare plateis ſtratis, quamuis incommode, ſoleo tamen; ab arduis medicamentis deinceps abſtinebo; ſi quid tu familiare habes, indica oro. Eiusmodi ſtatutae temperantiae coniungerem, nec dubito, quin ad incolumitatem faceret uel leuiſſimum remedium. Nam animo ſum tranquilliſſimo, cuius ſerenitatem ad ſalutem conducere plurimum experientia didici. De tuis operibus ac lucubrationibus aliquid ad me des excudendum. Curabitur per me, ut quam caſtigatiſſime exeat ex noua officina cognati mei. Vale et nobis noſtrum ciuem inſtructiorem remittas. 17 Ianuarii, anno 1524.

II.

Enarrat turbas a Cunr. Tregario, prouinciali Auguſtinian. excitatas. VVolfgang. Plebanus in Sygolzheim comburitur.

S. Noua referam, obſeruandiſſime Domine Patrone. Aduerſarii noſtri toties ad ſeditionem mouendam incubuerunt, toties undique nuntiis miſſis rumorem ſparſerunt de infandis tumultibus. Omnia uane et praeter ſpe-

ſpeciem ueri. Caeterum quarto die Septembris argumentum ſerium commota multitudo dederat. Cunradus Tregarius, prouincialis Auguſtinianorum, Boemicae hereſeos hanc urbem ream fecerat, ſpurciſſimo perinde ac mendaciſſimo libello, quem eodem die ſua manu promiſcue diuendidit cuiuis. Emtus eſt auide, lectus, excuſſus, mox ſupra centum et quinquaginta ciues magiſtratum interpellarunt pro monacho ad dicendam cauſam retinendo, qui eos poſtridie uenire iuſſit ad Senatum. Interim confidentiſſimus monachus etiam dono libellos ſuos miſit ad eos, quos ſibi infeſtiſſimos nouerat. Itaque ſuccenſis fortiter animis, odioſe illum ad uincula poſtulant. Et iam neſcio, quid ſenatus, adiunctis tribus de communitate cum monacho acturus erat. Iamque in itinere erant ad monaſterium. Occurrunt quingenti prope uiri, qui monaſterium aliquo usque circumſepſerant et tandem ingreſſi bonum fratrem reperiunt ob uiamque ſenatoribus duxerunt, ſumma aſſeueratione efflagitantes, ad ius retineretur. Poſtea concionatorem apud praedicatores illi allaturi, portis et ingreſſu prohibebantur, tandem ui aperiunt, circumcurſitant quaeribundi. Duo monachi, qui arbitrabantur ſibi imminere extrema, demiſſis linteis, per latrinam ſe in fluuium alluentem muros caenobii coniecerunt. Concionator nusquam aderat, iccirco pergunt ad cubiculum illius perluſtrandum, quod dum falſo indicatum eſſet, in aliud forte irruperunt. Erat autem ſuper lectum tectorium

ligneum, ſuperne cancellis undique ſeptum et chartis obtenebratum, ne pelluceret; eo euaſit aſtutus quidam et uafer homuncio, ſe ſperans concionatorem abditum inuenturum et auulſis repente chartis per cancellos perſpexit. Ibi meretriculam metu erigentem caput animaduertit, penetrat ad eam et demiſſa ſcala iubet deſcendere; nam ſcalam, ne notari poſſet, ad ſe traxerat et colum laneum dat in manus, educit ad turbam. Quo ſpectaculo incitati omnes, ut uocant, cellas aperiri iubent, et recuſantibus illis ui aperiunt et quinque ſcorta deprehendunt. Vnum uxor eſt probi cuiusdam mariti, quod in gratiam familiae celarunt, reliqua produxerunt in publicum. Interdixerant autem inter ſe, ne quis quid attingeret et intactis reculis monachorum totum incendium deſaeuiit, tandem multitudini uiſum eſt, aliquid uini bibere; aderant recenter cocti panes. Itaque dimidium prope plauſtrum uini epotum. In craſtinum eius diei ſordidiſſimi quidam iterum coire moliebantur, ex quibus triginta prope precibus, ſed metuendis, meticuloſo et metuenti rebus ſuis praepoſito S. Arbogaſti, aliquot cantharos uini extorſerunt. Reſcitur hoc, priusquam ad ſenatum deferri poſſit. Octo ciuium ſenatorum excurrunt, dehortantur, adiectis minis, ſe uidelicet curaturos, ut magiſtratus ui opprimat, quibus ciues omnes ex animo ſint opem laturi, ſe non ambiiſſe heri propter ſucceſſum uerbi, quem tota ciuitas ex colloquio inter concionatores et aduerſarios ſperaret etc. De-

ti-

tinentur igitur liberaliter prouincialis, prior praedicatorum, (nam concionatorem iſtius populi non inuenerunt, hominem ſane contumelioſiſſimum) Confeſſor monialium S. Margarethae, parochus S. Andreae, cum ſuo adiutore. Heri, quae fuit natalis diuae uirginis Mariae, ſingulis tribubus, per magiſtratus coactis, uiſum eſt, rem ad publicum colloquium deducendam et omnes conſtanter ſuam operam contra ſeditioſos promiſerunt; iunxerunt iuramenta ſua. Sunt, qui ſupplicarunt ſenatui, ne ſacerdotes et monachos ferrent, niſi, empta ciuilitate iurarint fidelitatem. Decreuit Senatus, ut plebs prouincialem et alios accuſet. Quid laborum fiat pro componenda plebe, quae rem in uiros ſexaginta et hi in duodecim ex ſe coniecit. Summa accuſationis, ut germanice committamur et alter alterius firmamenta arietibus ex ſcriptura mutuatis labefactare inſtituat, de contumelia autem et ſarciendo honore ciuium prouinciam ſenatui demandant, niſi aliud opus fore, illi decreuerint. Ad diſputationem uaferrimus monachus non deſcendet, multa excuſabit ſcio. Verum fiat uoluntas domini. In Enſisheim combuſtus eſt ſacerdos pius, cuius rei geſtae ueram hiſtoriam delineatam ad me per amicum quemdam, ſcheda his iniecta uidebis. Praeterea, illuſtris domine, factus ſum puellae bonae maritus ambientibus mecum affinitatem duobus fratribus integerrimis. Sic Domino, opinor, uiſum eſt. Viuo commodius, quam in ſordido celibatu. Opto in gloriam Chriſti cedat. Oſiandrum, Doct.

 Tho-

Thomam, deinde Bernardum hic celebrem (quo cum mihi nihil interceſſit conſuetudinis, nec noui hominem) praeterea noſtrum Thurerum, Lazarum Spengler et reliquos amicos jubeo ſaluere plurimum a Domino. Argent. 9 Septembr. anno 1524.

Haec obtigerunt per Regentes in Enſisheim, qui maiorem in modum ſaeuiunt aduerſus Chriſtum.

Nouarum rerum quidpiam audi. Die Iouis D. VVolfgangum, plebanum in Sygolzheim, exuſſerunt, cui ſpecraculo perquam foedo atque miſerando ego interfui. Hominem ſum allocutus atque conſolatus, mortem ne abhorreret, quando ſciret fide peccatum et infernum per Chriſtum eſſe abſorpta; is reſpondit: minime ſe eam abhorrere, ſed cupere diſſolui et eſſe cum Chriſto. Quidam uarie conſolari conabantur, ſed illis reſpondit: ecquid iſta, ſeſe quoque ſcripturam legiſſe, omnem ſpem ſeque totum in Chriſtum conieciſſe, atque ita conſtans permanſit. Tametſi iam hoſtes euangelii multa commoniſcantur mendacia de illius inconſtantia, ſed ueritas conſiſtet. Articulos publice in iudicio lectos rogatus; faſſusne eſſet et an ſubſcripſiſſet? affirmauit, ſed coactus atque cruciatus formidine; affecerunt enim eum in Cunsheim in pudendis, quem cruciatum citius fateri, quam ipſi uellent, quem iterum experiri elegit, licet poſtea ſtatim retractarit. Ad quemlibet articulum ſeorſim pulcherrime reſpondit atque ſuam ſententiam ſcriptis conformauit.

Rem-

Remque ſic ſe habere petebat, teſtes in ius uocari, qui ſe de his rebus diſſerere et concionari audiſſent. Nec ſtatim ſecundum unius leuis uiri Keslers proditionem atque ſecundum ea, quae coactus confeſſus eſſet, iudicarent. Sed proh dolor! denegarunt. O iniuſtitiam plusquam ethnicam? Rhetor ex aduerſo uix ſinebat illum reſponſionem ad finem perducere, quum tamen optime de rebus diuinis diſſereret et commode. Ait uero: ecquid audiamus *die Stempaney* (adeo malus odor eſt uerbum Dei carnalibus hominibus), ego ſpero illum iuxta confeſſionem et ſubſcriptionem condemnari. Atque ita poſt aliquantam deliberationem igne exurendum eſſe ſententiam tulerunt pedanei iſti miſelli iudices. Rhetor ille ex aduerſo fuit Magiſter Vlrich uon Freyburg. Rei aduocatus quidam, qui primas tenet in Bryſago; hic dato iuramento dixit, ſe non poſſe memoria complecti ea, quae dicta neceſſaria eſſent. Ecquid mirum? homo in rebus ſacris non exercitus quid diceret? tamen, ut mihi uideor, alia dicere potuiſſet. Apud quam gentem haec eſt iuſtitia, bonos uiros nolle audire, qui cauſſam teneant, aut illum adigere ad confeſſionem eorum, quae ne cogitauit quidem. Sed Dominus iudicabit olim. Habes praeceptor, quae te de iſto negotio certius ſcire uolui.

XV.

EPISTOLA IACOBI ZIEGLERI.

Digitized by Google

Memorat uitae ſuae rationes rogatque, ut opus ſuum contra haereticos Pigbardos imprimendum curet.

S. P. D. Minus pro meritis me tibi oſtendo, meritiſſime patrone, hisque annis adeo nihil ad te ſcripſi aut me rebus ueſtris commendaui, ut, ſi memoriam mei nunc poſuiſtis, eam de meo niſi peccato poſuiſſe uideamini. Verum, ornatiſſime patrone, ſi qua non eſt materia obliuionis a me profecta, iam mei beneuolentiam adhuc retinetis; iure meo integra apud uos et hodie omnia inueniam. Certe enim toto triennio Viennae non fui, neque alio loco eiusmodi, ex quo potuiſſem ad uos opportune proque uoto meo ab epiſtola me uobis commendare. Emigraueram enim in remotiſſimum quendam Morauiae angulum, ex quo facile poſſem uno iactu Sileſiam, Poloniam, Sclauoniam, ad Carpatum montem. Hungariamque contingere. Sequutus illuc Baronem Dominum Heinricum Kiina de Gunſtat, quocum dum Viennae eſſem, magna antea familiaritas fuerat mihi. Illic ut multa mihi opportune acciderunt, ita hoc mihi fuit difficillimum, quia in illum me angulum excluſum uidi, unde neque uox, neque ſcriptura mea poſſet ad amicos meos commode peruenire. Tentaui nihilominus ſuperiori anno ſcribere ad uos, et literae de itinere et nuntio iſtuc forte perueniſſent, ſed qui negotium receperat, cum ſacculo et pecuniam ſuam et meas literas perdi-

didit. Cum hanc ſpem ergo tam male exiiſſe uiderem, me deinceps a taedio et indignatione recondidi etiam propterea, quoniam infirmae ſunt literae, ut ſolae memorabilem aliquam mei apud uos commendationem faciant, quae certe commendatio de maioris operis teſtimonio confirmatur. Quia ergo habebam in manibus magnum eiusmodi et difficile opus, quod contra haereticos pighardos (domeſticam Morauiae peſtem) inſtituerem, facilius paſſus fui, meum apud uos officium paullum deſiderari, quoniam ſperabam, quod eſſem de proximo ueſtrae de me exſpectationi plenius ſatisfacturus. Ob eas res ſcribere ad uos de tanto tempore aut non potui, aut nolui; nunc autem de menſe Octobri exiuimus Dominus meus et ego in Lipſenſe gymnaſium, ergoque in ueſtram iterum lucem emerſi; implebo deinceps ab omni opera et officio meo quodcunque ad amiciſſimos meos antea neglexi, ut plane intelligas, non animum, ſed loci iniquitatem feciſſe, quodcunque interim potuiſtis in me accuſare. Ornatiſſime patrone, cupio hoc opus meum contra Pighardos dare ex ſententia reuerendiſſimi Domini Epiſcopi Olomucenſis ab impreſſoria arte in publicum; uerum hic nullam elegantem et latinam, ſed plane barbaram ſcripturam habent; oro hic beneuolentiam in me tuam, ut aliquem mihi ex ciuibus ueſtris idoneum oſtendas et pares, qui hoc opus de mercenaria ſaltem (quoniam impenſas fuerit tunc Dominus meus daturus) opera imprimendum recipiat. Volumen ipſum eſt

ea magnitudine, qua eſt hiſtoria Cornelii Taciti, Negotium ergo hoc meum et meae et Chriſtianae rei, quam hic contra perditiſſimos Pighardos aſſeruimus, cauſſa recipias oro, et quid profeceris, quid denique a re tua ualeas celerius, ut potes, mihi perſcribe. Salue et uale. Datae Lypſ. ex aedibus Doctoris Ioannis Greyz. IX Calend. Decembr. MDXI.

XVI.

EPISTOLA NICOLAI ZINERI.

Rectoratus munus in uniuerſitate Senenſi ſubit, cuius commoda enumerat.

I.

S. D. et ſe commendat. Si eam tibi et eſſe et fuiſſe ſalutis meae curam, Patrone obſeruandiſſime, ut, quaecunque pro honore et utilitate mea factitantia cognoueris, ea omni ſtudio quaeſiiſſe te, uiderim ſenſerimque (nullis profecto meis meritis, ſed mera tua pietate) quanto magis gratulaturum te non dubitauero, ſi honores mihi cum ampliſſimos, tum uero et commodi nonnihil et utilitatis obtigiſſe nuperrime ſcieris. Quare cum pridem (utinam bono auſpicio) rectoratus munus in hoc Senenſi gymnaſio ſubierim, pauciſſimis percenſendum duxi, quo ordine, quoue eligendi modo, alieno prorſus ab eo, quem Bononiae alibique Vniuerſitatum Italiae ſeruari accepimus, dicturus etiam, quae commoda, quaeue ex hoc officio

cio

cio incommoda, ne uidelicet dementiae mihi fortaſſis detur, ſeu uanae ambitioni, id quod prudenter me egiſſe et ipſe exiſtimo, et a te, uiro prudentiſſimo ſapientiſſimoque, affirmatum iri non ambigo. Noueris itaque, me diu iam iterum atque iterum ad hoc requiſitum fuiſſe per Camerarium ſeu quaeſtorem domus ſapientiae; erat enim inter Italos et Hiſpanos, dictae domus ſcholaſticos, diſſenſio quam maxima; unde ne ſi alterutri nationi honor hic decerneretur, maiori inquietudini ac diuturnis ſeditionibus daretur occaſio, placuit, Germanum me, tanquam neutri factioni adhaerentem et pacis (uti a puero) amatorem ac proinde iuſtum iudicem, ad eam eminentiam promouere, cui ubi diu conſtanter renuiſſem, donec omnia exacte perpenderem, ac tandem uel nutu annuiſſem, ita me nullo penitus dominorum Baliae (officii ſic dicti) diſcrepante, (erant autem XXXVII primates et patritii huius ciuitatis), creatum a Reuerendiſſimo uero Cardinale Senenſi illo, inquam, in cuius manibus omnis totius ciuitatis conſiſtit iurisdictio, benigniſſime confirmatum Vniuerſitatis ſtudii uicerectorem ſapientiaeque rectorem, ſuſceptum uero a ſcolaſticis cum maximo plauſu. Faxit Deus optim., ut, quod ſecundo omine auſpicatus ſum, id meliori medio optimoque fine proſequar finiamque, utque quod bis iam fuerim, (neſcio quo fato) ſcolarium regimini praefectus, ſit futuri alicuius uel magiſtratus uel dignitatis efficax praeſagium, bis, inquam, quum

quum nuperrime, dum bachanalia carnispriuii pro more perageremus, placuit omnibus ſcolaribus, ut feſtiuitatibus illis praeeſſem, ac pro libito moderarer. Longum eſſet ſingula memorare, deficiebat autem tunc ſapientiae rector, ſed et, extante rectore, hic mos ſingulo biennio ſeruatur, uocaruntque ſapientiae dominum, non regem; hic enim nouellus quiſpiam, ille uero ueteranus eligi ſolet; hic expenſis moleſtatur, ille lucratur. Habes igitur, ex quo elicere licet, me non ratione ſtultae iuuentutis ſeu expectatae prodigalitatis (haec quorſum, tute ampliſſime uir, conſidera), ſed contra opinatae prudentiae (quam abſit mihi adſcribam), nec non deſideratae tranquillitatis accerſitum ſapientiae moderatorem; eo enim communi forenſium ſcolaſticorum receptaculo perperam adminiſtrato ſicque corruente, tota uniuerſitas labatur, neceſſe eſt; nihilominus tamen eisdem gaudeo priuilegiis et honoribus, ſolo ſalario dempto, quibus uniuerſitatis Rector, quem ego per omnia principaliter refero et repraeſento. Quae uero potiſſimum cauſſa eo me impulerit, ut prouinciae huic collum ſubmitterem, haec eſt: Cum enim e ſolo aureorum conſtituto mihi, te patrocinante, ſalario anguſta immineret uiuendi facultas, quippe quo ne uictus quidem parari quierit in hac ciuitate, ubi rerum omnium ingens eſt penuria ac caritas, nedum uictualium, uerum etiam (ut eſt apud Senenſes dicterium) ſolis ipſius, eſſentque ampliora ſubſidia quaeritanda omnino, ita et amplio-

res

res honores ambiendos cenſui. Emolumenta ſunt florenorum Italicorum ſtipendium annuum, uictus et pro perſona mea et duobus famulis, pro altero uero ſalarium etiam condecens, item a Senenſi quopiam doctoratus gradum aſſumente aurei duo, forenſi uero quolibet aureus unus, ex utroque item alter in iure gradus Doctoratus, ſpero tamen et alterum mihi donatum iri. Quae omnia ſiquidem per biennium mihi contigerint, id quod non modo non dubito, ſed nec non certum habeo, nedum ſumtus recompenſabunt, uerum lucri quid omnino conſtituent, ut puta cumulata cum eo ſtipendio, quod iſthinc mihi ueſtra pietate prouenit, ſumtus, inquam, qui paratis omnibus neceſſariis (quae ſuperfluum foret enumerare) paullo excedent ſummam C. Vnde uero erogatam eam ſummam mihi conflauerim, paucis accipe, ne rerum mearum uel una ſit, quam non aperuerim tuae amplitudini. Conciuis noſter Angelus Saur, qui negotiationibus Fukarorum Romae praepoſitus eſt, mira me beneuolentia proſequitur, atque ideo quemadmodum ſaepius ante neceſſitatibus meis ſuppetias tulerat, ita nuper cum uix, re expoſita, petiiſſem, XXXX aureorum ſummam mihi mutuo ſubminiſtrari extemplo lubentiſſime ſubuenit. Studioſiſſimus enim eſt patrii honoris gloriaeque Reipublicae Nurembergenſis; reliquam ſummam in his, quae pro amictu neceſſaria fuerunt, conſiſtentem, hinc atque inde in hac ciuitate paraui. Haec

omnia

Digitized by Google

omnia, etſi taedio tibi nimirum fuerunt legenti, mihi tamen uiſa ſunt, quae tuam praeſtantiam neutiquam lateant, ut puta cui me resque meas omnes ab omnibus maledictis inique friuoleque iniectis tutandas dedo deuoueoque. Digneris, obſecro, (meum refugium) ita res meas actitare, ut ex hoc magiſtratu, honoribus quidem referto, in alium, unde et honores et acceſſiones cumulatiſſima prouenient, pergere liceat. Vale et fac uideam quoque id, quod expectare me iam dudum non ignoras, tuarum, inquam, lucubrationum quidquid prodeat. Verebere fortaſſis (nam et huic obiectioni obuiandum ſuccurrit), ne in ſtudio mihi ſit impedimento hoc officium, cuius contrarium ex hoc praeſumere licet, quod pauciſſimi ſint in hoc gymnaſio ſcolaſtici, omnia enim Italiae ſtudia in dies decreſcunt, unde pauca agenda negotia, et haec tamen utilia ad practicam; non modo itaque non officit, ſed nec non promouet ad ſtudium. Nouiſti etiam, praeclariſſime Vir, rectorem quemlibet ſine examinis rigore ad doctoratum promoueri; ego cum examine creari doctor decreui omnino, ut et hanc maledicendi remoueam occaſionem, ſcilicet ne bullatum doctorem olim uocitare me quisquam audeat. Quod filiam tuam, omnium nimirum pudiciſſimam, probatiſſimo uiro Ioanni Straub, conſanguineo meo, matrimonio collocaueris, res mihi extitit et grata et iucunda, quippe quod, quem iam dudum amicum ueneror, eum nuper prope affinem ſalutare liceat. Dii

boni

boni praeſtent coniugio felicia tempora. Vale iterum. Datae Senis, noſtra palaeſtra, XVIII die Decembr. MDXVIII.

XVII.

EPISTOLA IACOBI DE BANNISSIS.

Gratias agit pro medicamentis et Bilibald. ad bonarum literarum ſtudia, miſſis controuerſiis theologicis, adiuuanda, adhortatur.

Magnifice et praeſtantiſſime Domine. Tam gratae mihi fuerunt litterae D. V. quam ſpero fore mihi ſalutaria remedia, quae in eis deſcribit, ad recuperandum greſſus meos, quibus iam approbantibus medicis utor, qui tamen ſubtraxerunt ſpodium et dimidium camphorae; quae ego reſtituere intendo, cum nondum ſit compreſſus feruor ille renum. Licet uix quatriduo ante coeperim inungi, et tamen aliquantisper ſubleuor. Quodſi reſtituar, quod faxit Deus! me D. V. et pedes et manus er caput ipſum deberi fatebor. Quid autem ei retribuam pro tam ſalutari re non habeo, niſi quod rogo ſupplex omnipotentem Deum, ut ſibi illam optimam ualitudinem tribuat, quam mihi ipſi exopto, et ſemper eam, uti Deum meum tutelarem uenerabor. Accedit huic ingenti ſuo in me beneficio amor et beniuolentia, qua D. Hieronymum Roraium intuitu meo complectitur, et me lucubrationum ſuarum pulcherrimo munere donat; iis me continue magis conſtringit. D. V. quam eni-

enixius obſecro, ut abactis in maximam malam crucem Eckiis, Hochſtratibus, Lutheris et iis ſimilibus, continuo inſiſtat ſuo optimo et pulcherrimo inſtituto, et ſtudiis et eruditione ſua (quibus ſibi immortale nomen et aeternam gloriam comparat) et uiuentibus et poſteris conſulat, et talentum ſibi traditum non in terra ſubfodiat, id eſt, cum illis rabulis contendat; ſed cum eo pluribus proficiat, ſicut hactenus fecit, et edita Ptolemaei Geopraphia, quam enixius uidere cupio. Ad ſimilia acumen ingenii et lucubrationes ſuas conuertat. Vnde per Adrianum impie detruſus fueram, a Clemente VII clementer reſtitutus ſum; ſed non deſunt aerumnae: iam ad ſextum menſem hic obſidemur conſtituti in magnis difficultatibus et ingenti diſcrimine. Aderit tamen, ſperamus, aliquando Deus propitius nobis, et ſuperatis hoſtibus, reſpirare licebit. Ego autem tantum cupio ſatisfacere D. V. et mandatis ipſius obſequi, quantum ſalutem et incolumitatem meam. Cui me ex animo commendo et quam feliciſſime ualere cupio. Mediolani die II Martii. Anno Dni. MDXIIII.

XVIII.

EPISTOLAE BERNHARDI ADELMANNI DE ADELMANNSFELDEN, CANONICI AVGVSTANI.

I.

De Eraſmo et Nauclero.

S. D.

S. D. Remitto tibi tuum Eraſmum de inſtituendo principe Chriſtiano; nam hiſce diebus ad nos quoque uenalis allatus eſt, agoque tibi gratias ob promtitudinem mihi complacendi. Deteſtatur in eo libello otioſitatem multitudinemque monachorum ac clericorum. Vereor, ne fratres iſtos commoueat, quo conentur eum in ſuo inſtituto impedire. Vix enim credi poteſt, quanto odio eum perſequantur, non ob aliam, ut ego exiſtimo, cauſſam, quam quod minime cum ipſis ſentit, eorumque theologiam, ut eorum uerbis utar, deſtruere conatur. Sed ſpero, Deum ueritati affuturum. Nauclerus, ut ſcribis, multa coaceruauit, ac ea, quae in primis ab eo exſpectabantur, penitus omiſit, forſitan, quia nullos habuit, ex quibus ea in ſuam hiſtoriam transportaret. Mataeologus iſte, ut audio, Viennam nauigauit, contractum ſuum iſthic, ut aiunt, iuſtificaturus, forſitan diſputaturus de umbra aſini. Nullos omnino aut paucos Vennae theologiam profiteri dicunt. Conqueſtus mihi fuit nuper doctor Colonienſis de impudentiſſimo iſto, quod cum ſcripſerit ſecum ſentire, ipſe ne uerbum quidem de ea re intellexiſſet. Sed ualeat omnium hominum leuiſſimus iſte. Vale ac cura, ne Eraſmus calumniis aemulorum ſuorum tardior ad edendum ea, quae in manibus habet, ac pollicitus eſt, reddatur. Forſitan ſua conſtantia Reuchlinique uictoria eos uerecundius agere docebit.

Iterum uale ac me ama. Auguſtae VII Auguſti Anno Salutis MDXVI.

Vide, ſi libellos, quos Cocleus mihi miſit, habere poterimus.

II.

Cauſſa Reuchlini cognoſcitur.

S. Scripſi tibi nuper de uictoria Reuchlini, uerum interim ſuperuenere literae, quibus ſcribitur uiginti ſex ad ferendam in ea cauſſa ſententiam a Pont. Max. deputatos fuiſſe, ac cum tempus ferendi ſententiam inſtaret, XVIIII pro Reuchlin uota dediſſe, reliquos uero contra eum ſenſiſſe, et antequam ſententia propalaretur, ſuperueniſſe Silueſtrum de Prierio, magiſtrum palatii ordinis praedicatorum, (quem ſcribunt eſſe hominem malum, conſcientiae nullius inquietique ingenii) atque mandatum de ſuperſedendo a Pont. attuliſſe; Cardinalem uero Adrianum ac Surentinum rem ad Pontificem detuliſſe, proque ſententia ferenda ſolicitaſſe. Surentinus uero et homo, ut audio, doctus et ſummus Reuchlini fautor, interim obiit, malo, ut timeo, omine. Ita rem aiunt actam, quod te latere nolui. Scribo enim ea, ut audio, nec aliud certi habui. Eraſmum tuum tibi remitto. Vale. Velociter in die Aſſumtionis uirginis Ao. MDXVI.

III.

Num. D Hieronymus Cardinalis fuerit?

S. Intellexi, Senatus tui amanuenſem nonnullas D. Hieronymi epiſtolas in uernaculam lin-

linguam noſtram transtuliſſe. Si habes, quaeſo, ad me mittas. Noſter archigrammateus uult in Eraſmum ſcribere, quia negauerit, Hieronymum Cardinalem fuiſſe, innititurque auctoritati Ioannis Andreae; nimirum dignus hiſtoricus, cui ea in re fides adhibeatur. Sed dignum reperit huic patellae opereulum.

Scripſit Eraſmus librum, cui titulum fecit: Antipolemo, alterum quoque, quem Antibarbaros nominauit. Si eorum copiam ac omnium ſuorum operum habere poſſemus, nihil mihi gratius eſſet. Quid de eo habes, aut intellexeris, fac, quaeſo, ut ſciam. Vale ac me ama. Auguſtae XV Nouembr. Anno Salut. MDXVI.

IV.

1. *Laudat Bilibaldi uitam practicam.* 2. *Ex literis graecis et latinis ſummus honor.* 3. *Rufini uerſio Gregor. Naz. non placet.*

S. Etſi ſaepius antea, nunquam tamen apertius, quam ſuperioribus tuis literis, quas ad me dediſti, quantum me ames, oſtendiſti, quibus et inſtitutionem ſeriemque tuae uitae mihi perſcripſiſti, rationesque, quare ita tibi uiuendum ſit, reddidiſti, quibus nec refragari uolo, nec poſſum; commendant enim theologi et eam uitam, quam mixtam appellant, quam et Chriſtum (diſciplina et exemplar recte uiuendi) uixiſſe aſſerunt, quae in contemplando agendoque uerſatur, ad quam et ego forſitan te adhortatus fuiſſem, ſi ea,

quae de urgent, mihi nota fuiſſent, ſed cum ultro tuaque ſponte ac quaſi hereditarie ad eam declinaueris, non poſſum non commendare, modo orationem ac lectionem, quae ſunt partes, ut noſti, contemplationis, laboribus tuis, quos quotidie pro re publica ſuſtines, coniunxeris. Oremus itaque Deum clementiſſimum; ut ſuas uias nobis demonſtret, greſſusque noſtros dirigat, ut ueſtigia noſtra non moueantur. Quod uero omnem tuam et ſpem ac fiduciam in diuino auxilio tuaque innocentia collocas, prudenter ac, ut uirum conſtantem decet, agis. Et etiamſi quid aduerſi tibi euenerit; hoc quoque Deo committendum cenſes; bene facis; tanta enim eſt eius bonitas, ut ex malis etiam bona eliciat, per ſuosque prophetas praedixit, iuſtum ab eo non derelictum iri. De meis uero ſtudiis
2. nihil in praeſentiarum amplius, quam hoc unicum, tibi ſcribam, me iam pridem et pedibus et manibus in eius ſententiam iuiſſe, qui dicit, iam pluribus annis neminem in literis honorem conſecutum fuiſſe, qui non et latine et graece fuerit doctus. Hoc uerum ſit, necne, te ipſum iudicem conſtituo, ni mihi coaceruatores iſtos obiicere uolueris, quorum auctoritas quanta apud te doctosque ſit, tu
3. optime noſti. Sermones, quos uertiſti, fac, rogo, ut in lucem prodeant, nec translatio, quam Rufino tribuunt, te retardet. Nam et ipſe Diu. Hieronymus in transferendo Nazianzeno Rufinum, ait, ex bonis grae-

cis

eis non bona feciſſe; eumque in eo opere infantem uocat, licet in aliis locis plurimum eloquentiae Rufino tribuerit. Relatum eſt mihi, neſcio quem monachum cornua in Eraſmum erexiſſe, ſed et ipſe Eraſmus foenum gerit in cornu; forſitan aliquem aliquando offendent, qui eorum digna meritis rependet. Vale, et me, ut facis, ama. Auguſtae XVIIII Ianuar. Anno Salutis MDXVII.

V.

Vitam monaſticam amplecti animum inducit; nihil tamen facturus, niſi de Bilibaldi conſilio.

S. Functus es nuper officio amici ſingularis, dum mihi, quid agas quoue genere uitae uiuas, ſcripſiſti. Vt eodem officio tibi reſpondeam, quid me ſolicitet, quidue aliquando agere cogitem, te pro noſtro amore latere minime uolui. Monent me ſaepius et aetas et ſtatus ſacerdotii, in quo ſum conſtitutus et forſitan bonus cuſtos (ut ſpero) animae meae atque in memoriam deducunt, mihi et fortaſſis breui rationem reddendam eorum eſſe, quae in uita geſſi. Quare dum licet, et poſſum, ita res meas componam, ut cum dominus uenerit ac uocauerit, paratus ſim, ei occurrere. Talis inſtinctus, mi Wilibalde, (ingenue fateor) facit, ut de mutatione uitae meae commouear atque in animo deliberem, eam denuo uitam agere, quam me aliquando deguſtaſſe non fugit. Et ut apertius mentem meam intelligas, eſt apud nos monaſterium

canonicorum regularium, ſatis religioſam uitam agentium; cum iſtis non ut profeſſus, ſed ut legitimus ſacerdos uiuam, meus mihi animus ſuadet, nec ad profeſſionem auſteritatemque monachorum aſcendam, nec in remiſſiori laſciuiorique iſta uita, qua nos canonici uiuimus, perſeuerem curemque ſaltem undecima hora in uinea domini laborare ac pro meis commiſſis ſatisfacere. Haec ſunt, quae me ſolicitant ac angunt. Sed dices fortaſſis: quid tibi nunc obſtat, quo minus Deo milites? Tibi dicam: ſi in eccleſia id facere uoluero, ad quod inſtitutus ſum, alius me hypocritam uocitabit, alius rerum nouarum ſtudioſum, alius ad hoc ſe aſtrictum nunc eſſe clamitabit; eſſe uicarios ac quos ſubſidiarios appellant, quorum interſit, negligentias canonicorum ſupplere, taceo deriſiones ac mille alia impedimenta diuini cultus. Quid uero tibi de his, quae in capitulo aguntur ſcribam? proh! quas conſpirationes, ſeditiones ac perſecutiones iſtic, ubi de communi utilitate conſultandum eſſet, uidebis, crede experto, ſi ea, quae ratio dictat ac conſcientia iubet, conſulere uolueris, aut fama aut corpore ſeu rebus tibi periclitandum erit. Ceterum conuerſatio noſtra extra eccleſiam ac capitulum tibi notior eſt, quam neceſſe ſit ſcribere aut forſitan expediat. Sed dices: et in monaſteriis inuenies, quae te moleſtabunt, in hocque mundo aduerſa toleranda eſſe legitimeque certandum. Fateor, uitam hominis tentationem

nem eſſe ſuper terram, ſed locus ac tempus eorumque uita, cum quibus conuerſamur, plurimum in aduerſis mederi, ut noſti, ſolent. Legimus etiam, complures ſanctos uiros ſe a tumultu ſtrepituque hominum ſeparaſſe, ut Deo coniungerentur. Chriſtus quoque ſaluator noſter, cuius omnis actio eſt noſtra inſtructio, homines ſaepius declinauit ſuisque diſcipulis iuſſit, ut de una ciuitate in aliam fugerent. Dubitabis forſan, quid de ſacerdotiis meis fiat. Aut cedam amicis aut ex ipſis mihi de neceſſariis prouidebo, ita tamen, ut in hiſce prouidendis nihil negligatur. Interrogabis fortaſſis: quare hanc uitam, quam inceperam, non continuauerim? locus is, ubi habitaui et ſolitarius erat, longeque ab urbibus remotus ac totus igne conſumtus. Noſti enim, urbes multas habere commoditates, quibus in ſolitudine carendum erit. Experiar etiam, me hominem fere ſexagenarium eſſe ac fortaſſis delicatius enutritum, quam ea ſolitudo ferat. Quodſi ſaluti corporis quoque proſpexero, non mihi, contra diuina praecepta agere uideor. Habes itaque ſecretum arcanumque mei pectoris, quod adhuc nemini aperui. Quid de hoc ſentias, te ob noſtram amicitiam obteſtor ac rogo, libere aperteque, ut decet, reſcribas. Nollem enim ego in hac aetate, in qua ſum conſtitutus, quicquam aut temere aut praecipanter agere, nec aliquando dicere: non putaram. Quod ad rem literariam ſpectat, cuperem ob tuum nomen amoremque bonarum

literarum, ut omnes Nazianzeni ſermones traduceres, ne cum eum mancum haberemus, magis deſiderium noſtrum incendiſſe, quam extinxiſſe uidearis. Reuchlin tres dialogos de cabala hebraice, latine ac graece a ſe conſcriptos impreſſoribus tradidit, rem, ut ipſe ſcribit, prius a theologis noſtris non uiſam. Cauſſa ſua nondum in portu eſt. Noſter Hieronymus Imhoff plurimum dolet ob aduerſitatem, quae ſibi accidit ac quam noſti. Deus efficiet, ut cuncta, quae patimur, nobis proſunt ad aeternam beatitudinem conſequendam. Vale ac me ama. Auguſtae XXIIII Febr. in ipſis bachanalibus. Anno S. MDXVII.

VI.

Abiicit conſilium uitae in ſilentio tranſigendae.

Salutem. Etſi ſemper mihi gratiſſimae ſint tuae litterae, neſcio, ſi unquam gratiores ad me dederis, quam eas, quas nuper a te accepi. Significaſti enim in primis mihi aduerſam tuam ualetudinem, quam licet aegro tulerim animo; gaudebam tamen ita te eam tolerare, ut a benigniſſimo ſaluatore noſtro te per flagella ſuae miſericordiae corrigi exiſtimares, ſeu forſitan, quod opto ac expecto, uirtutem tuam probari, quo maiorem gloriam in futuro ſaeculo conſequaris. Patior et ego aegritudinem, quam et eo animo, quo debeo, fero; incipiunt mihi oculi caligare, fortaſſis ob ſenectutem ſeu lectionem frequentem, aut pituitam, quae me iam plures annos moleſtat.

ſtat. Sed ego non tanti corporis ualetudinem facio, quo minus aliquando lectioni incumbam; ſentio enim tecum, parum aut nihil uiuere nos iuuare, ſi ſtudio carendum ſit. Nolo tamen te latere, eſſe apud nos ciuem, qui eo morbo, quo tu, laborauit, atque ad thermas Marchionum Badenſium ſanitatis cauſſa profectus eſt; is ita ſe curatum eſſe aſſerit, ut iam octo annis elapſis eam infirmitatem non ſenſerit. Vtinam ea aqua et tibi mederi poſſit! Quid uero de mea conſultatione ſenſeris, adeo beniuole, docte ac grauiter mihi depinxiſti, ut et me mihimet ipſi reſtitueris, ac penitus, tum in animo, tum in ea uita, quam uiuo, quietaueris ac firmiorem conſtantioremque reddideris. DEO ſit gratia, ſine cuius et nutu et auxilio hoc factum fuiſſe minime exiſtimauerim. Fateor enim, uerum eſſe, quod prudenter mihi ſcripſiſti, fragilitatem noſtram minime ſua ſorte contentam eſſe, nec nos in hoc turbulento pelago quieſcere poſſe; nec ad eam inpaſſibilitatem (ut ita dicam) deuenire poſſe, quoad uiuimus, quam expectamus, quam ſi quis ſe in monaſteriis conſequi poſſe (ut nuper apud quempiam de factione monachorum legi) ſperat, non minus decipietur, quam Iudaei decipientur, qui aduentum Meſſiae expectant. Colluctandum itaque nobis cum aduerſariis noſtris erit, atque certandum, quo uictoriae coronam conſequamur; nec magni refert, quo tramite curramus, modo ad Deum properemus; quod ut faciamus, ſua nos gratia uti-

nam praeueniat ac proſequatur. Vale ac me, ut facis, ama. Auguſtae XX Martii Anno Salutis MDXVII.

Aegrotat epiſcopus noſter, ut timeo, ad mortem. In qua ſimus perturbatione conſtituti, tu optime, pro tua experientia, coniicere poteris. Deus cuncta pro ſua uoluntate diſponat.

VII.

Se uitae genus haud mutaturum, iterum declarat.

Salutem. Quod tardius forſitan, quam expectaſti, ad te ſcripſi, ea cauſſa eſt, quod hiſce diebus fuimus occupati in praeficiendo paſtorem eccleſiae noſtrae; utinam eum (ut ſpero) praefecerimus, qui potius ſciat prodeſſe, quam praeeſſe. Caeterum quod de mea uita ſolicitus es tibique cordi eſt, tibi ago habeoque gratias immortales; facis enim, ut de te ſum fiſus. Sequor itaque conſtanter et Apoſtoli et tuum conſilium; maneboque in ea uocatione, in qua ſum uocatus; utarque praeſenti temporis momento, diuina fauente gratia, quam optime poſſum, meque frequenter diuinae miſericordiae commendabo; ſperoque ac mimine dubito, cum hoc egero, Deum non latere, quam duram mihi prouinciam inhabitandam ac adminiſtrandam tradiderit; infinitamque ſuam bonitatem meam malitiam longe ſuperare, et ſi quid aduerſi euenerit feram eo animo, quo iubes, Deoque meas ſolicitudines committam. Si quid de bonis litte-

litteris habes ac inprimis de Eraſmo noſtro, quaeſo, ſignifices. Peutinger adhuc in Bohemiam profecturus eſt cum ſpe magni commodi et honoris. Vale,ac me,ut facis,ama. Auguſtae III Maii. Anno Salutis MDXVII.

VIII.

Marſilii Ficini conſilium contra peſtem in latinam linguam transferendum curat.

Salutem. A noſtro Cocleo litteras accepi, quas tibi hiſce incluſas transmitto. Marſilius Ficinus ſcripſit ſuis Florentinis conſilium, contra peſtem, uernacula lingua, quod ob autoris nomen communemque utilitatem in latinam linguam transferri curaui. Verum cum ignorem, an in ea tralatione erratum ſit, ſi tibi otium fuerit ac admiſeris, tibi translationem cum exemplari mittam, ut pro tua induſtria aut aliorum, ſi quos ſcientes utriusque linguae apud te habueris, eum libellum legas, ac ſi quid emendandum eſſe cenſes, emendes, quo ob communem utilitatem, ſi conſulueris, in lucem prodeat. Nam quantum Marſilio pater tuus (bonae memoriae) autoritatis tribuerit, forſitan optime noſti. Vale, ac me, ut facis, ama. Si habes, quid Eraſmus agat reſcribe. Auguſtae XXIX Maii. Anno ſalutis MDXVII.

IX.

Bilibaldum aegrotantem conſolatur. De uariis libris; item de Cocleo.

S. Accepi litteras tuas, quibus ſcripſiſti nondum te ab infirmitate tua reſtitutum

eſſe,

eſſe, multisque diebus a ſcribendo atque legendo abſtinuiſſe; ita uero a medicis iuſſum fuiſſe: quid ad ea tibi reſpondeam, quod te lateat, in praeſentiarum non ſatis mihi conſtat. Noſti enim, mi Wilibalde, et ſanitatem et languorem, nec bonum eſſe, nec malum, ſed indifferentia, ac pro ſuſtinentium diuerſitate, bonum ac malum fieri. Si igitur diuinae uoluntati, ut ſcribis, non aduerſaris, teque hominem eſſe memineris; non dubito, quin tua iſta corporis infirmitas ad firmiorem animae ſanitatem te deducat. Bene quoque ac prudenter te egiſſe exiſtimo, quod ſtudia conſueta, contra medicorum iuſſionem, reſumſeris; nam qualis, quaeſo, commutatio, ob corporis imbecillitatem animae cibum ſubtrahere, ac ea ſe conſolatione fraudare, qua infirmitates potiſſime releuantur. Feras ergo eo animo, te hortor, tuas aduerſitates, quo ſcribis; nec dubites, ſi hoc effeceris, diuinam gratiam tibi non defuturam cunctaque in bonum te cooperaturum eſſe. Quod de litteris mihi ſcripſiſti, gratum fuit. Cupio itaque ſumme orationem iſtam Franciſci Pici, etſi eum parum poſſe proficere apud noſtratem clerum timeam ob mores corruptos ac pene in naturam deductos; licet et ego exiſtimem, in hiſce curandis nullum efficacius remedium inueniri poſſe, quam ſi clerici ad lectionem reuocentur. Eraſmi quoque commentaria ſuper Paulum, cum ſummo deſiderio, expecto: pollicitus eſt enim, in eo ope-

re,

re, ſe oſtenſurum eſſe, quantum et in latinis et graecis litteris profecerit: tametſi complures ex noſtratibus eum theologum philoſophumque eſſe negant, quibus ego aſſenſerim, ſi de ſophiſtica iſta ac ſpinoſa theologia, qua nunc abutimur, loquuntur. Audiui Pont. Max. decreuiſſe, ut nullus in futurum in ordinem fratrum minorum aſſumatur, niſi fuerit (ut ipſi alunt) reformatus. Forſan et praedicatores aliquando reformatorem inuenient, qui eorum inſolentias compeſcat. Cum libello Marſilii de peſte nolui te in praeſentiarum moleſtare: quamuis uerear, ne is, qui tranſtulit, nimium ſibi ipſi ſit fiſus; Longobardus quoque eſt, ac ea (ut noſti) lingua non omnino cum Toſcana concordat; ob eas cauſſas hactenus diſtuli librum edere. Quae de noſtro Cocleo ſcribis, partim placent, partim diſplicent. Nollem, ut tantopere a te a uera iſta ac ſancta theologia dehortaretur; nec eam adeo ſterilem inutilemque cenſeres: noui ego complures praedicatores, ut appellant, uacare; ac meſſem quidem multam, operarios uero paucos eſſe. Eſt Cocleus noſter uir doctus ac bonus, qui et uerbo et opere docere ac ſibi ac populo prodeſſe poſſet; nec diuitias, nec mundi honores eum quaerere puto; poterit tuo ac amicorum ſuorum fauore conſequi locum, qui facile ſatis ſibi faciet; quod ſi ſibi mea quoque opera fuerit neceſſaria, eam ultro offero ac ſpondeo. Quod uero contra Iuſtinianum ſcribit, mihi uidetur cum

laruis

Digitized by Google

laruis certare uelle, ac, ut ſcribam quod ſentio, bonas horas male collocare. Stephanum Nigrum, nec Plutarchum de exilio uidi: fac, ut cum Nazianzeno ac dialogo Luciani prodeant in lucem. Vale, mi Wilibalde, ac cum tribularis, clama ad dominum et exaudiet te; et ſi non ſanitatem ac tranquillitatem retribuerit, tibi perſuadeas, ob ſuam benignitatem longe potiora tibi retributurum eſſe. Iterum Vale. Auguſtae XV Iunii Anno ſalutis MDXVII.

X.

De Eraſmo, Luciano, ſophiſta aduerſario Eckio.

S. Accepi litteras tuas cum apologia Eraſmi ac quaeſtionibus Witenbergae diſputatis, quae omnia mihi gratiſſima fuere, licet gratiora eſſent, ſi et mihi reſcriberes, quid pro hiſce rebus, quas ſaepius mihi transmittis, impenderis, quo et ego qualitercumque tibi uicem rependerem. Piſcatorem tuum, non ut tibi blandirer, laudaui, nec ut tua neſciretur uirtus: ſed potius, ut te in tuo inſtituto firmarem ac alacriorem ad perſeuerandum redderem: neque enim abnuerim, tuum Lucianum utile dulci miſcuiſſe, ſuisque ſcommatibus lectorem plurimum oblectari ac detineri. Pro tua tamen eruditione ac induſtria te hortor ac rogo, ut et aliquando in transferendo operam ingeniumque ad noſtras litteras, id eſt, ſacras earumque ſcriptores transferas; ſicuti et te aliquando incepiſſe ſcio. Poteris enim et in hiſce et tibi ac compluribus prodeſſe; nec eloquentiam in hiſce, ut audio, deſidera-

ſiderabis, praecipue in Nazianzeno ac Chryſoſtomo: quoniam opera adhuc complurima apud Graecos latent, et qui et docti ſanctique uiri fuere. Sed haec pro mutuo amore noſtro te monuiſſe, quaeſo, aequo animo feras. Conſilium tuum, quare ſophiſtam iſtum aliis miſcueris, non reprehendo, maxime cum eum loco cloacae in tuo opere collocaueris, utpote e cuius ore nil praeter ſpurcum ac deteſtandum egeratur: nam qualis ſcribendo ſit affectus, ex ſuis ineptiis noſti: qualis uero in pronunciando ſe exhibuerit, paucis accipe: nam dum ad orandum pulpitum aſcendere uellet, induit ſe capitio iſto theologorum pellibus caprinis ſuffulto (deerat enim ei aliud ob ſuam profuſionem) ac longam poſt ſe caudam trahens, motuque corporis nihil aliud, quam hiſtrionem agens, et cum udis ſuis labiis ob innatam ac continuam temulentiam orare incepiſſet, proh! quales clamores audiſſes, ut, ſi affuiſſes, dixiſſes, eum Stentora uincere uoluiſſe: aliquando uero adeo ſubmiſſe muſſitabat, ut quid diceret, nemo audiret ſeu intelligeret. Miſit nuper huc impreſſoribus noſtris ſuam illam theologiam negatiuam, quam, ut audio, inſcripſit Commentaria ſuper Dionyſium, quam tamen uidere nec uolui, nec deſideraui: uerum cum impreſſa fuerit, tibi eam mittam, ut uideas, unde furcifer iſte eam depilauerit, qui nemini parcit, cum ipſe ſe penitus alienis pennis, ut Aeſopica cornicula, ornare ſtudeat, nec noſtro Reichlin

lin in meris ſuis naeniis, quas (ut ſaepe loco miraculi enarrat) Friburgae uiceſimo ſecundo aetatis ſuae anno deblaterauit. Sed ualeat monſtrum iſtud nulla uirtute a uitiis redemtum. Lauream tuam triumphalem, una cum libro ac aliis rebus adiunctis, de quibus caeteri ac tu Praepoſitusque adeo ſoliciti fuiſtis, curaui, ut nuntio, quem ad me miſiſti, traderetur. Si tu ſciri, cui mandatum fuit (pace tua ſcripſerim) curaſſes, ut nuntio primo hic ſatis fuiſſet factum, forſitan ea cura careres: ſed ita uiuitur. Ea itaque, quae mutare non poſſumus, aequo feramus animo, nec culpemus. Vale ac me ama.

Pene oblitus fueram tibi de Apologia Eraſmi ſcribere, quam etſi nondum totam perlegerim, quae tamen ita mihi placet, ut omnia Eraſmiana. Viſus eſt enim mihi in ea (ut paucis tibi mentem meam ſignificem) luce clarius oſtendiſſe: quid interſit eum, qui Mercurium in corde tantum, ac eum, qui et in corde et in ore gerit. Vellem, ut tandem nobis ſua in Paulum commentaria communicaret, quibus uix aliquid cum maiore deſiderio expectaui et deſideraui: ſi quid de hiſce aut aliis bonis litteris habes, fac, prout es ſolitus. Iterum uale.

XI.

Noui epiſcopi Auguſt. inauſpicata initia.

S. Quod tuas litteras, Perſico more, non ſine munere me adire uoluiſti, non mea

mea cupiditas, ſed tua munificentia cauſſa fuit. Legi itaque tuum Plutarchum, et, ut ſcribis, obſcurior aliquando eſt, quam ab homine rerum Graecarum ignaro intelligi poſſit; quod et tibi aliquando de Luciano conqueſtus fui. Quod uero ad ſolita ſtudia redieris, commendo ac gaudeo; non enim floreſcunt uirtutes animi, niſi corporis defloreſcant; nec mentis acuitur acies, niſi corporis hebetetur, ut melius me noſti. Picum cum Luciano tuo ac Nazianzeno cum oportunum fuerit expecto. Reuchlin noſter utinam ſpe ſua non fruſtretur; et fratrum technas, uti tu, et Protheum iſtum timeo. Eraſmo ſi ea, quae ſcribis, euenerunt, omnibus bonarum litterarum ſtudioſis gratulor. Habebunt enim, qui non ſolum eruditione ſua, ſed etiam potentia et fauore eos tueatur ac propugnet. De commentariis uero in Paulum (pace tua ſcripſerim) nil certi percipere potui. Coclaeus noſter, non dubito, quin et tuo conſilio ac pro ſua induſtria ac bonitate, ea ſit acturus, quae ſibi ac pluribus ſint profutura. Vtinam ſibi ſimiles plures haberemus. Nec opus fuit, ut mihi, pro mea qualicumque oblata opera, gratias ageres, quam longe libentius praeſtare, quam offerre paratus eſſem. Quod Fuckerus iactitat, ſe nobis epiſcopum creaſſe, quis prohibebit? praecipue cum nuntios Romam mittere ac pecuniam hiſce, quibus negotium commiſſum fuerit, largius, quam forſitan conſuetum eſt, perſoluere inſtitores iſti pro re neſcio cuius pretii etiam cum

Digitized by Google

eorum lucro aeſtiment. Sed quid multa? Ego ſolus (crede mihi non iactanter loquenti) potuiſſem impedire, ne rex iſte (ut eum Cardinalis Adrianus appellare conſueuit) denariorum, ac noſter Epiſcopus compotes uoti fierent. Sed uideant iſti, ut bene conſulant. Quae tamen his diebus nobiſcum ſunt acta, te pro mea in te fiducia ac beneuolentia latere nolo: inuitauit Epiſcopus noſter Fuckerum cum ſua tota familia ad Dilingen, quo laetos iucundosque agerent dies; cumque Epiſcopus noſter in aduentu hoſpitum ſonitu bombardarum ſuam laetitiam ſignificare uoluiſſet, fracta bombarda unum ex familiaribus ſuis, quem unice dilexit, interemit; nocte ſequenti Fucker ac praepoſitus Bambergenſis grauiter aegrotare coeperunt, adeo, ut ſi non illico in curru huc reducti fuiſſent, forſitan de uita periclitati fuiſſent, quorum alter adhuc aegrotat. Dorſe uero in redeundo pene ſubmerſus fuit. Hae, mi Wilibalde, primitiae noſtri epiſcopi fuere. Vtinam iucundiora, non mirabiliora, ut ſcribis, aliquando uideam, ne ſit ueridicus, qui dixit: Magnos principatus per uiolentiam; magna uero ſacerdotia per fraudes doloſque acquiri. Vale, ut te ualere opto. Auguſtae XVIIII Iulii Anno Salutis MDXVII.

XII.

De Eckio et Eraſmo.

S. Etſi omnia tua mihi ſint grata plurimumque placeant; tamen tuus Lucianus, quem mi-

mihi nuper dono dediſti, ſumme placuit, mihique gratus iucundusque fuit; et ſi quicquam in me eſt iudicii, palmam inter ea, quae hactenus edidiſti tribuo. Theologum enim ac philoſophum tu Lucianusque tuus adeo exacte depinxiſtis, ut Ciceronem oratorem deſcribentem in hoc uos imitatos fuiſſe pertimeſcam. Quod uero me quoque in tuo albo inter theologos collocaſti, licet immeritum, tibi tamen habeo agoque gratias: tametſi non ſatis non poſſim mirari, quid te mouerit, quod garrulum iſtum ſophiſtam Eckium inter tuos theologos enumeraſti aliorumque nomen (taceo de me, quem, qualis ſim, omnes nouere) ac honorem iſtius connexione adumbraſti, et ſi tuus nunc Parrhaſiades reuiuiſceret, uereor ne non ſolum uulpis ſimiaeque figuram ei inureret, ſed et te, ueritate comite, ſtigmate notaret. Fuit nuper hic ac qualem in funere Epiſcopi noſtri orationem effutiuerit ex eius uerbis (miſi uero eam ob hanc cauſſam tibi) percipies; et dum inter loquendum ſermo de noſtro Eraſmo, quem iure merito magnum appellas, fuiſſet habitus, aiebat blaterator iſte: Eraſmus nondum attigit theologiae medullam; nam ego (uerbis ſuis utar) nunc ſcribo theologiam negatiuam, prius nunquam uiſam, quam cum edidero (quod breui pollicebatur ſe fore facturum), tunc omnibus patebit quotiens ac quantum Eraſmus errauerit. Vide, mi Wilibalde, an eum uirum referat, qualem in tua apologia et nominaſti et deſideraſti; ſed ualeat,

Digitized by Google

ut ſaepius eum ualere optaſti. Quod Eraſmus apologiam contra Scapulenſem ſcripſerit, doleo plurimum. Speraui enim per hos duos ac te noſtrumque Reychlin theologiam a barbaris aliquando uindicari poſſe; ſed quid futurum ſit, cum ipſi uindicatores mutuo digladientur, tu optime noſti. Bene itaque facis, ſi Eraſmo perſuaſeris, ut paſſiones animi frenet, ac potius ea ſcribat, quae et pluribus ſint profutura ac ſibi maiorem honorem immortalemque mercedem aliquando retributura. Tuos Lucianos eis, quibus ut darem, ſcripſiſti, tradidi; defenſionem Reychlinam quoque accepi. Cum Eraſmi apologiam habueris, quaeſo, mihi mittas. Vale ac in ſcribendo transferendoque ne quieſcas, hortor ac rogo: quantum enim in ea re mihi profeciſſe uidearis ſcriberem, ſi pace tua liceret ac non aliquid aſſentationis ea res ſentiret: ſed uale iterum ac me ama. Vide picturas tuas, quas Caeſari noſtro dicaſti; uoluiſti ipſi ac amicis, ut exiſtimo, obſequi. Auguſtae XXV Octobr. Anno Salutis MDXVII.

XIII.

De Eckio. Theurdanck. Deſcriptio Sarmatiae.

S. Volui in praeſentiarum ad te ſcribere: non quod quicquam haberem, quod tibi ſcriberem; ſed ut tibi occaſionem mihi reſcribendi cum praeſenti latore darem; nam nobiſcum bibliopola eſt, ac apud te libros empturus, nuperque theologiam iſtam, de qua nuper tibi ſcripſi, Baſileam ſecum tulit, eo

forſi-

forſitan animo, ut iſtic imprimatur. Diſcuſſit etiam monſtrum iſtud (ut iactitat) Caeſaris Auguſti quaeſtionem ad ſe miſſam: quare fides noſtra tot myſteriis ac arcanis ſit occultata? iam dudum, ut noſti, a uere doctis diſcuſſam; adjunxit quoque haec uerba: ſi Caeſar quaerat pleniorem reſolutionem ad Eckium redeat et reperiet. Vide, quid temerarius iſte non audeat; ſed uale, ne cum ipſi digna dixero, nobis indigna dixiſſe uidear. Diſplicet plurimum noſtro archigrammateo tuorum liber, quem in fauorem ac laudem Deurndanck edidere; ſed ſic agitur: dum ſua cuique placent, credula turba ſumus. Vale ac ſi quid de litteris habes reſcribe. Habetur hic deſcriptio utriusque Sarmatiae edita a Canonico Cracouienſi ac iſtic impreſſa, ſatis barbara meo iudicio, ſed tamen plurima nobis incognita demonſtrat. Auguſtae IX Decembr. Anno MDXVII.

XIV.

De contentione monachorum et ciuium Campidonenſ.

S. Miſi tibi ridiculam ac deteſtandam monachorum ciuiumque in Chempten contentionem de inoleatione Chriſti fidelium (ut uerbis eorum utar) inter eos exortam, in qua dum unusquisque ſe pro ſua libidine ac affectione defendit ultra tria millia nummorum aureorum impenſa ſeu potius effuſa ſunt; ac quid adhuc impendendum ſit, incertum eſt. Vide, mi Wilibalde, quae humilitas? quae

religio ? quae charitas ? maxime apud eos, qui ſibi ea nomina uſurpant. Fouent hanc diſcordiam in primis praedicator in eo loco, ut uidebis, ac multi, qui ſe theologos appellant qui, utinam tanti concordiam rectaeque uitae inſtitutionem facerent, quanti nominis iacturam ac gloriam; forſitan ſe melius Chriſtiana reſpubl. haberet. Sed dum iſta ſcriberem, tibique ualedicere uellem, allatae ſunt mihi tuae literae, quibus nihil iucundius, Deum teſtor, iam pridem, nec legi, nec accepi. Nam quod poſt aegrotationem utcumque uales Deumque benedicis, iocundum fuit: noſti enim, tum maxime Deum nobis iraſci, cum minime iraſcitur. De pompa iſta triumphali, quid uis ut tibi aliud ſcribam, quam me tecum ſentire. Et ſi tu quoque ſubparaſitatus forſitan ob eas cauſſas, quas ſcribis, egoque coniicere poſſum, tibi concedendum erit: cum multi, ut noſti, et mendacia admittunt, quae ſine proximi detrimento proferuntur. Quid uero iucundius fuit, quam legere literas et Eraſmi et Capnionis ac ea opera impreſſoribus iam ab Eraſmo tradita, de quibus ſcripſiſti, quae, ut ſpero ac deſidero, breui cum ſumma expectatione mea ad nos deferentur. Cupio etiam concluſiones habere de indulgentiis, modo commode fieri poſſit. Vtinam is error (ſi ſaltem error eſt, nolo os ponere in caelum) aliquando ex mentibus fidelium eradicetur. Nam uix uideo commentum, quo plus piae mentes deludantur. Sarmatiae deſcriptionem ſolus Dorſe apud

nos

nos habet: cumque de Sueuorum transmigratione obiter aliqua ſcripſerit, iactitat ſe noſter archigrammateus, ſe in eum ſcribere uelle; ſed plurima offert, pauca affert. Vale ac me ama. Auguſtae XVIIII Decembris. Anno ſalutis MDXVII.

XV.

Lutherus contra indulgentias diſputat. Ioann. Virdung. prognoſticon.

S. Mitto tibi duas ſchedulas, quas, rogo, in S. Laurentii et Sebaldi per tuum familiarem templo affigere cures, ut hi, qui ad praemium conſequendum in cantu certare uoluerint, huc ſe in tempore conferant.

Diſputationem Martini Luther pro declaratione uirtutis indulgentiarum etc. abs te accepi. Fuit et antea ad me, Baſileae (ut arbitror) impreſſa, miſſa, quam utinam! uir iſte bonus ac doctus ita defendat, ut opto, ac ut bono zelo, (ut aiunt) hoc eum intendiſſe non dubito, ſed heu! nimium uereor, ne et auctoritate ac commodo eorum, quorum intereſt, ſuccumbat. Nam hiſce diebus noſter Primas ac metropolites totque uxorum uir nobis ſcripſit, ut indulgentias, quas ſummus pontifex ad Sancti Petri reparationem conceſſit, ſibique commiſit acceptare promouereque, (ut eorum uerbis utar) uelimus, ſubſtituitque in Bambergenſi, Herbipolenſi, Eiſtettenſi ac Auguſtenſi dioeceſi ſuum collectorem ac executorem Iodocum Lorcher, qui

qualis ſit, optime noſti animarum paſtor. An Epiſcopo ac maxime hiſce temporibus conueniat a ſubditis uitae neceſſaria exigere, ſibique uſurpare, ſeu etiam ſub praetextu reſtaurationis quarumcunque eccleſiarum accipere, uideant ipſi, qui agunt. Mihi ea non probantur. Mitto tibi prognoſticon huius anni Joannis Virdung, quem plurimi in ſua arte commendant, non ob aliam cauſam, quam ut uideas, quam ridiculam cauſam ſterilitatis ac mathematico nunc conuenientem praeteriti anni adducat, quaſi non et eadem cauſa compluribus annis praeteritis fuerit, atque utinam hoc anno ceſſet, ſed nimirum hoc eſt, (pace tua ſcripſerim) et theologorum ac mathematicorum refugium. Sed quid de his ſentiat Richardus Paceus, qui nuper Baſileae fuit impreſſus, Malo ex eo, quam ex me, percipias, quem deriſorem Matheſis eſſe putas. Vale ac me ama. Auguſtae XI Ianuar. anno Salutis MDXVIII.

XVI.

De Luthero ſolicitus eſt.

S. Non ſatis de hiſce, quae IV Ianuarii ad me ſcripſiſti, mirari poſſum; nam quorſum tendant, nouit ille, qui nihil ignorat. Hoc tamen ſcio et legatum et nuntium apoſtolicum palam aſſerere, Martinum inſanire. Sint haec, quae ipſe protulit, inſania nec ne, aliorum ſit iudicium, habent et prophetae ſuum furorem. Noſti enim multa furoris genera

nera eſſe, ſed haec Deus ipſe diſcernet, cuius nutu cuncta reguntur, ac pro cuius uoluntate cuncta procedunt ac eueniunt, cui obſequi etiam nolentes cogimur. Vtinam uias noſtri Martini in bonum pacis dirigat, ac a ſuis aduerſariis eum cuſtodiat; nam niſi Dominus cuſtodiuerit eum, fruſtra uigilant, qui cuſtodiant eum. Fiat itaque uoluntas Domini, caueat tamen ſibi, nec omnino humanam opem uilipendat, ne uideatur uelle Deum tentare; nam in quanto ſit periculo quis non, niſi penitus ſtupidus conſiderare poteſt. Sed Deo hoc committamus. Oecolampadius magiſter noſter factus eſt. Vale ac ne timeas, ut ea, quae miſiſti, in utriusque noſtrum periculum propalentur; non minus enim, quam tu, etiam tuta timeo. Vale iterum IX Ianuar. A. S. MDXIX.

XVII.

Silu. Prierii replicatio in Luther. Baſilii opera deſiderat.

S. Mitto tibi replicam Silueſtri Prierii in noſtrum Martinum; quam modeſte uero ac theologice ſcripta, tuum ſit iudicium. Relatum fuit mihi nuper a fide digno, Sophiſtam, quoties mentionem ſeu in ſcholis, ſeu ubicunque locorum de Martino faciat, ſemper eum haereticum cognominare ſolere. Vide, qualis reconciliatio per tuum conciuem ac etiam ipſum ſophiſtam inita ac facta, ſed agit pro more ſuo; noſti, quam ſolicitus fuerit

rit bonus Martinus, ne aſteriſci ſui in lucem prodirent. Si mecum ſentiret, anterioribus etiam poſteriores adderem ac omnibus communicarem; nam quo pacto aliter beſtiam iſtam, quam par referendo ac nihil penitus ei confidendo, domare poſſit, non uideo. Sed me continebo, ne iterum me commotum eſſe dicas. Vidi nuper aliquos ſermones ac exameron Baſilii Romae impreſſos. Ego pro utilitate multorum curabo, ut denuo hic imprimantur. Si tu alia eius ſanctiſſimi uiri opera ſcires, quae nondum impreſſa fuerunt, ac haberi poſſint, gratum eſſet, ſi eorum nomina mihi ſignificares, multum enim eorum lectione oblector. Memini, te aliquando mihi ſcripſiſſe, neſcio quae Bambergae huiusce uideris uiri, ſed timeo, ne et gryphones etc. agant. Vale. Auguſtae XV Ianuar. Anno Salutis MDXIX.

XVIII.

De W. Linck. Martino, Eckio, Eraſmo etc.

S. Mitto tibi cultellos, quos uenerando patri Wenzlao Linckio nomine meo, quaeſo, non ut munus, ſed qualecumque indicium beneuolentiae meae erga eum tradas; literas uero alligatas cura, ut ad noſtrum Martinum mittantur. Monui eum, ut caueat a Sophiſta, qui hiſce temporibus hic fuit, ac multa pro ſuo more futilia blaterauit.

Legi aliquos ſermones Tirii, ac, ut ſcripſiſti, elegantiam multaque ad mores ſpectantia,

tia, reperi, tametſi nonnunquam ignorantia hiſtoriarum graecarum meum intellectum ac lectionem retardet. Rogo tamen, ut eum mihi emas, ac, cum opportunum fuerit, mittas cum pretii ſignificatione una cum Baſilio, ſi ſaltem rem mihi gratam facere uolueris, ac efficere, ut in hac re tua quoque opera amplius utar. Intellexi Eraſmum epiſtolam plenam laudationis Martini Witenberg. ſcripſiſſe, Martinum quoque denuo ſuper Dominicam Orationem ſcripſiſſe. Si quid huiuscemodi nactus fueris, agito pro tuo more. Legi nuper Eraſmi uerae theologiae compendium, quam uehementer in eo libello Magiſtros noſtros taxet, miraberis ac delectaberis, cum aliquando (modo non uidiſti) leges. Scripſi Baſileam, ut mihi mittatur, neſcio, quando accipiam. Vale in ipſis Bachanalibus uelocius quam ſpargi etc. Ann. Salut. MDXIX.

XIX.

Martinus a Rege Britann. arceſſitus dicitur.

S. Quae ſit de noſtro Oecolampadio apud nos aeſtimatio, ſuperioribus meis literis tibi ſignificaui. Neſcio, ſi eas acceperis, nec ne. Relatum mihi fuit nuper: Martini noſtri commentaria, neſcio cum quibus diſputationibus ſuper Paulum Lipſiae imprimi. Rogo, pro tua conſuetudine ac beneficentia in me, cura, ut ea habeamus. Beatus Rhenanus ſcripſit Oecolampadio, Regem Brittaniae ad ſe Martinum noſtrum accerſiſſe cum oblatione multa-

ta-

tarum conditionum. Ducem quoque Georgiu[m] conatum fuiſſe, ut eum una cum Melan[ch]to Lipſiam trahat. Si uerum eſt (u[t] non dubito), habet quoque et nunc ueri[t]as ſuos defenſores ac fautores, licet admodum raros. Miſi tibi Epicedium Richardi Sprulii in mortem Caeſaris. Quis Herbipoli ſuffectus ſit in locum Laurentii etc. ſi noſti, reſcribas. Pauſanias, a Romulo translatus, Bononiae imprimitur. Vale Auguſtae ſecunda Martii Anno Salutis MDXIX.

XX.

Solatia uaria, nonnihil de epiſcopo mortuo.

S. Ne exiſtimes, uelim, te nihil me conſolando effeciſſe; fero enim omnem paſſionem ſeu potius tentationem, de qua tibi ſcripſi eo animo, quo iubes ac debeo. Non enim ignoro, uitam noſtram eſſe tentationem ſuper terram, ac non malum in ciuitate fieri, quod non ſit a Deo, in omnibusque nobis gratias agendas eſſe. Sed uide, mi Wilibalde, ne tu ſeuerior ſis cenſor, quam expediat, dum omnem me uis timorem excludere. Nonne legiſti, beatum eum dici, qui ſemper eſt pauidus. Sed haec pro mutuo amore noſtro ſufficiant. Quod tu ac ego ſpe noſtra fruſtrati fuimus, non eſt nouum nec mirandum. Nam humano quid incomprehenſibilius corde, ſaepe enim homo intus lupus rapax, extra ouis mitis. Quare nolo te hac in re amplius eſſe ſolicitum; nam donec uiuimus, tentationi tentatio ſuccedit, ac cura curam excipit,

cipit, hoc uerum eſſe, re ipſa nuper ſum expertus. Habui ludimagiſtrum ſatis doctum ac bonorum morum, qui mihi ad decem annos ſeruiuit, qui nuper de peſſimo iſto crimine (noſti quid dicam) ac innominato adeo infamatus fuit, ut niſi eum amouero, uerendum mihi ſit, etiamſi innocens fuerit, ne multis occaſionem offenſionis ac ſcandali ſim praebiturus. Verum, cum ita res tulit, non ut uolo, ſed ut poſſum, mihi agendum erit. Commodus iſte, de quo ſcripſiſti, uere omnibus non modo in uita, ſed etiam morte incommodus erit. Vtinam ſim falſus uates. Documento ſunt nobis ſui familiares, qui loco ſui nunc dominantur ac gubernant. Sunt etiam adhuc in memoria acta per eum ac ſuos, a quibus uix diuelli poterunt, etiamſi iuſtum ac ſincerum ſucceſſorem nacti fuerimus. Solus ille, per quem reges regnant, nobis ſubuenire poterit, ſi meremur, cui cuncta committamus. De Herbipolenſi liceat nobis bene ſperare, tametſi raro principatus aut reperit aut fecit bonos. Anteceſſor iſtius non uulgari amicitia mihi a puero iunctus fuit. Nuper cum hic in conuentu eſſet, mihi de te conquerebatur, ſed cum te ſcio in re publica conſtitutum ac multa ſubire coactum eſſe, a quibus abſtinere malles, nolui tibi ea ſignificare, quibus mederi non poſſe putaui. Fuit homo, fateor, callidus, ſed tolerandus inter noſtrates principes, ac utinam ſucceſſor ipſe melior ſit ſuffectus. Miſi tibi unum exemplar

Na-

Nazianzeni, alterum noſtro Wenceslao tradas. Baſilium nondum accepi. Si uis, ut ſit mihi gratus, pretium reſcribe. Martino noſtro neſcio a quo ſit adeo timendum. Nam et in caelo et in terra habet, ad quos confugiat. Tanta uis eſt ueritatis. Carolus de Miltiz adhuc hic otiatur; cuncta tempus mutat; nam quis crediſiſſet, quod ex archilatrone iſto ac perſecutore tam ſubito factum eſſet uas electionis. Sed uale tandem. Auguſtae XXI Martii Anno Salutis MDXIX.

XXI.

Eckius obiurgatur.

S. Iam infra menſem ternas ad te cum nonnullis rebus dedi literas, quibus praeter tuum morem cum non reſponderis, non alia cauſa mihi in mentem uenit, quam infirmitas tua. Quod ſi ita eſt, Deus ferat tibi opem, ac mittat auxilium de ſancto; ita enim nati ſumus, ut per multas tribulationes regnum Dei introeamus; nam quis coronabitur, niſi qui legitime certauerit? Bene itaque fecerimus, ſi recta facientes uoluntates noſtras diuinae conformemus. Sed quid ſus Mineruam? Proteus iſte ac noſtri Martini daemon, nuper fuit a quodam amico meo interrogatus, an Lipſiae diſputaturus eſſet? reſpondit: ſe nihil amplius de ea diſputatione curare, ſufficere ſibi, quod poſitiones ſuas miſiſſet ſummo pontifici, quae et ſummae Sanctitati ſuae placuiſſent. Ita ſuis ſimulationibus monſtrnm iſtud deludit bonum

noſtrum

noſtrum Martinum, ac ſuis ſycophantiis magis exoſum facit, quae, rogo, noſtro Wenceslao dicere uelis, quo Martinum quietiorem reddat ac moneat, ut nihili hunc hominem faciat; nam, ut ſaepius tibi ſcripſi, cuncta, quae agit, plena ſunt iactantiae ac oſtentationis. Baſilii opera nondum accepi. Vale, ac ut ualeas, quaeſo aliquando ſignifica. Auguſtae Iudica Anno Salutis MDXIX.

P. S. Huttenus edidit dialogum, in quo uehementer Ducem Würtenbergenſem, ac alios, taxat; forſan non cogitauit, principes longas habere manus.

XXII.

Sophiſta Lipſienſium literas diuulgat.

S. Miſi tibi aliqua nuper hic impreſſa, ut uideres noſtratibus etiam, qui religioſos ſe nominant, fingendi, pingendi ac aſſentandi artem non deeſſe. Sophiſta nunc apud nos eſt, et cum per omnes tabernas ac tonſtrinas literas Lipſenſium ſibi datas circumtuliſſet, tandem ad imprimendum dedit, quo latius ſua, ut ipſe de ſe iactat, modeſtia, ſed potius moleſtia, pateat. Mittam tibi exemplar, cum nactus fuero. Mirum, quod eum gloria, quam per mille mendacia auidiſſime deſiderat, fugit, ac noſtrum Martinum fugientem ſequitur. Sed haec ſunt fictae ueraeque uirtutis praemia. Cura, quaeſo, ut operationes Martini ſuper Pſalmos ac commentaria in epiſtolas Pauli, et quidquid ex ſua officina

ema-

emanauerit, habeamus. Gratulatus ſum tibi ac tuis, quod a uiris doloſis ac ſchismaticis liberati fueritis. Vtinam addidiſſem et a laqueis inſidiantium; ſed forſan nec ingenium, nec res ipſa uobis deerit, quo minus uos ab iſtis impiis liberare poſſitis. Neſcio, ſi noſter Cocleus Franckfordiam ſe contulerit; eum nomine meo ſalutato, et fac, ut ſciam, ubi degat ac quid agat? Vale. Auguſtae XXIII Auguſti Anno Salutis MDXIX.

XXIIII.

Martini laus; ſed moleſte eius ac Emſeri fert controuerſiam.

S. Quod pluris amicitiam noſtram, quam prauorum technas facis, gaudeo, nec tibi uitio uerto, quod eorum inuidiam euitare ſtudes. Sed quis, quaeſo, inuidiam (ut inquit ille) placare poterit prauorum, niſi uirtute relicta. Teſtor Deum, non me hominem iſtum, ſed ſuam malitiam deteſtari, ac in primis, quod adeo ab omni parte conatur ſuſcitare odia ac diſſenſiones inter omnes; ut breuiter tibi ſcribam, quid de eo ſentio, ac expertus ſum: Martino noſtro utinam bene (ut opto ac ſpero) cedat; eſt enim (ni fallor) uir ſincerus ac conſtans ueritatis propugnator, nec qui ſua quaerat. Quod ſi irritatus ſe defendit, quid mirum? nec enim Chriſtus tacuit, cum ſui aduerſarii obiicerent, quod daemonium haberet; doleo tamen, inter eum ac Emſerum turbas exſuſcitatas fuiſſe, non quod

Mar-

Martino timeam, ſed quod impediatur circa utiliora tradenda etc. Mitto tibi exemplum literarum Sickingeri. Audio, ſecundas eum ad ordinem iſtum ſeu factionem dediſſe literas. Quid uero contineant, ignoro. Dialogum ex Baſilea ad me miſſum Naſtadienſis tibi quoque mitto; nam nec ego, quid uelit ſibi, intelligo. Vale ac, ut hactenus te amaui, ita te amo rogoque, ne calumniae locum praebeas. Auguſtae XV Octobris Anno ſalutis MDXIX.

XXIII.

De Eraſmo, Hutteno, Emſero etc.

S. Quid actum ſit cum noſtro Reuchlin, ignoro, meliora tamen ſpero. Quae Huttenus ſcripſit, uidi; taxat multos, nec contribulibus meis parcit. Videtur mihi neſcio quid de Franconico faſtu redolere, quam uere autem ſcripſerit, iudicent, qui ſua legunt. Aegoceronta accepi; utinam ſibi Emſerus noſter temperaſſet, ac bonum doctumque M. noſtrum in ſcribendis utilioribus iucundioribusque non impediuiſſet. Vidi Pierium, Emſerum, Caelarium, Schutherium ac Rubeum etc. ſectatores ac defenſores patroni iſtius (ut uerbis Lutheri utar) erroris ac ueritatis inimici. Vtinam tacuiſſent, forſan melius et eorum nomini ac ſtudioſorum utilitati conſuluiſſent. Sed quid multa? ſimiles habent labra lactucas. Dialogum Naſtadienſis Eraſmi eſſe, bene ſcribis. Legi hodie eorum nomina, in quos ſcriptus fuit; omnes ſunt Lo-

Digitized by Google

uanienſes. Imprimuntur nunc epiſtolae ſuae Baſileae antea non impreſſae. Scribant, qui uelint in eum, Eraſmus mihi maior uidetur, quam cui tales obeſſe poſſint. Prouocatus fuit, neſcio a quibus calumniatoribus contra Witenbergenſes, tamen, ut audio, res ſedata eſt, ac tragoedia comicum ſortita eſt (Deo ſit gloria) exitum. Vide, mi Wilibalde, quam deteſtabile ac nociuum ſit malum calumnia, cui te nunc aures praebuiſſe ſcribis. Non petii, ut calumniatori iſti non praeberes aures, ſed ut eidem fidem non ad hibeas; nam ſi tibi ſcribere uellem, quas calumnias Romam ac ad uarios hominum ſtatus ac conditiones ueterator iſte euomuerit, dies me deficeret. Scias itaque me omnem ſuſpicionem depoſuiſſe, te fidem huic dediſſe, cum tu ipſe, ſi meminiſti, mihi ſcripſeris, eum zizaniam ſeminare inter tuos Nurnbergenſes ac Auguſtenſes in contractu iſto uſurario, quem ſua innata malitia iuſtificare uoluit, fuiſſe conatum. Sed ualeat monſtrum iſtud, ac Deus ſecundum ſua opera ſibi retribuat. Ea, quae mihi in praeſentiarum miſiſti, accepi, tibi, quae nuper hic impreſſa fuere, remitto. Vale ac tuum in me amorem conſerua, hoc et tibi de me polliceri uelis. Auguſtae prima Nouembris anno ſalutis MDXIX.

XXIV.

Comitis de Neuenar amicitiam ambit.

S. Ni

S. Ni te ſcirem chiragricum, tua tam diuturna taciturnitas fieret mihi ſuſpecta; quare cura, ut aliquando mihi reſpondeas. Miſi tibi aliqua exemplaria, quae hiſce tradas, quibus ſunt inſcripta. Etſi comitem de Neuenar non cognoſcam; uerum cum ſciam eum et canonicum et doctum, non dubito quoque, quin et Lutheranus ſit.

Quantum uero faueat noſtro Reuchlin ac ſuis aduerſariis, nec te quoque latere ſcio; quare crediderim, nos ſibi rem gratam facturos, ſi haec ad eum miſerimus. Cura itaque, ut recipiat. Optarem, ut eum mihi conciliares ob eius doctrinam ac bonarum literarum ſtudium, meque ac mea qualiacumque ei commendares ac offerres. Si ipſe mihi ut tibi familiaris eſſet, eum pro ſua doctrina ac conditione adhortarer, ut et ipſe huic maledico, quare Luthero faueret, reſponderet. Sed haec tuo committo iudicio; hoc tibi de me perſuadeas uelim, me nefas exiſtimare, Martinum a malis laudari. Vale. Auguſtae IV Decemb. anno ſalutis MDXIX.

XXV.

De Reuchlino. Peſtis formidine fugam ſuadet.

S. Accepi tuum Nazianzenum, eumque legendum tradidi Oecolampadio noſtro; cum tempore quid ulterius ſit agendum, tibi ſignificamus. Emſer mihi uidetur non prudenter egiſſe, quod neſcio ob quod (uti mihi coniicere licet) odium et inter principes et in-

inter gymnaſia talibus rebus ſe immiſcuit; potuit ſilere in his, quae ad eum non ſpectant, nec de ſuo (ut aiunt) foro erant. Quod noſtrum Reuchlin ſatis agi putas, ego ſentio cum eo, qui dicit; quemque ſibi fortunam fingere, nec quicquam mali in ciuitate fieri, quod non faciat Deus, totamque uitam noſtram nihil aliud, quam morbum, ac dolorem perpetuum uideri. Patientia itaque nobis, mi Wilibalde, neceſſaria eſt, cuius tota uis in hoc conſiſtit, ut bene patiamur tamquam bonum, quicquid ſub infinitae bonitatis gubernatione contingit. Inſimulatur uir bonus a nonnullis, quod ſenſerit cum Duce Würtembergenſi. Sed quis tutus, ubi cuncta plena malis.

Peſtem nos quoque hic formidamus ob loca uicina, quae inuaſit. Dei itaque gubernatoris omnium uoluntati nos cenſentiamus, ac coniungamus, qui et aſtrorum creator ac Dominus eſt. Conſulo tamen tibi, pro mutuo amore, ut non diu diſceſſum tuum differas, ac quorſum diuertere uelis, mihi ſignifices, ut, ſi occaſio mihi quoque fugiendi data fuerit, aut tecum uiuam, aut ſaltem ſciam, quorſum mihi ſcribendum ſit. Miſi tibi ac noſtro Wenceslao uaria, neſcio, ſi acceperitis, nec ne? Velim mihi reſcribi, quid de indoctorum canonicorum qualicunque apologia ſentiatis. Aurum iſtud, qui habet, Toloſanum nunc hic eſt ac urget typographos, ut neſcio quae iterum maledicta ſua imprimant, ſed hactenus ſibi denegatum

gatum fuit. Inſeruit iterum literis ſuis ad Ducem Fridericum nomen tuum, ſcribens neſcio quae ad te Lutherum ſcripſiſſe. Sed quam uere haec ac alia euomat, tu noſti. Relatum mihi fuit nuper non tamen certo auctore, ſibi a pontifice ſilentium impoſitum. Si ita eſſet, ea poena puniretur, quam mereretur. Poſitiones alligatas uelis tradere noſtro Wenceslao, ut ſi ſibi conſultum uiſum fuerit, mittat ad uirum Dei, Martinum. Vale. Auguſtae XI. Decembr. ea die, qua tandem tuas accepi, anno gratiae MDXIX.

XXVI.

Maledici (Eckii) mores improbi. Oecolampadius notatur. Cocleo fauet.

S. Vacat iterum lectoria, (ut aiunt) apud nos. Rogo, curare uelis, ut alligatae literae apud te publicentur. Quod canonicos indoctos commendas, placet, etſi nihil ſua modeſtia profecerint. Nam antequam in lucem prodirent, ex ſuo conuitiorum regiſtro maledicus iſte telam exorſus fuit, in qua nos hypocritas (ut forte legiſti) appellat, quia eum contemnimus. Fui pridie, quam haſce ad te darem, a Ioanne de Schvvarzenberg ad prandium uocatus, ac me inſcio maledicus iſte. O utinam interfuiſſes non conuiuio ſed ſympoſio. Proh! quas nugas temulentiſſimi iſtius audiſſes; dixit inter cetera, neſcio quem Nurnbergenſem libellum contra eum lingua uernacula edidiſſe, ac ſe, antequam ebibat uini menſuram, longe elegantiorem reſponſionem ſcribere

re poſſe, ſicut ſe facturum aſſeruit; Canonicis uero indoctis ob honorem eccleſiaſticum ſe peperciſſe. Quid multa? adeo uino fuit accenſus, ut ni comes de Helffenſtein ac Baro de Gerlseck praeſentes fuiſſent, forſan ex uerbis ad uerbera deuentum fuiſſet, ſicuti nuper apud nos ac Ingolſtad contigit. Quid cauſſae ſit, quod non tam honorifice de te loquatur ac ſcribat, ignoro, quemadmodum prius ſolebat, niſi eam eſſe puto, quod cum te Luther nobilem Nurnbergenſem appellet, ut ei uices rependat, te Noricum uocet. Quaeſiui ab eo, cur nos indoctos ac praecipue hypocritas uocauerit, quum a nullo uitio (ut uulgus ait) plus ſimus immunes, obiecique ſibi modeſtiam ſuam (nam dixi, me nihil unquam immodeſtius ab eo ſcriptum uidiſſe), reſpondit: ſe hoc egiſſe, ut intelligeremus, ſe quoque ſcire maledicere. Certe reſponſio tali theologo digna. Sed haec uerboſius, quam ſtatuerem. Noſter Oecolampadius nullum adhuc beneficium conſecutus eſt, ſperat tamen, ſe conſecuturum; eſt homo inconſtans ac forte ſua minime contentus, parumque Deo (tibi loquor) ac hominibus gratus. Cocleo libens benefecerim, modo poſſim. Amo enim inprimis eos, qui doctrinae probitatem coniunxerunt. Vale, ac me ama, tuamque ualetudinem inprimis cura. Auguſtae prima Ianuarii anno ſalutis MDXX.

XXVIII.

XXVII.

Eckius Romam proficiſcitur.

S. Quid actum ſit cum tuo Nazianzeno, nobisque agendum uideatur, ex literis Oecolampadii percipies. Peſtis iſta ac bonarum literarum impedimentum ſeu potius pernicies ſe Romam (ut pluribus hic dixit) contulit, impenſis nonnullorum praelatorum, quibus eſt pollicitus, ſe neſcio quae priuilegia eorum nomine illic poſſe impetrare, quamuis ipſe aliam itineris cauſſam, mentiatur, nam ſe per pontificem arceſſitum ait. Neſcio, ſi ſecum ferat librum iſtum ſuum, quem totiens iactitat ſe coaceruaſſe de primatu Petri. Habet quoque plures aduerſarios ſuper parochia Ingolſtadenſi, in cuius poſſeſſionem ſe intruſit. Spero ac minime dubito, quin ſua praeſentia multum auctoritatis ac nominis tribuat noſtro Martino. Noſti enim Italorum iudicium. Vale ac haec quoque dicas noſtro Wenceslao. Auguſtae XI Ianuarii MDXX.

XXVIII.

Remedia contra deſtillationem capitis. De cauſſa Reuchlini.

S. Plus, quam neceſſe fuit, mi Wilibalde, curaſti; nam quid opus erat erga me tuam in reſpondendo excuſare tarditatem, cuius animus iam pridem mihi cognitus fuit. Quod tam acri deſtillatione capitis labores, doleo, tametſi peculiaris is ſit legentium dolor. Nam,

ut de me ſcribam, ita me haec aegritudo ad complures iam annos maxime in nocte infeſtat, ut aliquando ſuffocationem, (Deus auertat!) formidem. Tradit Marſilius Ficinus in libro primo de curanda ualetudine nonnulla remedia, quae te legiſſe arbitror, auctoritati cuius bonae memoriae pater tuus plurimum tribuit; ſum et ego expertus maxime eleſanginae pilulas plurimum ad humores euacuandos conducere, ſed haec tuo exacto iudicio mando. Statui ergo hoc anno ire ad thermas Badenſes, prope Moguntiam, quas plurimam uim habere, aiunt, in humoribus exſiccandis ac purgandis. Retulit mihi et expertus ac diligens uir Carolus von der Than, quod biennio a podagra earum aquarum uirtute fuerit liberatus, cum ante fere quater in anno eam infirmitatem fuerit paſſus. Pollicitus eſt mihi, ſe quoque hoc anno eas thermas uelle adire; ac ſi nobis comes deſideratus adeſſe uolueris, reſcribas in tempore, rogo. Scripſit pridie, quam haſce ad te darem Grammatheo noſtro Reuchlin, bis apud eum fuiſſe fratres praedicatorum ac plurimum ſollicitaſſe, ut cum ipſis concordiam inire uelit; uerum tandem huc ſit ſua cauſa deducta, ut cum ſuae ſententiae ſortitus ſit executorem Franciſcum de Sickingen, non deceat ſine ſcitu ac uoluntate eiusdem ſe quicquam attentare; uelle tamen conſentire, ut ad Dominicam Oculi conueniant, ac ſi fieri cum uoluntate utriusque partis commode poſſit, res haec tandem ſopiatur.

tur. Vide, mi Wilibalde, ut omnia fert aetas, ac tempus omnia reuelat. Iuſta ſunt Dei iudicia, licet nobis occulta. Aiunt, praedicatores multa millia aureorum amiſiſſe Romae, quos iſtic apud nummularios ob eam cauſam depoſuerant, qui decoxerunt. Vale, ut te ualere opto, ac ualitudinem tuam inprimis cura, tibique uiue; nequaquam enim, ut noſti, uiuit, qui ſibi non uiuit. Auguſtae, ultima Ianuarii Anno ſalutis MDXX.

Quia numeris delectaris, qualeſcunque tibi numeros miſi, a me quidem non intellectos.

XXIX.

Quid cauſſae, quare contra Lutherum clamitent. De Cocleo.

S. Tuam reconualeſcentiam cum gaudio percepi; utinam diu ſubſiſtat ac perſeueret. Cupio tamen ex te intelligere, quibus remediis deſtillationi huic ſuccurras; nam et ego, ut nuper tibi ſcripſi, eadem infirmitate crucior. Deſcendit enim maxime in nocte mihi a capite uehemens deſtillatio ad orificium, et, ut ſentio, ad ipſum ſtomachum; naturae tamen uirtute per excreatus ac ceteros corporis meatus eandem eiicio. Vereor tamen, ne cum naturae uirtus defecerit, ac flegma uiſcoſum ac putrefactum in ſtomacho remanſerit, me aliquando necet. Quid nobis in aduentu Ro. Regis ſperandum ſit Deus nouit; ſua tamen pueritia ac eorum, qui nunc apud nos dominantur, poteſtas me plurimum dubium reddunt;

ſed fiat uoluntas Domini. Quod multi contra Lutherum clamitent, fateor, ſed ob quam praecipue cauſam forſan fateri uerecundantur. Tametſi ego potiſſimum duas cauſas eſſe exiſtimauerim, cum quod per documenta Lutheri res eorum non augetur, tum etiam, quod non parum Sophiſtarum, ac complurium, qui ſe religioſos nominant, opinio ac autoritas minuitur. Sed ſpero, quod ueritas aliquando ſub iuſto iudice uincet. Nazianzenum tuum tibi remitto; ſi quid in futurum cum eo agendum decreueris, ſi mea opera tibi neceſſaria fuerit, ea pro tua uoluntate utaris. Quae de noſtro Cocleo ſcribis, admiror, iniecerunt-que neſcio mihi quam malam ſuſpicionem. Timeo tamen, ne aliunde, quam per oſtium intrauerit ouile. Noui enim eos ex eorum fructibus, cum quibus ſibi negotium Romae fuit. Sed tecum ſentio, nimium ſibi ſapere uidentur theologi iſti. Non poſſum facere, quin tibi ſcribam, quod nuper noſter cuidam reſponderit: Eſt ex ſua inſtitutione ſibi iniunctum, ut omni ſeptimana ſaltem ſemel in ſacris litteris legat, et hoc iuramento firmatum. Quum uero quidam ex noſtris eum ſollicitaſſent, ut id faceret; reſpondit: quid uultis, ut uobis legam, cum me praedicantem non libenter audiatis. Vtinam tuum conſilium ſequi poſſem, ut errorem emendarem, ſed perpetuatus (ut aiunt) eſt. Hoc aliquando iſtos inſolentiores ac negligentiores facit. Quod in fine tuarum litterarum fateris, penes te dia-

logum

logum eſſe, quem ſi deſiderem, uelis mihi mittere; fateor et ego tibi ingenue, me nonnihil tibi ſubiraſci. Nam quia aliorum fides me deluſit, putas forſan eo minus mihi credendum eſſe. Quare ſi mihi uis reconciliari, fac, ut, quanto citius poteris, eum dialogum mihi ea conditione mittas, qua iubes, ne mihi a te miſſum cuiquam dicam. Tametſi polliceor tibi (ut ſpero) in recompenſationem miſſurum deſcriptionem phyſinomicam huius noſtri, quae adhuc ſub incude eſt. Vale. Auguſtae XVII Febr. Anno ſalutis MDXX.

De Epiſtolis Eraſmi, quas habeo, tecum ſentio etc.

XXX.

Dialogum typis exſcribi optat. Oecolampadius Nazianzeni opera ſe in lat. linguam translaturum pollicetur. De Eckio, Peutingero, Eraſmo uaria.

S. Ea remedia, quae per experientiam contra deſtillationem prodeſſe cognouiſti, cum opportunum fuerit, quaeſo, mihi conſcribas ac transmittas. Dialogum, ſeu potius ueterem comoediam accepi, non ineptum, ſed, meo iudicio, adeo huiusce hominibus aptum, ut uix quicquam aptius. Extinxiſti meam iram, ſed deſiderium nondum ſatiaſti, quare, ſi ueritatem amas, bonorumque ac doctorum defenſionem meamque in te beneuolentiam, te etiam atque etiam rogo ac obteſtor, ut exemplar aut Anshelmo aut Frobenio mittas, quo

in

in multa exemplaria transfundatur; feciſſem hoc ego cum tuo ſcitu ac uoluntate, uerum impreſſori, cuius opera frequenter hic utor, deſunt characteres graeci, nec mihi polliceri poſſum operam noſtri theologi in emendando, adeo enim anxius ac tetricus eſt, ut tibi perſcribere erubeſcam. Nec eſt, quod monſtrum iſtud formides. Nam iam Romam profectum arbitror. Aliud eſt, quod etiamſi conaretur reſpondere, hoc nunquam niſi cum ſua ignominia ac teſtatione propriae ignorantiae facere poſſit. Poſtremo adeo eum formidare in praeſentiarum multorum inimicitiam ſcio, ut cum multis inire gratiam laborauerit, facies etiam operae pretium, ſi garrulitatem iſtius compeſcueris, qua doctis ſolet impedimento eſſe. Nam, ut tuis uerbis utar, licet aliquando, immo neceſſe eſt incandeſcere, ſi pacem habere uelimus, quam abſque bello conſequi minime poſſumus. Sed quid multa? fac, ut de te confidunt et amici ac qui bonas literas amant. Peutingero nihil adhuc hac de re dixi. Non enim totus mihi uidetur candidus. Nam cum nuper canonicos indoctos impreſſori traderem, loco uſurae appoſuit iniquitatem, credens, ſe obſequium ſuis mercatoribus praeſtitiſſe. Quod ſi literas commendatitias ad Capitonem habere uolueris, eas tibi aut ei mittam, quo curet, ut res ſuum conſequatur effectum. Mitto tibi literas Theologi ad Muſellanum; nam pollicitus eſt, ſe hiſce hortari Muſellanum, ut in uertendo Nazianzeno per-

pergat, quem ſuperioribus ſuis literis fere ab hoc officio abduxiſſet, dum ſibi ſignificaſſet, quae ipſe transferre ſtatuiſſet, timens, ne forte aut fruſtra laboraret, aut ſibi neſcio quae gloria ſurriperetur. Et, ut tibi libere pro noſtro amore, quae ſentio, ſcribam, diſplicet mihi iſta inter uos tam exacta diligentia, atque usque ad unguem reſecatio, dum alter alteri defert, ac alter mollis, alter durus, alter uero arctus minime cenſeri uult. Non prodeſt mihi ceteriſque graecarum literarum ignaris haec cenſura; fuere et alii, qui tranſtulere plurima, uerum quis unquam Ariſtarcho caruit? Scripſiſti mihi nuper, te optare, ut tempora, quae tibi reſtant, in Dei laude peragantur. Neſcio, quid Deo gratius facere poſſis, quam ſi gratiam Spiritus Sancti tibi conceſſam, ac talentum tibi creditum non ſub terram foderis, ac bona tua proximo communicaueris. Nec quaeſo, te a tuo inſtituto noſter Theologus ſubmoueat. Dixit ac pollicitus fuit, ſe omnia, quae haberet, Nazianzeni opera uelle uertere, ſed iam fere ultra annum nec unicum ſermonem tranſtulit. Cudit multa uerbis, pauca excudit opere. Sed hoc pro noſtro amore, quare boni conſule. Eraſmus ſcripſit nuper noſtro Theologo, ſe paraphraſin in omnes epiſtolas germanas Pauli abſoluiſſe, Atenſen ac Coletum obiiſſe, Dorpium ex animo ſibi eſſe reconciliatum, Hochſtradium bis apud eum Louaniae fuiſſe, ac culpam, quod contrarius ſibi fuerit, in Atenſen reieciſſe. Et ni magnates aulici ſibi patrocinium praeſtitiſſent,

iam

iam dudum a factione iſta monachorum ac ſcholaſticorum lapidatus fuiſſet. Conqueritur maxime de quodam Carmelitano, ac Eduardo, qui et in ſex poſitiones Lutheri ſcripſerit. Vale ac cura, ut dialogus edatur, ſi me amas ac ueritatem, ut hactenus feciſti. Auguſtae IV Martii Anno ſalutis MDXX.

XXXI.

De Hutteno, Eraſmo, ep. Herbipol. Martino Luthero.

S. Poſt ultimas literas tuas, quas ad me dediſti, intellexi non ſine dolore, te grauiter in priſtinam infirmitatem tuam recidiſſe. Miſericors Deus cuncta in ſalutem tuam uertat, ac ut aduerſa patienter feras, ſua gratia concedat, eamque ſanitatem, quam oro ac ſpero, tibi tribuat. Dialogum iſtum ideo imprimendum deſideraui, quia in eo omnia quadrant, et ut ſaltem calumniatorum iſtorum, qui adeo perfricata fronte ueritatem impugnant, malitia coerceretur, et ne adeo impune in bonas literas bonosqué uiros debacharentur, ſed quia aliter tibi conſultum uiſum eſt, ſequar conſilium tuum. De Hutteno utinam ea ſequantur, quae ſcribis; habebit enim occaſionem, quo et manu et lingua ſe defendat, forſan non indignum huic patellae operculum, tametſi multi ſint, qui potentiam huius denariorum regis (ita enim ſolitus fuit eum appellare Cardinalis Adrianus) plus quam conducat, formident. Eraſmus cudit apologian in Eduar-

ar-

ırdum, de quo mihi ſcripſiſti, et, ut literae ſuae denotant, acerbiſſimam. Quae de epiſcopo Herbipolenſi ſcripſiſti, facile credo; noui enim eos, qui omnia apud eum poſſunt, facileque mihi perſuadetur, quod omnis principatus aut reperit aut fecit malos. Quod uero non magni iſtorum gratiam, (ut aiunt,) facis, mecum ſentis; nam quantum iſtorum conuerſationem non modo fugiam, ſed fere abominer, tibi ſcribere uerecundor. Aiunt, Petrum de Auſſes Hutteno reſpondiſſe. Quod boni Martini noſtri Romae negotium infeſtiſſime agitetur, quis miretur? Fateor, duros eum habere aduerſarios, ac facile eum proſternent, cum nemo ſit, qui eum (ut arbitror) defendat, ac res contra et apud eum iudicem agatur, cui nemo audet dicere: Cur id facis? dubito tamen uehementer, an ſibi (ut ſcribis) aqua et igni interdicatur, tum quod innumeri ſint, qui ſibi fauent, tum etiam quod ipſa ueritas fortior ſit, quam ut facile ſupprimi poſſit. Excommunicati fuere ſuperioribus annis Veneti a Iulio ſecundo, et non ſolum Veneti, ſed et omnes, qui eos commode offendere poſſent, ac non facerent; ſed quis, quaeſo, unquam ob inobedientiam ſuam petiit ueniam? Ita timendum eſt, ne in praeſentiarum quoque ſimiliter fiat. Incipimus enim ſapere. Sed haec Deo committamus, cuius nutu cuncta aguntur. Vale ac uiue, ut opto, ac Deum oro. Auguſtae X Aprilis anno ſalutis MDXX.

XXXII.

Digitized by Google

XXXII.

Theologum (Oecolampadium) monaſterium ingreſſum eſſe memorat.

S. Scribo tibi rem nouam ac forſan prius non auditam: Theologus noſter, pridie quam has ad te darem, ingreſſus eſt monaſterium ordinis S. Saluatoris nomine Alten Munſter, diſtans per tria miliaria a nobis, parentibus ac omnibus, ut mihi conſtat, amicis ſuis inconſultis. Vtinam ſibi in uitam aeternam proficiat monaſterium! non abundat, immo indiget, neceſſariis; miſere uiuunt; feminae, ut noſti, cohabitant ac omnia adminiſtrant. Scripſit mihi ea die, qua ingrediebatur ac pluribus ſe excuſauit, quod propoſitum ſuum mihi occultaſſet; conqueſtusque de ſua imbecillitate ac aliis cauſſis, quae eum ad hoc faciendum compuliſſent. Fateor, commouit me uehementer miſeria ſua: non enim mihi uiſus eſt prudenter egiſſe. Nam an hic ſtatus conueniat imbecillis, tu ipſe iudices: quam uero ſit homo inconſtans, ac quam minime poſſit moderare ſuos affectus adeoque anxius, poſſem tibi pluribus, ſi neceſſe eſſet, demonſtrare. Timeo itaque, ne breui eum incepti poeniteat, quod amplius reſarcire non conceditur. Dum nobiſcum eſſet, ſaepius mihi dixit, ſe in piſtrinum intruſum; uideat ipſe, ne ſe in carcerem perpetuum intruſerit. Sed quid multis? Noſti me tibi ſcripſiſſe, quod inſignem mihi melancolicum commendaſſes; uide, ne huius

aegri-

Digitized by Google

aegritudinis hi ſint fructus. Scripſit mihi haec uerba: Equidem neminem minus, quam te deſeruerim; poterimus, ſi quid uel ad literas uel ad pietatem ſpectat, cotidianis inter nos agere literis, et plerumque felicius, quam olim. Non enim, ut ſolet uulgus monachorum noſtrae aetatis, pietatis praetextu ignauia torpeſcam, ſed nactus opportunitatem et mihi et aliis, auſpicante Chriſto, prodeſſe conabor. Vberius haec ille, ſed neſcit, uel non conſiderat bonus uir, nunc ſibi ad aliorum arbitrium uiuendum eſſe. Haec, mi Wilibalde, te latere nolui, etſi forſan mihi gratulaturus ſis; non tamen dubito, quin et mecum compatiaris et bonis ac doctis, ubi ſecus, quam ipſis expediat, res eorum aguntur. Quod ad literas ſpectat, ſcripſit hisce diebus ad nos Spiegelius ex Sceleſtadia, breui ſe ad nos miſſurum eſſe Ioann Hus de eccleſia libr. Donationis Conſtantini priuilegium, interprete Bartholomaeo Pincerno, Laur. Vall. contra ipſum priuilegium declamation. cum Hutteni noſtri praefatione, mere Huttena; Commangium de ſtatu eccleſiae, qui ſcripſit tempore concilii Conſtantienſis, tractatus cognitu dignus; epiſtolam ſtudioſorum Germaniae ad Carolum Caeſarem; Orationem nobilium Germaniae ad Car. Caeſ. de quibusdam rebus corrigendis; dialogum, quo tres theologiſtae Colonienſes, cum Reuchlin, Eraſmo et Fabro diſceptant, apologiam Henrici quarti Imperatoris etc. Scripſit quoque, Eraſmum nunc emendare Auguſtini

opera, ac Capitonem Moguntiam migraturum. Vale in Chriſto. Auguſtae XXVIII Aprilis. Anno Salutis MDXX.

XXXIII.

Regis denariorum potentia. Eckius uituperatur.

S. Quod gratias Deo habes in aduerſa tua ualetudine, commendo: nam uirtus in infirmitate perficitur. Bene quoque ſentis, nobis non tutum eſſe, ut dialogus dedolatorius opera noſtra nobiſcum imprimatur. Multo enim maioris apud nos exiſtimationis eſt rex iſte denariorum, quam apud uos fuit. Nuper exorta fama, quod daemon bis conatus fuiſſet eum abducere. Proh! quam aegre tulit, quantumque pollicitus fuit, ut eius famae auctor ſibi indicaretur. Hutteni legi dialogos: utinam tam feliciter, quam audacter in eum ſcribat! Fuit nuper capitulo S. Mauricii nobiſcum cum hoc rege Romae negotium. Quid multa? etſi capitulum nihil plus optaret atque expectaret, quam ut res uia iuris expediretur: nihilominus papa mandauit, ut, etiamſi aduerſarius capituli falſe narraſſet, compos tamen uoti fieret; quemadmodum quoque actum eſt. Aliud quoque tibi non poſſum non ſcribere: quum deliberaremus de epiſcopo eligendo, atque is, de quo loquimur, ambiret, complures ex contribulibus meis, ut eum, qui nunc eſt epiſcopus, nobis praeficeret, dixit palam: ſi minus fieri poteſt ueſtra uoluntate,

uobis

uobis etiam inuitis eum epiſcopum faciam; nam et papam et Caeſarem (ut uerbis eius utar) in marſupio detentos habeo. Caueamus itaque hanc inſolentiam ac eum ingenii Hutteni laſciuiae (ut Eraſmus appellat) committamus, forſan uterque aliquando ſuum offendet ultorem. Nemini parcit, ut noſti, Huttenus meritus, ut nemo quoque ſibi parcat. Quid uero latrunculi in potentes inſignesque iſtos latrones ſeu malueris appellare oppreſſores exactoresque poſſint, tuum ſit iudicium. Memini, te mihi ſcripſiſſe, alia uia, quam per latrocinia, hanc calamitoſam exactionem extingui poſſe; ſed quis etiam mediocriter expertus non uidet, omnia apud nos uenalia eſſe. Noui ego quendam nobiſcum non magni nominis mercatorem, qui cuidam aulico etiam infimae conditionis annuo dederat trecentos aureos, ut negotia ſua Caeſari commendaret. Ita, mi Wilibalde, regia pecunia ubique regnat, uereorque, ne potentius, quam unquam apud nos ſit regnatura. Sed forſan hoc meretur aetas ac uita noſtra. Leci ſcripta, quae mihi miſiſti, gratiſſima fuere; legi cum tanta delectatione, ut tibi perſcribere non poſſim. Mirum enim, quantum mihi lectorem detinere uideantur. Vereor, ne et Eraſmum a ſuo inſtituto dimoueant ac nonnihil autoritatis auferant: tametſi ſtudioſis utile eſſe cenſeam, ut hac uia ueritas magis eluceſcat. Fulgentius quoque tua impenſa ac induſtria ab interitu ſeruatus ac nobis reſtitutus, omnibus, qui bona

ſtudia amant, ſumme placet; mihi quoque imprimis perplacet, quod multa in eo legi, quae comprobant noſtri Martini dicta, cuius fauor ac auctoritas in dies apud nos augetur. Quid uero tuos ſenatores mouerit, quo minus ſint paſſi ea, quae in Martini commendationem ac ueritatis defenſionem a noſtro Spenglerio ſunt ſcripta, in lucem prodere, non poſſum ſatis mirari. Forſan plus tribuunt factioſis iſtis, quam ſit neceſſe, ac trepidauerunt timore, ubi non erat timor. Non arbitror, eos hoc in fauorem Geckiani facere, de cuius aduentu cum nuper Cardinalis S. Sixt. Romam certior factus fuiſſet, dixiſſe fertur: quid actura eſt haec beſtia nobiſcum? Numquid conſiderat, quod prius abundent apud nos beſtiae Wenceslaum noſtrum, ſi apud te eſt, ſaluta ac ſolicita, ut binis meis literis reſpondeat. Timeo, ne fidum diligentemque eum procuratorem meum apud uos amittam; quamuis omnia, quae ſibi in ſalutem cedant, oro ac opto. Spero, quod tuus Rhetor ac fugitiuus ex Franckfordia ad nos ducetur. Vale in Chriſto. Auguſtae tertia Maii. Anno ſalutis 1520.

Audiui Emſerum Enchiridion Eraſmi in linguam noſtram tranſtuliſſe; ſi nactus fueris, mihi mittas, ac, quae uelis, ut remittam, reſcribe.

XXXIV.

Oecolampadius monaſterium ingreſſus. Leeus non amice agit. Martini laus.

S. Fugitiuum tuum cum F. Pici oratione accepi. Fiunt omnia in dies, quae ad me mit-

mittis, gratiora. Nam, ut tibi ingenue, quae ſentio, fatear, nihil fere amplius me oblectat, quam in literis uerſari, maxime in hiſce, quae quotidie in lucem a bonis autoribus prodeunt. Quid prodigia iſta, quae ea die euenere, quando noſter theologus monaſterium ingreſſus eſt, portendunt? neſcio, nec ea mihi ſunt curae. Quum uero omnia quadrant, inde quoque coniicere potes: nam fere ea hora, qua ingreſſus eſt Oecolampadius, captus fuit eiusdem ordinis ac monaſterii frater, qui alios duos ſecum abducere ac muros monaſterii effringere conatus fuit. Scripſit mihi breui quaternas literas, ſummeque ſibi hoc nouum uiuendi genus placere, niſi aſperiora ſuccedant, aſſeverit. Vtinam Deus eum conſeruet! nam quam puſillanimis ac inconſtans anxiusque in omnibus ſuis rebus ſit, optime noui. Neque unquam ea mihi mens fuit, ut me deſperauerim poſſe etiam in quocumque ſtatu ſaluum fieri: ſed quietiorem uitam ac ab occaſionibus peccandi remotiorem eligere; ſed in dies experior, locum non ſanctificare nos, ſed animum paratum quaecumque tum proſpera, tum aduerſa aequanimiter ferre. Sequar itaque etiam mea ſponte in futurum tuum conſilium, maneboque in ea uocatione, qua uocatus ſum. Leeus, ut ſcribis, nec amice nec utiliter mihi egiſſe uiſus eſt: merito aliter Eraſmum, qui tot bona nobis contulit, tractaſſet, nullibique mihi uidetur uirulentior, quam ubi Eraſmus neotericos taxat. Facile itaque in tuam ſententiam iturus ſum, quod iſtorum protector

ac anteſignanus exiſtat. Quae de Martino ſcripſiſti adeo me gaudio affecerunt, ut geſtirem prae gaudio; eſt enim uir bonus ac doctus ſincerusque ueritatis propugnator, et, quantum conücere poſſum, omnem ſuam fiduciam in Deo habuit, qui nunquam in ſe ſperantes derelinquit. Wenceslai noſtri literas ſumme expecto. Enchiridion non opus eſt ut mihi mittas; ſed eius loco, neſcio quos rhythmos germanicos, quos intellexi apud te haberi de uariis abuſionibus mercatorum ac aliorum, Carolo Caeſari dedicatos. De reformatione eccleſiae nihil eſt, quod ſperare poſſim; tum ob uerba Chriſti, qui ait: in fine ſaeculorum ſuperabundabit iniquitas et refrigeſcet charitas multorum; tum etiam, quod adeo omnia mihi infecta uideantur, ut uix quis (ut timeo) ad hoc idoneus reperiatur. Sed fiat uoluntas Domini. Vale. Auguſtae XIII Maii, Anno gratiae MDXX.

XXXV.

Oecolampadius inconſtans.

S. Scriptum eſt ad nos XXIII die Maii, conſiſtorium publicum uelle per bullam declarare Martinum noſtrum haereticum: haec uelim Wenceslao noſtro ſignifices. Vtinam Deus in ſalutem noſtram cuncta dirigat! Egranus, quem mihi commendaſti, me apud noſtrum melancholicum offendit. Vtinam et tu affuiſſes, uidiſſes quam miſer homo ſeipſum deluſerit, uerba, mores ac ſcripta ſua miram

in

in eo inconſtantiam deſignant; quorſum uero emergant, nouit DEVS. Egranus iturus eſt Baſileam; quo animo, ignoro. Egi tamen cum eo, ut perciperet, te non fruſtra eum mihi commendaſſe. Qualis ſim heluo in conſequendis operibus et Eraſmi et Lutheri, arbitror neminem melius nouiſſe, quam, te ac Wenceslaum, quorum opera imprimis in hac re et utor ac fruor. Quare rogo ut ſignifices, quid Eraſmus nunc agat in lucemque protracturus ſit; lego nunc ſuam paraphraſim in Paulum, cum quanta delectatione ac auiditate perſcribere non poſſum. Vtinam in caeteras canonicas epiſtolas idem ageret, in quas eum argumenta ſcripſiſſe ac Antuerpiae per Theodorum impreſſa fuiſſe intellexi, quae ſi habes, quaeſo, mihi mittas. Omiſit enim ea aliquibus epiſtolis Pauli apponere, licet, ut noſti, in graecis habeant. Miſi ad te literas ad Crotum transmittendas; neſcio ſi eas acceperis. Vale ac me ama. Auguſtae VI Iunii. Anno ſalutis MDXX.

XXXVI.

Luthero infauſta imminere putantur. De Cocleo.

S. Bene egiſti, quod epiſtolam Eraſmi emendatam ad me miſiſti: illico enim mea cura in multa exemplaria euulgabatur. Nam quam ſtudioſus ſim nominis Eraſmi ac Lutheri, credo te optime callere; utinam id ingenio quoque praeſtare poſſem! Quid futurum ſit de Martino, ignoro; etſi multi ſint, qui de

eo conclamatum eſſe aiunt: lictorem enim iſtum Geckium breui cum bulla affuturum ac pro ſuo libito omnia acturum eſſe. O miſerrima eccleſia, quae talem eſt habitura protectorem! ſed reprimam me. Haereticus Lutherus ac excommunicari poterit ac declarari; ſed ut nemo ſibi faueat ac ſua opera non legat, declarationemque obſeruet, utrum hoc fiat, res ipſa docebit. Rogo efficias, ut ſi qua opera Eraſmus ediderit, ad te mittantur, mihique deinde mittas. Nam etſi tandem ad nos deferantur; tardius tamen id, quam deſidero, fieri ſolet. Gaudeo, uos a ſcholaſtico propoſito abſtinuiſſe. Nam ſi meae facultatis fuiſſet aliquem eligere, neſcio quem Heſſo antepoſuiſſem. Curo et ego, ut in locum theologi noſtri aliquis ſufficiatur, qui eum humanitate ac experientia uincat. Legi nuper prologum Coclaei noſtri in Maximinum: uiſus eſt mihi obiter declaraſſe, quid Roma in eo operata fuerit; uereor, ne ſe apud doctos bonosque ſuſpectum reddat. Quid aſtra ſignent, forſan ſciri poſſe, non memini, me negaſſe: quod uero aliquid efficere poſſint, tuum aliorumque ſit iudicium, qui uim eorum nouerunt; non tamen ingratum foret mihi ſignificare, quid tandem ſit, quod adeo futurum horres. Vale Auguſtae XI Iunii. Anno ſalutis MDXX.

XXXVII.

Aſtrologian non magni facit.

S. Quae

Digitized by Google

5. Quae mihi de rebus noſtri Martini ſcripſiſti, ueriora ueris eſſe non dubito: nolui tamen te et ea latere, quae ab aemulis ſuis ad nos delata atque hic adaucta fuerunt, praecipue per nobilem illum ſcabioſum ac ſuum collegam Ilſung, qui tum ob contractum iſtum, quem noſti, tum ob nominis forſan ac morum ſimilitudinem plurimum illi mercatorum apoſtolo fauent. Quae mihi miſiſti grata fuerunt; paraphraſin prius habui; minoris in Martinum ineptias quoque habeo. Cocleus quantum me moleſtet, ut epiſtolas Caſſiodori ad eum mittam, tibi perſcribere non poſſum. Obſecundarem libenter amico; ſed cum liber ſit monachorum diſtantiaque non parua, nec mihi uideatur dignus tot laborum ac periculorum; neſcio, qualiter commode ſuo poſſim deſiderio ſatisfacere. De ſideribus quid tibi reſpondeam? quum eorum uirtutem ac uim penitus ignorem: unum tamen plurimum admiror, quod genethliaci iſti morbum iſtum, quem gallicum appellant, non praedixerint: non enim memini, me apud ullum hoc legiſſe, cum mihi uix quicquam noſtra aetate peſtilentius uideatur exortum fuiſſe. Quae de bellis ac mutatione dominiorum ſcribis, quis ſcit, ſi haec peccata ac ſtultitia hominum promeruit. Quis, quaeſo, effecit, ut nunc, ut audio (tibi loquor) in Hiſpania fiant motus ac immutationes earum ordinationum, quae paulo ante placuerunt ac firmata fuerunt; ſed hic iubet Plato quieſcere. Tu caetera pro tua

Digitized by Google

prudentia iudices uelim. Cuncta Deus pro ſua uoluntate gubernat, nec eſt, qui nouit eam. Profligatus eſt Wirtembergenſis; quid liberi ac ſubditi peccarunt? Eiectus eſt magnus iſte magiſter; ſed quis tandem corriget correctorem? Non arbitror aſtra, ſed ille, qui cuicumque pro ſuis operibus condigna redditurus eſt, Dominus omnium ac Rex noſter Chriſtus. Vale Auguſtae XXVII Iunii. Anno ſalutis MDXX.

XXXVIII.

Vrbanus Regius concionator electus. Dialogus in Eckium.

S. Tua Wenceslaique noſtri ad literas meas reſponſio tardior uidetur, quam hactenus conſueta fuit. Vtinam nec publica, nec priuata peſtis ſit cauſſa! Scias nos in concionatorem elegiſſe Vrbanum Regium, cuius nomen tibi non ignotum eſſe puto; ſatis doctus ac eloquens uehementerque deteſtans ſcholaſticam theologiam; adeo, ut, me monitore, in ea re ſibi moderandum ſit. Spero, eum euangelicae doctrinae futurum et optimum praeceptorem ac acerrimum propugnatorem. Theologum noſtrum fere coegi aliqua e lingua graeca in latinam transferre; nam miſi ſibi complures ſermones Damaſceni prius, ut exiſtimo, non translatos, tum etiam Thalaſium de charitate; quae cuncta ob meum amorem, ſeu potius importunitatem, ſe uertere uelle eſt pollicitus. Audio, dialogum editum eſſe in Eckium, in quo

ob

Digitized by Google

ob multa mira, quae perpetrauerit, canonizatur: non tamen legi. Neſcio, ſi quicquam de ea re tibi conſtet. Relatum eſt mihi: Athanaſii complura opera Pariſiis ſeu Lugduni impreſſa eſſe, cuius nulla me uidiſſe memini, praeter id, quod contra gentiles, Omnibono interprete, ſcripſit: quaeſo, ſi lecto digna cenſueris, mihi emas ac mittas; arbitror enim te hoc per operam Coberg. facile efficere poſſe. *Schutzred* cum emendatione ac additione denuo hic impreſſae fuerunt, ut uidebis. Vale ac ut ualeas tu, Wenceslausque noſter, reſcribe. Auguſtae XI Iulii. Anno ſalutis MDXX.

XXXIX.

De grauaminibus Germanor. Item de Oecolamp. et Philippo Mel.

S. Scripſi tibi nuper, ut ſi commode fieri poſſet, reliquum grauaminum Germanorum infra quindecim dies ad me mitteres, miſſurum Oecolampadio noſtro, hoc idem ut cum praeſentium tabellario facias rogo. Rogauit me idem Oecolampadius, quo tibi ſcriberem pro impetrando priuilegio apud ſenatum imperatorium pro ſuo hoſpite Andrea Cratandro pro libris, qui hactenus uel non ſunt editi uel minus caſtigati, ne quis intra biennium procudat uel imitetur. Verum de hac re ipſe, ut arbitror, ad te dedit uel breui daturus eſt literas, Rogo, ut commendatum habeas. Conductus eſt ipſe ac Pellicanus a ſenatu Baſileenſi. Aſſigna-

gnarunt ſibi ſtipendium 48 aureos annuo, ac ſpem bonam ſibi fecerunt, ſi quod uacaturum ſit ſacerdotium, uelle illud ipſi prae omnibus conferre. Audiui, prodiſſe nomine pont. epiſtolam in ducem Saxoniae; ſi habes, mihi quaeſo mittas ac eam, qua noſter Schvvarzenbergius reſpondit confoederatis. Nam nihil eſt, quod me in iſtis perturbationibus rerum plus cruciat, quam quod magnates noſtri tantum fidei adhibent ſycophantis. Nolo ſcribere, quod ipſi magna earum calumniarum et pars ac inuentores exſiſtant. Non erubuerunt nuper quidam, me coram mentiri, te filiam tuam neſcio cui religioſo in matrimonium locaſſe et te quoque auctorem eſſe eorum grauaminum, quae tecum excuduntur, etſi in utroque te excuſaui, non quod perperam factum eſſe cenſerem, ſed quia ipſi in hoc et tibi et forſan mihi, ſe rem non gratam facere, putabant. Ferenda ſunt haec aequo animo ac perſuadendum, malis diſplicuiſſe, aliquando laudi dandum eſſe. Quantum me cruciat, quod nuper ſcripſiſti, Philippum nolle amplius ſacras ſeu bonas literas interpretari, cuius ſcriptis me ſatiare non poſſum. Vrge, quaeſo, hominem cum ad eum ſcripſeris pro tua apud eum auctoritate, ne talentum ſibi traditum a benigniſſimo ſeruatore noſtro in terram recondat, ſit gratus Deo ac ſibi ac nobis ſeminare in uitam aeternam fructus pergat. Ita eum Deus conſeruet ac per longa ſaecula cuſtodiat. Vale. Auguſtae VIII Iulii anno gratiae MDXXIII.

XIX.

XIX.

EPISTOLA PAVLI PHRYGIONIS.

Laus Pirckheimeri et Noribergnſium, ſuperſtitionem omnem profligantium.

Gratia et pax Domini noſtri Chriſti Ieſu ſit tecum! Quanta laetitia geſtierim ac exilierim, literis explicare non poſſum, mi Bilibalde, nuper prandendo cum generoſo Domino Ioanne Iacobo de Mersburg, laetum accipiens nuntium, Nurenbergenſes ſcilicet omnem profligaſſe ſuperſtitionem. Gratulor igitur tibi, gratulor eccleſiae ueſtrae, gratulor et ſaeculo noſtro; tibi, quod uitam ueram, uirtutum principium, ſis adeptus, et cum innumeris ſis dotibus donatus, ad uerticem uirtutum ueneris. Non infimo loco inter tuos conciues natus, nunc uero filius Dei, ſuperne renatus; doctus, ſed ſcientia mundi, quae perit, modo a Deo doctus aeterna, quae non perit, ſapientia; quondam militem cum agebas, uictor omnium plauſu redieras domum, nunc humani generis inimicum, in fugam gratia et fide uertiſti. Gratulor eccleſiae, quae te arietem ſequitur; uere liberi, liberati per uerbum Dei, unicum illum aſcendentes montem Chriſtum, qui non commouetur. Gratulor ſaeculo, quod, quam imitetur, eccleſiam habeat. Laudata per uniuerſam Germaniam ueſtra fuit res publica; ad ſui imitationem quam plures inuitans ciuitates; at uero nunc fides ueſtra, cuius gratia Deo meo gra-

tias

tias ago, in uniuerſo praedicatur orbe. Lumen oculosque, qui caeci eramus, recepiſſe uidemur. Tuum erit, participes facere nos noſtrae ordinationis, ut, quos ſequamur, habeamus. Ceterum quod hactenus, qui te quondam obruebam inſulſis noſtris literis, ad te nullas dederim, et ingenii paupertas (curta enim mihi eſt ſupellex) et nuntiorum raritas in cauſſa fuere. Vale. Thomam Venatotorium, Kilianum Leib, Rebdorfenſem, et Eccleſiam ueſtram meo nomine ſalutabis. Ex Schetſtat VIII Cal Febr. Anno MDXXV.

XX.

EPISTOLA CONRADI CORDATI.

Quod Bilibaldum non adierit, ſe peccaſſe agnoſcit opemque ab eo petit.

Gratia et pax a Deo patre per Chriſtum. Quemadmodum ego ipſe mea experientia ſcio, ſuam poenam quodque peccatum indiuiduum comitem habere: ita certus ſum, data opera, Deum gloriae aduerſus omnia, (quae ipſe non mandat) ſtudia pugnare humana, et ipſorum reniti conſiliis. Scilicet ut gubernandi uniuerſa ei ſoli maneant habenae, et ſuus propheta fidelis inueniatur, qui ait: omne conſilium meum ſtabit, meum, inquit, non hominum. Ergo, praeſtantiſſime uir, peccaui, quod dum Norimbergi eſſem, te non acceſſi, nunc toties poenitentia ductus poenis dedi, in primis dum Phil ille Mel. me durius, quam ſcribo, publice inter conuiuandum corripuit.

ipuit, quod uirum, qui tanta fide et huma-
ìitate mei fuiſſet memor, non acceſſiſſem,
t tamen interim, dum ſic poenas do, cogi-
ur illud primum peccatum meum mihi in bo-
ıum, ſine ceſſatione, cooperari. Dum
nim continua facti mei poenitentia poenas
eddo, continuo ſuggeritur mihi, quod in
atrio meo ſolo plus ſexcenties deliberaui,
ıon modo tuam praeſtantiam me uiſurum;
erum etiam Norimbergum tua ſolius cauſa
rofecturum, apud me ipſum certo conſtitui.
Quin cauſam huius mei conſilii addo, ut ue-
itas illius, quod adulanter dictum poſſit ui-
leri, appareat. Ego poſt tantum aurum,
uod olim dederat, nunc autem abſtulit Do-
minus, tantam auri penuriam patiens, ſpera-
bam, me auxilio tuae praeſt. meum pro Chri-
ſto exilium in laetiorem commutaturum con-
ditionem. Cum autem haec mea bona in tua
praeſtantia fiducia ex carnis tamen mala infide-
litate originem traheret; debuit profecto id
non fieri, quod toties apud me conſtitui, ſci-
licet, ut illius, qui ſolus uniuerſorum rex
eſt, non meum ſtaret conſilium, et, ut meo
facto diſcerem, omnia omnium hominum ſtu-
dia et quantumcunque diu et ſapienter quaeſita
conſilia uana eſſe et inefficacia, niſi ſolus ille,
qui omnipotens eſt, illa in effectus ſuos extru-
deret, quem unum et ſolum Deum, etſi in hoc
meo peccato glorificem; tamen, quod ad tu-
am praeſtantiam attinet, noxam, quam ma-
gnae tuae erga me humanitati ingratus admiſi,
de-

deprecor, promittens, me id nunquam admiſſurum amplius. Deus omnis miſericordiae pater, ob meritum Chriſti ſui, ſpiritus ſancti uirtute, ſanctificet te totum, ut integer tuus ſpiritus, anima et corpus ita, ut in nullo poſſis culpari in aduentu domini, ſeruetur. Amen. Gratia et pax, et meminerit praeſtantia tua eorum, quae in Epiſtola ad Hebraeos Cap. XII usque ad medium ſalubriter omnibus praeſcripta ſunt, quos ſiue in animo, caſtigat Deus, ſiue in corpore. Ex Wittenbergo 25 Auguſt.

De Norimbergenſibus omnibus, et ſi non eodem ſpiritu, iisdem tamen uerbis, quae olim ad ſuos Corinthios Paulus, dico: fidelem eſſe Deum, per quem uocati eſtis in conſortium filii ipſius Ieſu Chriſti; oraui tamen et orabo, ut idem loquamur omnes, et non ſint inter uos (quandoquidem fere ſunt ubique) diſſidia. Quod ſi permanſeritis (ut hactenus) integrum corpus eadem mente et ſententia, profecto Chriſtus, qui eſt Deus benedictus in ſaecula, odorem notitiae ſuae per uos manifeſtabit in omnem locum, quoniam Chriſti bona fragrantia eſtis in his, qui ſalui fiunt, et in his, qui pereunt. Manebit autem Chriſti apud uos ſimplex fides, ſi ſimplex uobis permanſerit Chriſti praedicatio.

XXI.

EPISTOLA CONRADI PELICANI.

Optat fauſtos Euangelii progreſſus. De Eraſmo, Oecolampadio et Charitate, Bilib. ſorore.

S. E.

S. E. Baſilea noſtra, ſuſpicor, te crebro per Eraſmum noſtrum literis redditis conueniri, eruditiſſime uir, iuxtaque piiſſime, quandoquidem tu quoque officioſe humaniterque reſpondes. Non oſtendit quidem omnia, ſed nec diſſimulat ad me, ſi quando laetiora tutaque ſignificas. Secura mihi uidentur omnia, donec tu, uir optime, et tui ſapientiſſimi ciues, euangelio deuoti ſunt; etiamſi principum aliqui nunc ceſſent et principes mundi agant; ſpes eſt, propediem illuminandos eos, quos Chriſti pietas dignos habuerit. Opto nihil aliud, quam ut Chriſti regnum ueniat et euangelium praedicetur et fidelibus auribus percipiatur ab omnibus, maxime uero phariſaeorum coecitas et ſquamae ceſſent, et placere incipiat uerbum Dei ſuis profeſſoribus, nobis, inquam, monachis, ut mens ſaltim chriſtiana contingat et uera pietas agnoſcatur non eſſe in loco, tempore, numero et perſonatu, ſed in uirtute ſpiritus et fide uerboque diuino. Intelligo Charitatem noſtram ſimplici deuotione ſua, imo duplici ſalutis uia proficiſci ad primarium inſtitutum. Miror, ſi tu pateris, ut ſacris literis non tota incumbat et ſolis illis. Ex quo non abhorret a lectione, ne incidat in ſacrilegos iuſtitiarios, cum fidei et libertatis Chriſtianae monitores non admittit, ſed fortaſſis aliorum nunc fratrum ſoror eſt, quam tua, quibus felicius tutiusque acquieſcit, ſed ſapientiorem eam ſemper habui, quam ut icones auctorum diſcernere nequeat.

ſi tantum legere dignetur. Ego Dei gratia et Baſilienſium dominorum interceſſione, non a me ambita, optime habeo. Totus in ſacris ſum literis interdiu amicis ſeruiens, noctem mediam mihi Geneſeos XXII Cap. nunc utcunque tracto. Oecolampadius nimium et totis uiribus in Chriſti gloriam praelegit, praedicat, interpretatur, iuuat conſilio et chriſtianiſſimum uirum agit. Harum latorem facile diſces eſſe bonae indolis iuuenem, quem ſpero inuenies eiusmodi, ut collati beneficii in eum te non poeniteat. Cupio tibi ceterisque commendatum iri, ſi, ut pollicitus es, et non dubito, dextrum ſe prudentemque praebuerit. Audio, membris te ſaepe imbecillum, ut functionibus publicis abſtinere cogaris, et uehementer uicem bonorum indoleo, quibus alioqui ſtrenuum auxiliarium ad omnem pietatem honeſtatemque iuuandam te te praeberes. Dominus te reddat ſeruetque incolumem. Ex Baſilea XVI Ianuarii MDXXIV.

Literae remanſerunt, et nunc eas relegens addo nihil, niſi ut harum quoque perlatores audias, et conſilio iuuare digneris bonos et ſenſatos fratres, quorum utinam ſimiles plures haberemus, ſed ipſe uerius cognoſces, et bene uale. Die paſchae.

XXII.

EPISTOLAE HENRICI STROMERI, MED.

Sua-

uaſor eſt Pirkheimero, ut Archiepiſcopo Mogunt. literatorum Maecenati, libellos ſuos mittat. Laus Reuchlini inſignis.

I.

. D. Legi tuam apologeticam epiſtolam et Luciani piſcatorem, quem tu lati-
ie loqui docuiſti. Etſi uterque maximopere
nihi placuerit (cui enim res iucunda, diſerta
t docta diſplicere poſſet?) uehementius ta-
nen me oblectabat tua eloquentiſſima ſimul-
tque ſapientiſſima Capnionis, uiri optimo-
um uirorum omnium conſenſu optimi, at-
que extra omnem ingenii aleam poſiti, defen-
io, quae adeo diſerte, accurate, docte, ir-
eprehenſibiliterque a te ſcripta et edita, ut
am nec Momus, ſi uellet, reprehendere poſ-
et, qua tibi uiro, alioqui famigeratiſſimo,
onorem, famam, gloriamque immortalem
eperiſti. Verum quo eam exporrectiori fron-
e legerim, eo magis admirabar, quod mihi,
ui honoris ſtudioſiſſimo, eius copiam non
aceres. At ut de me taceam, maxima im-
no ingens admiratio me cepit, ut tuas lucu-
rationes non dono miſeris Archiepiſcopo Mo-
untiaco, domino meo clementiſſimo, omni-
m literatorum uirorum et amatori et Maece-
ati, cuius amplitudinem, iure optimo, Reuch-
niſtam, ut famicidarum Reuchliniſtarum utar
ocula, appellitare poſſum. Quandoquidem
a celſitudo, eruditiſſimum Capnionem noſt-
um, numquam mihi ſine ſingulari praeconio
ominandum, uirum uenerabili aetate, rara

doctrina, eximia totius uitae innocentia, ſingulari germanicae, hebraicae, chaldaicae, graecae latinaeque linguae eloquentia, atque omnium pulcherrimarum uirtutum ornamento praeditum, mirifice amat, ac fouet, eumque laudibus effert. Proinde, niſi tua officia et humanitas mihi iam pridem eſſent perſpecta, ſuſpicarer, quanto diuitiae tuae atque eruditio creſcerent, tanto tua humanitas decreſceret. Haec Excellentiae tuae idcirco ſcripſerim, ut domini mei Archiepiſcopi, apud cuius celſitudinem ſaepenumero tui honorificam feci mentionem, fauorem non flocciſacias. Quandoquidem optimo potentiſſimoque placuiſſe principi non minima laus eſt; uerum tuis lucubrationibus et chartaceis muneribus eam foueas ac alas. Quod ſi feceris, diſpeream, ſi duceris penitudine. Bene uale, uir doctiſſime, non modo tuae antiquiſſimae familiae, uerum etiam totius patriae decus, et me ama, cum te uenerer et obſeruem D. Chriſtophorum Chreſſium, conſulem, D. doctorem Lochner, Nicolaum Grun, uiros uitae integritate ac non uulgari rerum experientia ornatos plurimum ualere opto, et tua Excellentia, cui me commendo, iterum ualeat, quae quando ſuos numerauerit familiares, ne meum ſileat nomen, oro, Aſchaffenburgk. 7 Nouembr. Anno MDXVII.

II.

Jacob Ceratinus, graece doctus, ab Eraſmo commendatur. De tumultibus ruſticorum.

S. P. D.

S. P. D. Clariſſime uir, Iacobus Geratinus homo ut modeſtus, ita graece et latine doctus, quem unice Eraſmus Roterodamus, doctae pietatis Camillus mihi commendauit, literas ab Eraſmo ad te ſctiptas mihi dedit, curarem, ut tu eas haberes, quas lator praeſentium tibi praeſentabit. Hac, qua has hora ſcribo, ex exercitu Ducis Ioannis Sax. electoris, uenerunt mihi certa noua, quorum copiam tibi deſcriptam mitto. Factum eſt in terris, quicquid diſcordia iuſſit. Ingens malorum pelagus tumultus ruſticorum ſecum adfert; det Deus his malis finem, et faciat miſeros ſubditos principum reſipiſcere, et mentem principibus, ut ſeſe eſſe iudicent magis Dei miniſtros, quam rerum dominos, utque conſilio, prudentia ſapientiaque furioſos manſueſcere faciant. De hac re ſatis; tutum enim non eſt de his malis graſſantibus loqui, uix noſtra tempeſtate tutum eſt tacere. Vale et me te amantem, obſeruantem et ſuſpicientem redama. Et quicquid acciderit, ſalua charitate ſemper et indeſinenter gaude. Datae celerrime. Leipz. ultima Maii Anno nato Chriſto MDXXV.

III.

1. *Abit Ceratinus Lipſia.* 2. *improbat Strom. religionis diſſidia.* 3. *morbo Pirckheim. mederi ſtudet, quem miſſionem* 4. *prudenter petiiſſe putat.*

S. P. Accepi hilari fronte literas tuas et Ptolemaeum meum, uir clariſſime. Vtrum-

que mihi fuit longe gratiſſimum, pro quibus tibi gratias ago, olim, ſi in mea fuerit facultate, gratiam referam: ſeruabo munus tuum, quoad mihi uita erit comes, quod ſaepenumero tuam mihi faciet memoriam. De eo munere ſatis, ne uidear uerba pro re optima pretioſaque reddere. Gratularis nobis eſſe praelectorem graecarum literarum Ceratinum uirum longe doctiſſimum, optasque, quod integri uiri eſt munus, ut diutina illi apud nos ſit manſio, quod in rem bonarum literarum facis, quibus nihil ducis melius, nihil antiquius, nihil ſanctius, doctiſſime Bilibalde. Prima Nouembris a nobis non ſine meo moerore receſſit Ceratinus, petiuit natale ſolum; uir et doctus et moratus eſt, dignus, ut ab Eraſmo, doctae pietatis Camillo, et ab aliis laudetur. Manſiſſet diutius, ſi uidiſſet literas fuiſſe apud eos, qui gubernant prouincias, in pretio; cauſſas alias ſuae abitionis tutum non eſt ſcribere; ſi tecum eſſem, multa in ſinum tuum funderem, quae chartae minime com-
2. mittenda ſunt. Quae de Euangelio Nurnbergenſes loquuntur, probo: uerum faciunt, uti alii: de uirtute facile loquuntur; at ne minimo digito ipſam attingunt. Mihi tamen perſuadeo, nonnullos uiros non modo uerbis, ſed et opere eſſe chriſtianiſmi profeſſores. Peius tamen cum iis agitur, quibus nec uerbum Dei nuntiare, nec, ut id legant, permittitur, uel ab iis, quorum munus eſt praedicare euangelicam maieſtatem. In tua ſum ſen-

ten-

tentia, quod offenduntur innumeri, qui ob-
ſunt ueritati euangelicae, uolentes docere;
ſunt furioſi, egentes elleboro. Deus faxit
eos reſipiſcere! niſi Deus Opt. Max. nos iu-
uerit, multae erunt ſectae per diametrum diſ-
ſidentes. Faciat Chriſtus Ieſus oues ſuas ſuam
uoluntatem cognoſcere. Male me habuit, quod
Eraſmus noſter ſcripſit de libero arbitrio; pe-
ius me habet, quod Lutherus iam reſpondet;
timeo futuram magnam tragoediam. Dei fi-
at uoluntas et non mea. Velim eos eſſe con-
cordes et benedicendo, non maledicendo cer-
tare. Eraſmus dignus eſſet ob herculeos ſuos
labores et uenerandam ſenectutem perpetua
laude ac tranquilla uita et laeto ex hoc mun-
do, officina calamitatum, exitu, ſed Deus
fortaſſis uult, ut hic moleſtias habeat et alibi
numquam intermorituram gloriam felicitatem-
que aeternam, quae eſt aggregatio omnium
bonorum. Quod aduerſa ualetudo te fecit 3.
Medicum illibenter audio; tua eruditio et uir-
tus digna eſſet inculpata ſanitate. Verum ob-
noxii ſumus innumeris malis et morbis, et
is, qui te moleſtat, minus culpandus eſt cete-
ris, quod laus illius a te ſcripta teſtatur. De-
us te ita uoluit aegrotare, cui ſemper laus, ho-
nor et gloria. Ego ut ipſe tibi medicus ſim,
(omnes enim quum ualemus ſanitate aegrotis
conſilia damus) conſulo, ligno Quaicano uta-
ris; ego uires eius expertus ſum in arthriti-
cis morbis, mihi crede, ſi decoctione illius uſus
fueris ac diaetam obſeruaueris, antea ab erudi-

Digitized by Google

to Medico corpore tuo euacuato a noxiis ſuccis, ſalutiferam habebis medicinam. Quod multa tibi occurrunt quotidie, non miror; uelim tamen paucis uti uelis, et non crebro, ut ſoles pilulis, quae mihi admodum ſuſpectae ſunt, ob multa nocumenta, quae ſumenti adferunt. Bona uictus ratione ſemper et rarenter tibi cenſeo utendum euacuatoriis medicamentis. Simplicia, quae magnam medicorum arguunt ſimplicitatem, ſcrupulos tibi mouent; non miror: et nobis, qui diurna nocturnaque manu medicos uoluimus, pauca cognita ſunt, quod culpa noſtra accidit. Legimus ſtultos auctores, poſthabito Dioſcoride, quo nullus ante eum, nec poſt eum melius de ſimplicibus ſcripſit. Cupis aliqua a me diſcere? utinam mihi eſſet tanta facultas, te doctiſſ. docendi, quanta eſt uoluntas! Ridiculum eſt Mineruam docere literas; uerum mihi moleſtum non erit, ut mihi ſcribas de iis, quae ſcire cupis; ut ego interrogem mutos magiſtros meos, et ſi quid ſcitu dignum dixerint, tibi ſcribam, non ut te doceam, ſed ut mone-
4. am. Quod honeſtam a Nurnbergenſi Senatu impetraſti miſſionem, prudenter egiſti; tuae fortunae congratulor. Conſulis iam tuo Ptolomaeo et tuis doctis libris, non ſolum natali ſolo tuo; ſed multis prouinciis, regnis et literis et literatis, quod longe ſplendidius eſt, quam inter eos uerſari, quorum prudentia ſumma nonnunquam ſumma eſt ſtultitia; non de tuis Senatoribus loquor, qui non ſolum pru-

prudentes, ſed quorum nonnulli prudentia ipſa eſſe ſibi ipſis uidentur. Seculum noſtrum feliciſſimum eſt; nam ſuperioribus longe felicius. Hebraei unicum tantummodo habuerunt ſapientem, Romani paucos, Graeci duntaxat ſeptem: at noſtra tempeſtate agminatim numerantur ſapientes. At quo me morionem rapit calamus, ut de ſapientibus diſſerere audeam, ipſe omnium ſtultiſſimus? Moria me haec ſcribere iuſſit, imperioſiſſima domina. Vale in Ieſu Chriſto et quicquid acciderit, ſalua pietate, ſemper et indeſinenter gaude, et caue quotiescunque tuos numeraueris amicos, ne meum nomen ſileas, uerum me te amantem, obſeruantem atque ſuſpicientem redama. Lipſiae, celerrime duodecima Octobr. Anno MDXXV.

IV.

Rerum multarum nomina hodie mutata. De alchymiſtis et Sophiſtis.

Salutem in Domino. Iam multo tempore nullas ad te dedi litteras, clariſſ. Bilibalde, nec tu ad me, et quamuis fortaſſis tibi uiſum fuerit, mihi incumbere ſcribendi officium; tu tamen, qui me et eloquentia et pulcherrimarum rerum cognitione longe ſuperas, debebas frequentius praeſtare, quod ego rarius facio, uel propter infantiam meam, uel ob moleſta negotia, quibus obruor, uel ob argumentorum inopiam. Miſiſti olim ad me multa rerum naturalium capita cenſenda explicandaque: numnam huic ſe-

culo et priſco in nomenclatura et uirtute earundem conueniat? occupaui quidem me, in perquirendis rebus et nominibus catalogi tui; uidetur negotium iuſtum librum ſummumque iudicium poſtulare, atque, ut ingenue ueritatem fatear, omnino ipſe tu melius haec omnia tenes, quam a me tibi poſſint denarrari, ut qui in florentiſſimo Muſarum et doctrinarum campo a pueritia uerſatus, decerpſeris tibi naturae gemmas et rerum flores, unde coronam circumfers immarceſcibilem. Sic tamen ego iudico: multas res mutaſſe nomina et ſubinde alterum pro altero nos accipere. Rectiſſime dixit uafer Poeta: cadere, renaſci pro arbitrio ſuo uocabula, atque ut ſiluae folia, ita aetatem rerum nomina mutare. Alcamiſtica ridetur a multis: ego ueros alcamiſtas puto aromatarios et monopoliſtas noſtros, qui certiſſime rerum ſpecies uertunt, ut, quod apud ueteres in uſu fuerit, iam non ſit: et nomen habemus inane, re ipſa adultera. Taceo hic ſophiſtas, garrulum ridiculumque hominum genus, qui eorum ſpurca dedecoroſa barbarie omnia corrumpunt, qui perfricta fronte honori ducunt neſcire linguas, ſine quibus doctus eſſe poteſt nemo. Ii peſtilentiſſimi nebulones corruperunt non modo Medicinam, uerum etiam ſacroſanctam theologiam; ſed de his bonorum ſtudiorum corruptoribus ſatis, digni ſiquidem non ſunt, ut de eis uerba fiant. Ceterum te magnopere rogo, ut tuam mihi ſcribas ſententiam de his tantis rerum turbis; et quam

Ger-

Germaniae calamitatem proſpicias. En! quo diſcordia duces perducit miſeros. Dum nos conflictamur ſuper Euangelio pace, interim ſcelerato bello abſtulit nobis Aſiatica et Europaea peſtis, immanis Turca, pulcherrimum, opulentiſſimum florentiſſimumque Hungariae regnum, nec uideo ubi ſe ſalus patriae oſtentet. Ad incendium procul apparens reſtinguendum non currimus, expectabundi, quoad uicinia tertia corripiatur: et uereor, ne tum nimis ſero aquam clamemus. Deus, pater coeli et terrae, det nobis pacem ſuam. Miror Eraſmum ſuum liberum arbitrium non proſecutum; aiunt, hominem Baſileam reliquiſſe: nec intelligere poſſum, quo ſeſe haec unica literatae Germaniae gloria contulerit. Tu quicquid habes communica. Vale clariſſ. et amabiliſſ. domine, et nobis literisque rectis diu ſuperſtes uiue; et me te amantem, obſeruantem ſuſpicientemque redama. Lipſiae XIII Octobris. Anno nato ſaluatore MDXXVI.

XXIII.

EPISTOLAE IOANN. STVRIONIS.

I.

Linguarum ſtudium contemni dolet.

S. Non dubito, tuam humanitatem, ob diuturnum meum erga te ſilentium, grauiter mihi ſuccenſere, id quidem non immerito; ſcio equidem quibus officiis tuae huma-

manitati, ob tanta collata in me beneficia, deuinctus ſim, ſed tempus, praeter quod nihil habemus, ueritus: ſolet enim, et id iure quidem, negligentiae ſtudioſos, atrociſſimo uultu in ius uocare, a quo nemo, niſi magno ſuo damno, abſoluitur; omnia enim ad effectum usque producit, adeoque ſui rationem habere et cupit et uult, ſed uero neceſſitas, quae omnibus cum legibus diſpenſat, eo me prouocat, ut beneficis, nulla adhibita temporis ratione, par pari referam. Quis enim adeo rudis, qui ob oculos non habeat agros fertiles, qui plus afferunt, quam acceperint. Quapropter nullum unquam periculum pro tua humanitate et dignitate fugiam; egiſti, ſcio, pro me, ut pater pro filio, geramque me, ut filium erga patrem deceat; polliceor enim talem me fore, ut patres conſcriptos id beneficii in me collocaſſe, non peniteat. Porro ſcripſit ad me Moſellanus, non multis elapſis diebus, principem ſuum Georgium ſtipendia et graecum et hebraicum abrogaſſe, perſuaſum a noſtris magiſtris tali argumento: ex linguarum cognitione, errorem omnem in mundum irrepſiſſe profeſſi; proh! Iupiter quanta dementia a Deo principes percuſſi, adeo, ut etiam abiectiſſimorum hominum ſerui facti; heu uero in id diaboli opus nemo fidelium tendit oculos, nititur enim linguarum cognitionem opprimere, quo liberius in nos ſaeuiret, haud neſcit, quantum obſtet regno ſuo linguarum cognitio. Oramus nos Deum,

Digitized by Google

um, ne tale auferat a nobis donum. Vale ex Wittenberga in die palmarum Anno MDXXIIII.

II.

Studii phyſici commendatio.

S. Conſumſi fere annum in hoc ſtudii genere, in quo ſummum rerum delectum ſentio, quem ſi diu cognitum habuiſſem, citius ad hoc me contuliſſem; quid enim iucundius humano ingenio, quam diuinam potentiam in humano corpore rebusque conditis perquiſite exacteque in proximi commodum perſcrutari; ſi id mihi aſſumo (aſſumpſi quidem, praeter omnem expectationem) uideor id iure meo quodammodo uendicare, quia uocatus ad hoc a diuino conſilio, idque eo efficiam, ut pariter et animis et corporibus prodeſſe poſſim; porro id, quod prioribus ſaeculis paucis contigiſſe uideo, ut hoc ſtudii genus latina oratione coniungerent efficerentque, laborabo ego (quantum poſſibile mihi erit) ſeorſim minime ſegregare; non enim deſunt, nec deerunt, in utraque lingua codices ad hoc ſtudium delecti; quantum uero in hoc ſtudio, Deo auxiliante, profecero, tui et aliorum erit iudicium; Ceteri autem delectati ſaltem rerum inquiſitione, alterum, dicendi ut puta genus contemnunt, id quod fere in ſingulis accidit profeſſionibus. Quid uero incommodi, praecipue huic profeſſioni inſcitia bonarum literarum eueniat, nemo eſt, ut medio-

diocriter ſaltem eruditus, qui ignorat; cauſam enim rerum non cernunt, imo earum progreſſus penitus ignorant, ut uno uerbo dicam, animum ad iudicandum dirigere neſciunt; in tua autem humanitate, ad dicendum et ad res inquirendum, quod pertinet, nihil eſt, quod deſideretur; ſcio enim quibus experimentis rerum tua humanitas ornata eſt, quorum fore me participem ſpero; Vale; me tuae commendo humanitati. Datum ex Wittenberga 22 die Ianuarii Anno a ſalute reſtituta MDXXV.

III.

Theologi negligunt bonas artes.

S. Peruenerunt ad nos in Ptolemaeum lucubrationes, a tua humanitate, ſumma induſtria atque diligentia confectae; proh! Iupiter multi loci bonarum literarum inſcitia plane iam emortui erant, lucem tuo labore denuo ſortiti ſunt. Ipſe quoque tum bonarum literarum, tum rei medicae imprimis ſtudiis non contentus, ad hoc quoque ſtudium me contuli; oportet enim, ut uidere uideor, rei medicae deditum, non parum eſſe in his exercitatum. Neſcio profecto, qua nunc dementia, tum haec, tum ceterae a diuina gratia dono datae, ab his, qui magno honore ſacras ambiunt literas, ſubuertuntur, adeo magno etiam rapiuntur ſpiritu (de quo libidinoſe gloriantur.) Quid ipſis agendum ſit, plane neſciunt, illos perſtringo (non nego) qui bonas artes et ſinceras, primis etiam labris, nunquam de-

deguſtati ſunt; Cum ergo non nihil huic dementiae ignoſcendum ſit, haec et ceterae bonae artes ab his belluis integrae illaeſaeque remanent; Lucianus quoque περὶ ἀστρολογίας, in libros qui Aſtrologiam negligunt, atrociſſimo uultu inuehitur, his etiam uerbis. Ο῎υτε γὰρ τέκτονες ἀϊδρείῃ τεκτοσύνης ἀυτῆς ἀφυίη, ὀυδὲ ἀυλητέω αμϰσϰ, μουσικῆς ἀσοφίῃ; ἀλλ' οἱμὲν ἀμαθεες τῶν τεχνέων, ἑκάστῃ δ'ἐν ἑαυτῇ σοφή; Ego autem qui de domino uerbo temere inconſultoque, nihil iacto, ſcio tamen, me omnes artes a Deo, magna beniuolentia, dono datas poſſe amplecti, ſine conſcientiae periculo, adeo ab externis liber exiſto, idque uerbo edoctus; hi autem, qui in locorum communium collationibus (in ſacris inquam literis) uerſari non ſolent, hanc proſtituunt turbam. Deus autem Opt. Max. inſanientes inſanire, magno etiam eorum damno, ſinit. Vale, me tuae humanitati commendo; ex Lypſia 15 Octob. Anno MDXXV.

IV.

Artis medicae tractandae ratio uitioſa.

S. Non credo, opt. Bilibald. bonarum literarum et artium uſum in uehementiore fuiſſe contemptu quam hoc ſaeculo. Cum nemo prope dixerim, hac noſtra aetate ueritatis inquiſitioni ſit deditus, ſed pecuniam et ciuilem potentiam, et inexplebiles uoluptatum delicias omnes eo usque ſuſpiciant, ut ſi quis ſa-

ſapientiae quoduis ſtudium ſectetur, pro inſano quaſi hunc habeant. Artes quidem eſſe autument; ceterum ad finem earum ſtudio contendendum minime cenſeant; hinc eſt, ut raro noſtri medici etiam ſuorum ſtudiorum effectum aſſequantur, ſed uno aut altero experimento contenti, Theſſali diſcipuli facti, qui artem medicam ſe ſex menſibus tradere uelle, non erubeſcebat, hodieque omnes compendiariam uolunt, minime curantes, ſi ſit falſa; ego me non ſolum falſam, ſed etiam longam ingreſſus uiam ſcio, neque tribus quatuorue annis, quod requiro me inuenturum, ſed totam uitam in ignorantia uerſari; ex hoc igitur equo Troiano proſiliunt, qui artem hanc non modo non illuſtrant, uerum etiam illam obliterant, penitusque etiam extinguunt; hinc mirari nemo debet, cur ars haec omnibus ludibrio ſit. Quid nunc glorientur δοκιμηκοὶ? nam nec arte ulla rationeue nituntur, imo unius fortunae fauore contenti. Inueniendi autem rebus logica, reſoluendi facultatem praeſtat; at quae his fidem faciant, quae recte inuenta ſunt, duo ſunt inſtrumenta: nempe ratio et experientia, cur febricitanti frigidae bibendae poteſtatem facimus, duplex accedit ratio; altera quae ortum naturam quam febris docet, ac de morborum temporibus diſſerit, tum eundem modum frigidae potionis naturam explanat; his propoſitis conamur docere, in hoc morbo atque in hoc tempore, frigidum potum congruum remedium eſſe, δοκιμηκοὶ autem de nullius harum natura ſolliciti, ad experientiam con-

confugiunt, nempe, quod in tali morbo ſaepe frigidam potionem profeciſſe uiderint, uoluntque ſibi citra demonſtrationem credi, adeoque tyranni modo imperare non uerentur; hinc elicere neceſſe eſt, oportere medicum habere perquiſitam et exactam morbi naturam cognitionemque poſſeque futura praedicere συμπτώματα; deinde medicinalem materiam, proportione exceſſus, adcommodare. Videant ergo nunc δοκιμηκοὶ: num recta conſcientia morbis ſuccurrere ualeant? haec tuae humanitati ideo ſcripſi, ut ſentires, me hanc artem, propter ſe, non lucri cauſa expetere uelle. Vale. Lipſiae aër adeo infectus eſt, ut me Wittenbergam redire oportuerit. Dat. Lipſiae XXVI Septembr. Anno MDXXVI.

XXIV.

EPISTOLAE IOANN. HVTTICHII.

Operam ſuam ſpondet in Ptolemaei libris corrigendis.

I.

S. D. Beatus Rhenanus, uir doctus et amicus integer, hanc aeſtatem egit nobiscum Argentorati. Multa mecum, ut hominis eſt ingenium, de literis et maxime Germanorum hiſtoriis contulit, caſuque neſcio quo dum bibliographos conueniremus, incidimus in labores tuos Ptolemaicos, gauiſus uterque talem nactum interpretem; moxque optare coepimus, ut quam emendatus in lucem prodiret. Ti-

mebamus nimirum, ne ſocordia bibliographi, alioqui probi et honeſti, laboribus tuis minus conſuleretur. Ipſeque Baſileam proficiſcens apud me inſtitit, ut Gruningero adeſſem onusque corrigendi, ſi qua per librarios male excepta, ſubirem. Sciret etenim, me tibi facturum rem gratiſſimam. Non potui denegare, etſi ſint etiam aliae occupationes, amico tum pio, tum docto et praecipue cum inde honori tuo nonnihil accedere, et ſtudioſis omnibus optime conſuli uideam. Proinde, ſi me potes pati, emitte labores tuos, ero caſtigator oculatiſſimus, ut emendatiſſ. exeant. Tu modo uideas, ut exemplar ſit elaboratum, et quicquid adponi uolueris, fac ſciam. Quae Ptolemaeo adnexa ſunt ultima editione Phriſii, non omnia placent. Tabulae modernae non diſplicent omnino, ſed in deſcriptionibus omnium accedat iudicium tuum. Piſcatorem tuum ad me transmiſſum Maguntiae offendi ante triennium cum ex Hiſpaniis rediiſſem. Ago tibi gratias, quod tantum apud te ualuerit nomen Huttichii; manda quodcunque etiam grauiſſimum, tui cauſſa ſubibit. Et literis et poſteritati conſulere non ceſſa. Datae Argentorati XVIII Octobris Anno Domini MDXXIIII.

II.

Succenſet librario Ptolemaeum excudenti.

S. D. Niſi amor ſingularis in te meus, et ſpes gratae quandoque poſteritatis fuiſſent, profecto deſtitiſſem a laboribus etiam

a me

a me ultro oblatis. Adeo mihi taedium inrepſit, quod uiderem magis oblectari librarium ineptis picturis, quam diligenti cura. Vixque perſuadere potui, ut aliquot exemplaria iis uacua ſineret. Inſuper a me de octauo libro, in dorſo tabularum deſcripto, ne litera quidem uiſa, non opus eſſe forte credidit corrector, uti uocant, alienis oculis. Caetera in tabulis collectitia reiecimus, et nihil praeter Ptolemaicum adeſſe placuit. Sed magis in rem ſuam arbitratus fore librarius congeſſit utcumque mutila. Alios libros omnes diligenti cura ad exemplar tuum, a quo ne latum quidem unguem diſceſſimus, perluſtrauimus; ſi uero quicquam erratum eſt, in ſcribam tuum reiice culpam, aut ſi mauis in negligentiam noſtram, quam tamen ſummo ſtudio effugere fuit animus. Praeterea ex prioribus tuis literis intellexi poſt ſeptimum librum Ptolemaei adnotationes Iohannis de Regio monte imprimendas eſſe. Putarem ego, interrumpi Ptolemaei ordinem inter ſeptimum et octauum libros labores ponere externos. Tu interim conſidera et nos quam primum admone, ſimul etiam de hoc loco Galliae Belgicae in III tabula Europae, ubi poſt Obrincam fluuium Germaniam ſuperiorem adpellat, in eaque ciuitates eſſe uult Nemetorum quidem, Neomagus et Rufiniana, deinde Vangionum Borbetomagus et Argentoratum, quem locum omnino puto eſſe deprauatum. Vangiones enim certum eſt eſſe ante Nemetes, nec Argen-

toratum ſpectare ad Vangiones , ſed ad Treboccos , et certe plura his nobis non perſpecta. Libros excuſſos perlege et ſi quod erratum eſt, ſignifica, curabimus appendicem fieri erratorum ; deinde quid fieri cogites cum indice. Scribasque Groningero , ne deſes ſit cum literis graecis , quarum opus erit in adnotationibus, quas ego adhuc uidi, faſtigiis carent. Mea diligentia non deerit. Vale et Huttichio manda et impera; tuus enim eſt,quantulus eſt, et ualetudinem tuam obſerua. Datae VII Cal. Februarii, Anno Domini MDXXV.

III.

Iterum de Ptolemaeo.

S. D. Stomachabaris haud immerito, Bilibalde doctiſſime, diſperſum per tabulas Ptolemaei librum octauum, nec mihi placuit, nec a me uiſus. Librarius negligentiae reus reconciliatus eſt ; fatetur errorem et fabuloſas picturas magis accedere ad uulgi opinionem, quam eruditorum. At modo deſine iraſci, id enim animus meus praeſagiebat ; quare interim a me curatum eſt, ut denuo excuderetur VIII liber, ſuumque haberet ordinem, quem debuit et ut uides maiore diligentia, quam in tabularum dorſo. Mittimus tibi exemplar, annotationes mox ſequentur. Carmina poſt primae editionem chartae uenerunt, ſed habebunt adhuc ſuum locum ; perplacet enim inuentio et digna legi. Appendicem, quam miſiſti, adiungemus, paucis immutatis ubi tabularum ſit mentio ; uideo enim non

pla-

placere Cobergio, nec in rem etiam eſſe Groningeri et ſuadet pietas, cum id praeſtent, quod poſſunt. Indicem adnectemus copioſum, nec antea a quocunque uiſum. Non deerit tibi labor meus, quoad omnia conficiantur. Tuus enim ſum et uale feliciter. XVII Martii, quo die a te accepi literas. Argentorari Anno Domini MDXXV.

XXV.

EPISTOLA IOANN. REVSCH.

Fugata peſte, literarum ſtudia Lipſiae reuiuiſcunt. Laudat Petr. Moſellanum, non item theologos.

S. Facit Perſianum illud (tecum habita, noſti etenim, quam ſit tibi curta ſupellex) ut rarius, quam putabam, ad te dem literas, uir humaniſſ. Nam cum ipſe mecum expendam, quanta linguam balbuties, ſtilum tarditas, ſtuporque ingenium teneat, contra uero, quanta negotiorum moles tuam excellentiam non dicam habeat, ſed pene opprimat, non potui interim, dum ſaeua peſtilitas extorres nos fecit, animum ad ſcribendum inducere. Accedit et hoc, quod literae meae ueſtro quo fato genuina quorumdam mordacitate perperam accipiuntur, quibus profecto multum me debere faterer, ſi uulpeculina mecum aſtutia non agerent, ſed me hoc ipſo magnopere conſolor, huiusmodi carptores uel potius (ut Catonis uerbo utar) uitiligatores aliis inuidendo

ſibi ipſos praecipue obeſſe. Rumpuntur enim zoilorum animi inuidia, nec quippiam in ſuae mentis penetralibus habent, quod inſtar titii non ſit corroſum, ſed ne defecatiſſimas aures tuas ulla uerborum ambage diutius teneam, neque enim eſt, quod tua expectatione dignum proferre poſſim, haec in praeſentiarum ſcripſiſſe ſatis ſit, Gymnaſium noſtrum, fugata iam tandem peſtilitate, a ſtudioſis iterum peti. Nam et ego genia, ubi in aliquo meorum numero fui, deſtituta, florentem academiam noſtram reperi, quod itidem ab aliis noſtrae farinae hominibus, factitatum eſſe, non eſt, quod dubites. Fiunt enim praelectiones in omni diſciplinarum genere, maxime in iis, quae a iunioribus magiſtris praeleguntur. Petrus Moſellanus, qui noſtrae academiae non paruum ſplendoris attulit, indiesque magis ac magis affert, graece latineque docet quam accuratiſſime. Taceo de philoſophis, qui iam ſaepius commonefacti iam tandem reſipiſcunt. De Theologis uero non eſt, quod ſcribam, cum ea ipſa ex amicorum literis, quae ad excellentiam tuam indies perferuntur, tam ſint nota, quam quae notiſſima. Haerent enim noſtrates in eo, quo diu haeſitarunt, luto. Nam tametſi quibusdam ad optima praelegenda non deſit opera; non poſſunt tamen laborando tantum aſſequi, ut lolio et auena cum tribulis extirpatis nouae ſit locus plantationi. Fit enim, ut qui linguam abſynthio habent infectam, iis, quicquid deinde

Digitized by Google

inde biberint aut ederint, abſynthium ſapiat.

De Martino uero quid ſentiant eruditi, notius eſt, quam ipſe ſcribendo conſequi poſſim. Vtinam paullo modeſtius cuncta inceptaret. Nam, quantum mihi uidetur, Eraſmus ſe propterea integrum et ſeruauit et ſeruat; Philippus quoque, cuius opera, praeter cetera, Paullinae iam epiſtolae opido quam ingenioſiſſime illuſtrantur, non uidetur per omnia in illum theologandi modum, quo ſunt hactenus uſi Martinus et Caroloſtadius, conſentire; quae ipſa ſatislibere me ſcribere ſcio, nempe qui optime compertum habeam, praeſtantiae tuae haec omnia non tam ex ſcriptis, quae pro ſe quisque in uulgus edidit, quam ex literis eorum exploratiſſima eſſe. Proinde humanitas tua hanc meam in ſcribendo libertatem boni conſulat. Dabo in poſterum maiora melioraque. Vale, Vir clariſſime. Datae raptim, Lipſiae, ex aedibus collegii principis, anno XX die Iouis ante Laetare.

XXVI.

EPISTOLA PAVLI PRACHTBECTII, V. I. LICENT.

Luciani dialogum quemdam, latine redditum, laudat. De Marſcalli (Elect. Saxon.) obitu et Eraſmi aduentu.

Liceat mihi benignitate ac indulgentia tua, Vir magnifice, ſi iniurius a te conuenien-

dus ſim, (ut ſcribis) declamare prius innocentiam meam, quod culpam, nec peccatum in te commiſerim ullum, propter quod in bellum ſit pergendum. Ego namque Reuchliniſta, tecum omne ſubeundo periculum, pedem iam dudum fixi, nec hac ſub rabie barbara theologaſtrica unquam uerſatus, quum a prima aetate mea nil cum ipſis uel commercii uel conſuetudinis habuerim. Nec quoque a te exigo, ut ſemper meis et ſtatim cum uenerint, reſpondeas literis; ſed, ſi feci, ignoſce, tamen hoc oro, cum publicis occupationibus liberior fueris, tuis me affari literis non dedigneris, quoniam illas cum uoluptate lego, et non tantum has tuas legi; uerum ſic legi et relegi Bilibaldum in Luciano et Lucianum in Bilibaldo, ut ſubdubitem pene, ſitne praeferendus alter alteri. Tanta certe, mi Bilibalde indulgentiſſime, ſum oppletus iucunditate dato illo Luciani dialogo. Auxit namque deſiderium, Bilibaldi noſtri legere uenam latiniſſimamque eius translationem. Mallem omni menſe aliquid tui operis ad me ut uolitaret, etc. Vale et uiue. Comitis de Neuenar literas ardentes uehementesque, quarum exemplar ad me dediſti, in archiuum meum auri loco depoſui. Iterum uale, ex Fryburgio 1518, nonis Auguſti.

De aduerſario tuo quod Nurmbergenſibus conciliatus, et cuius inſtigatione, ſcribendum nunc non eſt, ſed cum coram eſſem, aliquid referre haberem; non tamen ambigo, quin

in

ſin contumaciam nebulonis apud ueſtrates antidota reperiantur. Vellem, ad ſpatium horae unius te affari poſſem. Marſcallus noſter primarius pater patriae doctorumque uirorum amator ſingularis, mihi ſecretiſſimus patronus et amicus uita defunctus, cuius obitu tota res publica noſtra inuerſa eſt. Sapienti pauca. Eraſmus quod ad te uenturus eſt, gratulor utrisque, ſi habituri laetum eſtis conuentum. Lipſicam tamen academiam an petat, an non, nec conſulo, nec diſſuadeo, cum ibi ſuae diſciplinae pauci ſint theologi, ſuam fouentes partem, quin uel barbariei, uel Ortuino Colonienſi, Fraſcis et illorum fraterculis adhaereant; iuniores tamen, qui iam aliquot ſunt annis plantati neoterici, Eraſmum illuc uenturum honore exciperent, colerent, adorarent. De ceteris dubito. Tu ipſe igitur, quid faciundum, taxabis. Iterum uale, uir excellentiſſime. Datum ut ſupra.

XXVII.

EPISTOLAE GEORG. SPALATINI,

I.

Moleſte fert Bilibaldi ſilentium. Optat, ut ſcholae poeticae Noriberg. praeficiatur.

Saluus eſto, mi humaniſſime Bilibalde, perfidia fit tabellariorum, ut totum iam annum nihil ad te ſcripſerim, et item fortaſſe, ut

ut nihil hactenus abs te literarum acceperim, multis fruſtra miſſis epiſtolis. Neque enim ſcire licet, an meas reddiderint, quibus eas dedi, dum nihil iſthinc ad me nomine tuo uel epiſtolarum, uel ſalutis, quadriennio hoc uenit. Carneadem me aut Heraclitum diceres; tam grauis, tam moleſta mihi eſt taciturnitas tua, tam triſtem me facit ἡ ἐχεμυθια eloquentiſſimi mei Bircameri. Tune ſoli ſis Spalatino tuae gloriae, ſalutis, dignitatis cupidiſſimo ſtudioſiſſimoque ὁ βατραχος σεριφιος? ceteris nedum patriae et ciuibus ueluti alter Demoſthenes. Sola enim fama celebritatis tuae et ſalutis ſperantem et ueluti ſemianimem clientulum tuum recreat. Fit enim interim, ut incidens municipes tuos fauſtiſſima et laetiſſima audiam. Sed neſcio quomodo fere ad me non redeant, qui iſthuc proficiſcuntur. Habes igitur epiſtolam anno ſuperiore ſcriptam et adhuc in mea ſupellectile literaria retentam, quod non eſſet, cui ita darem, ut referret reſponſum tuum, quo nihil mihi poteſt eſſe laetius, nihil gratius. Verum utcunque ſit, te facturum ſpero, ut aliquando ſcholae poeticae in urbe iſta praeficiar. Vale, et me dilige tui amantiſſimum. Raptiſſime ex Valle Georgiana VII Kalend. Septembris MDVIII.

II.

De Cyri hiſtoria et Xenophonte.

Dei gratiam et pacem. Non fefellit me tuum de hiſtoria Cyri tui, contra fratrem

trem Artaxerſen mouentis, iudicium. Sic enim mihi legenti placuit, ſic placet recordanti, ut nihil ſupra. Ergo tibi remitto, quatenus mihi commodaſti, utinam propediem abſoluendam. Interea ſicut gratias tibi pro Cyro iam habeo; ita oro, ut παραλειπομενα quoque Xenophontis, auctore te uerſa, mihi legenda transmittas.

Mirum enim, quanto me beneficio affeceris, ſi hoc petenti praeſtiteris. Bene uale cum tuis omnibus, mi amantiſſime patrone, poſtridie quinquageſim. MDXXIIII.

Remitto tibi etiam medicinae libros nondum conglutinatos, non ſine gratiarum actione; nam herbarium retinui, ipſum quoque Deo iuuante, ſartum tectum ad te rediturum. Si ita libet, remitte mihi Phil. Melanchton. et Ionae Pp. literas ad me, tibi nuper miſſas.

III.

De Lutheri libello ad ordinem Germanicum. Mareſcalcus Electoris Bilibaldi ſtudioſus.

Dei gratiam et pacem. Libros tibi tuos, patrone cariſſime, remitto, gratiam tribuens plurimam pro tam egregia beneuolentia. Iunxi redeuntibus ut concionem, ita libellum ad ordinem germanicum Lutheri, pro tua occaſione legendum et remittendum mihi, una cum cantionibus ſacris pro eccleſia conditis. Si quid enim aliud tuis auribus dignum ad me uenerit, ne ipſum quidem negabitur tibi. Veniam aliquando, Deo iuuante, for-

fortaſſis ſtipatus principis noſtri Electoris Marſcalco, tui ſtudioſiſſimo, tantum ne inuitum, ne occupatum praeſentia et aduentu noſtro offendamus.

Interea in Domino cum tuis omnibus feliciter uale. Curſim fer. III poſt diem S. Antonii MDXXIIII.

IV.

Deſiderat reſponſionem alteram ad Oecolampadium.

Dei gratiam et pacem in Chriſto. Ego uero, doctiſſime patrone, B. Bircamere, tibi plurimam habeo gratiam, non ſolum, quod aliquando me dignatus es ſalutatione, Vincilao Linco, doctore interprete per literas, ſed etiam, quod ſemel atque iterum prophetaſtris ſacramentariis, plane impiis literarum fidei doctoribus, libellis et piis et eruditis reſponderis; uerum hoc me uehementer torquet, mihi hactenus, ne aere quidem meo contigiſſe reſponſionem tuam, ad Oecolampadii conuitia ſecundam. Quare ſi absque tuo incommodo fieri poterit, cura, quaeſo, ut per doctorem Vincilaum abs te accipiam exemplar, mihi gratiſſimum futurum. Bene uale cum tota Nurmberga, tui Spalatini mariti non minus memor, quam olim caelibis. Curſim. Die prima. Aprilis MDXXVII.

V.

V.

De matrimonio ſuo.

Dei gratiam et pacem in Chriſto. Ego remitto tum literas tuas, tum libellum tuum; alteram ad Oecolampadium reſponſionem, Bilibalde patrone amantiſſime, obuiis, quod dicitur, manibus accepi. Quo nomine etiam, ut debeo, tibi gratias ago maximas, paratus ſi unquam uiciſſim meam teſtari poſſim gratitudinem, pro uiribus, Deo auctore, fortiter facturus. Interim certe animum meum tibi ſic habes obnoxium, ut quem maxime, et quidem tuis tibi meritis.

Praeterea quod de meo tibi matrimonio ſcripſi, nihil minus quam hinc natum eſt, ut te ſuſpectum haberem, tanquam parum fauentem ſacrorum matrimonio, ſed quod tamdiu erga me taceres, ſolitus olim clientem ſalutare.

Quod igitur te offendi, uideo parum defecatis moribus eorum, qui rerum pene in ſacris potiuntur docendo, clamando, profitendo pro concione Chriſtum, mirum in modum mihi aegre eſt; tantum abeſt, ut cum ipſis ſentiam. Quid multa? modis omnibus miſeri ſumus, niſi Domino ſeruante et retinente carnis noſtrae licentiam et malitiam non ſolum plane effrenatam, ſed etiam prorſus, niſi ſpiritu Dei reuelante, incognitam. Equidem tuus ſum et ero, Deo uolente, quantuluscunque ſum, tu tantum mei ſtudioſus eſſe

ne

ne deſinas. De te enim, ut ſemper bene, etiam num ſpero. Bene uale cum tota domo tua, tui memor Spalatini. Dominica Mia Dni. MDXXVII.

VI.

De Gregorii Nazianz. libris.

Dei gratiam et pacem per Chriſtum. Impeditus tum principis feſtinata abitione, tum amicorum et propinquorum confabulationibus, nonnihil etiam ſcribendis literis, mi clariſſ. Patrone, remitto tuae praeſtantiae uitam Gregorii Nazianzeni a te recens latine redditam, quae ſane mihi, quatenus excutere potui occupatus, tot modis tam grata eſt, ut uideatur etiam ad eruditorum et piorum omnium palatum probe factura. Et recte. Cui enim, niſi plane ἀμυσωτέρῳ tam pia, tam erudita non placeant. Vtinam igitur mihi contingat haec omnia habere, praeſertim tantopere abs te laudatas orationes eius in Iulianum, et Φιλοπτωχίαν. Optime uale in Domino cum tuis omnibus et in me diligendo perge. Deus ſit cum ſpiritu et tuo et totius domus tuae. Amen. V. poſt Marc. MDXXX.

XXVIII.

EPISTOLAE BENEDICTI CHELIDONII.

Enco-

Digitized by Google

Enconomium Bilibaldi.

I.

Vuilbaldo Pirchamero , Senatoriae dignitatis Viro, latine graeceque doctiſſimo Bened. Chelidonius.

Omnigenum Sophiae rerum Vuildbalde diſerte
Pirchamer, et titulis inſuper aucte tribus:
Nobilis Orator, noſtrasque uerende Senator,
Militis et nuper ductor in Heluetios.
Nunc equidem optarem dignam de more ſalutem,
Ni ſors ante tibi iuſta dediſſet eam;
Quippe domus fortuna tuae ſtat munere fati,
Stetque diu, quae iam tempora multa ſtetit;
Iſthaec Muſarum ſtudio celebrata, peritis
Semper et ingeniis nobilitata fuit.
Dotes ipſa ſuas Rhamnuſia contulit iſthuc
Cuſtoditque uigil teque tuosque Lares,
Eſt morata tibi ſoboles, imitata parentem.
Moratum, auſpiciis orta propago tuis,
Ornatosque tuos ornatior ipſe penates
Exornas, curis deditus ingenuis.
Codicibus lectis hebraeis atque latinis,
Nec non et graecis diues et aſſyriis,
Atria quin medius uariato Stemmate compta
Ipſe tenet Phoebus, praeſidet atque foco.
Phoebus honore comae lauroque lyraque decorus
Et tuus, et diuum cantor et aedituus,
Excipit intrantes docti modulamine plectri,
Quos nouit ſtudiis inuigilare tuis,

Im-

Imprimis tua graeciloquos uernacula quosque
Attica Calliope ſuſcipit hoſpitio,
Et ſuus eſt Latiis honor iſtic forſan et aequus,
Aeque nam ſtudiis hoſpes utrisque uales.
Nam me degenerem quoque, ſolo nomine uatem
Omnino expertem Gaecropiaeque Scolae,
Me fortunatum docto tibi iunxit amicum,
Gaudentem docto complacuiſſe tibi.
O te longaeuo producant ſtamine Parcae
Felicemque canat pulcher Apollo tuus.
Sic etenim doctae Parnaſſides hoſpite ſaluo
Viuent, tutaque te ſtante poeſis erit.

Quod libellos mihi a te conceſſos tardius remitto, fecerunt collectaneae antiquitatum, ex quibus, more meo, ſum enim talium fur maximus, non nihil excerpſi. Furto des ueniam, Vir optime. Lucianum interea, perlegens uexatorem, Craſſo illi riſum qui forte mouiſſet. In Larazellio tuo prope umbilicum inueni hunc uerſum:

Interea Hermoleus tanto laetatus honore,

In quo ſum tandem factus certior, de illo uerſu:

Nicoleos pater alme tuis ſis doctor alumnis etc. Vale. Translationem tuam etiam expectamus.

En! modo ſe renouat uenientis ianitor anni
Ianus, et ex ſe ſe naſcitur ipſe nouus.
Ille tibi obuertat frontem, Vuildbalde, ſecundam,
Te dignoque uiro tempora digna rotet.

II.

Commendat D. Leonhardum. Stabium uult ſalutatum.

S. Epiſtolam tuam, quorundam iuuenum commendationem continentem, nuper laete ſuſcepi, Wilibalde, Senator optime, quos in meam curam, quantum potero, ſuſcipiam ſemper; in qua quidem tua epiſtola ueterem in me amicitiam abunde intellexi. Quod de homuncione illo memoras, iampridem coram expertus ſum; unde inter nos ut nominetur, indignus mihi cenſetur. Barbarus eſt et literarum hoſtis. Scio, te maximis reipublicae curis diſtrahi, et miror admodum, te inter eas non nihil tamen ſemper in literarum negotiis cudere docto dignum. Premor et ego, ſed reſpectu tuarum occupationum ueluti umbra, et bonorum ſtudiorum in dies fio alienior. Translationes tuas expecto uehementer; expectant et alii plerique, quibus ſponſionem tuam in tuis oſtendi literis. Doctorem Leonardum theologum, ciuem noſtrum, nuper hic honores ſuos adeptum, tuae humanitati commendo; uir bonus eſt, et ſuorum ſtudiorum peruigil. Legati noſtri, quos in Hiſpaniam miſimus, male habent; nam alii mortui ſunt, et multi aduerſa ualetudine Neapoli laborant: unde mihi gratulor ipſi, quod domi manere permiſſus ſum. Prouincia noſtra plena nunc eſt latronibus, peiora formido futura. Faxit Deus, mentiar. Tu optime

Digitized by Google

uale, meque, ut ſoles, conſueta proſequere amicitia. Datum Viennae ad Scotos, die proxima poſt animarum 1519.

De Stabio quomodo ualeat, et ubi terrarum ſit, incertus ſum; nam nunc illic fertur eſſe, nunc alibi, atque infirmitatibus neſcio quibus uexari. Vbi illi ſcripſeris, rogo meas ſalutes epiſtolae tuae inſeras.

III.

Judicium Bilibaldi de uerſibus quibusdam rogat.

At nondum clari Marathones et Eurymedontes
Deſunt, nec pulchrum nos deficit Arthemiſaeum,
Caecropidum pubes ubi libertatis adepta eſt
Victrices crepidas.

S. P. Quod librum tuum tardius transſcribam, Vir doctiſſime, facit frigus iſtud incidens, quod me in cella ſcribere non ſinit, neque ſoleo in conclaui publico meis uacare ſtudiis. Abſoluam, patientiam habe, propediem, quarta fere pars operis reſtat, quae ſex forſan diebus complebitur. Nam ea, quae facio in literariis rebus, horis perficio ſucciſiuis. Verſus ſupra ſcriptos lege, diſſolue, muta, ut placet; duo uocabula mihi incerta ſunt. Marathones, cuius ultimam poſui breuem, ſecundum regulam, qua aſſeritur, graeca pleraque pluratiua eſſe breuia, ſi in *es* finiantur. Alterum eſt Arthemiſaeum, cuius penultima, niſi fuerit longa, uerſum heroi-

heroicum non intrat. Legi tamen apud Piladem quendam hoc carmen: Arthaemiſaeus item etc. Vale.

XXIX.

EPISTOLAE IO. STABII.

I.

Laudat Bilib. libellos. Ioach. Vadianus medicinae doctor creatur. Iac. Spiegel. operam ſuam offert.

Spectabilis et clariſſ. Dom. Libellos ueſtros quibusdam ex ſodalitio politiorum literarum obtuli, qui quanta hilaritate et laetitia legerint, uix dicibile eſt. Afflarunt riſum et iocunditatem Bacchus et nox, in quorum praeſentia haec lectio celebrabatur, et, quod in conuiuiis rarum eſt, conticuere omnes intentique ora tenebant atque uni Ioachimo Vadiano legenti auſcultabant, qui in poſterum diem inſignia Doctoralia in medicina ſuſcepit, nec tamen illa ſolicitudine ab hac lectione temperare potuit; omnes pleno ore et ingenium, raram inuentionem et locos artificioſe accommodatos laudabant. In primis Iacobus Spiegel. Caeſ. a ſecretis gratias agit pro exemplari ſibi miſſo operamque ſuam, ſi D. V. ea uti uoluerit, promtam offert. De his, quae apud nos geruntur nihil certi ſcribere poſſum. Inueni Caeſarem Viennae, ſecutus ſum ſuam maieſtatem in nouam ciuitatem; rumor eſt, eam

 in

in Auſtria permanſuram, donec intelligat, quorſum Hungarorum ac Bohemorum motus inclinent, quod et ego coniecturis quibusdam ita futurum eſſe reor. Commendo me D. V. ſemper ad uota paratus. Ex noua ciuitate 14 Nouembr. anno etc. 17.

II.

Conſultatio de bello Turcico.

Magnifico Dom. Pirkhaimer Ioann. Stabius felicitatem. Vt uos ſuperioribus literis meis certiores facerem de rebus, quae nunc aguntur et concipiuntur, orſus ſum hiſtoriam de Turcis, quam propterea, quod tunc ad Caeſarem uocabar, imperfectam reliqui, de qua hic aliquid ſubiiciam. Summus Pontifex omnium Chriſtianorum regum oratores uocauit, id eſt, ſcripſit illis, ut oratores ſuos ad eum mitterent, propoſuit conſultationem acerrimam, bellum ſumendi contra Turcos, dedit negotium quibusdam cardinalibus, curarent diligenter, quo modo iſta ſanctiſſima expeditio ſuſcipi, interteneri et terminari poſſet. Iſti fecerunt quandam conſultationem in genere deliberatiuo, quibus ſumtibus, quibus armis, quibus uictualibus et quibus capitaneis potiſſimum ad laudabilem finem perduci poſſet; illius copiam pontifex Imperatori transmiſit, ut ipſe ſupremus Chriſtianitatis princeps diligenter reuideret et exanimaret et ut bellorum expertiſſimus et aliorum regum ſenior corrigeret, adderet uel minueret, quod Caeſar

ſar et proprio labore et conſiliariorum ſumma deliberatione fecit, et nunc poſta expeditur, quae ſua conſilia pontifici reportat. Capitula aliqua, quae ſcire potui, ex pontificis deliberatione ſunt iſta: pro iſto bello tres propoſiti ſunt anni, in primo, id eſt, praeſenti 18 pararentur pecuniae, nerui bellorum et alii ſumtus ad bellum neceſſarii, ad quod ſacerdotes deberent dare decimas, laici uero, qui reditus habent, uigeſimas, quid famuli et famulae reliquumque pauperum uulgus, memoria mihi excidit. Item fient ſupplicationes et proceſſiones deuotiſſimae ad placandam iram Dei, qui Turcis tantam uictoriam conceſſit, ut ſepulchrum ſuum cum tot regnis acquiſiuerint. Item aperientur theſauri eccleſiae, detur cruciata largiſſima remiſſionis omnium peccatorum porrigentibus liberales adiutrices manus ad tam pium opus. Item componetur pax firmiſſima, uel, ubi fieri non poteſt, ſaltem induciae in ſex annos inter omnes Chriſtianos principes, potentatus et ſtatus, qui rebellis extiterit, ac parere noluerit diris execrationibus perpetui anathematis cum banno imperiali ſubiacebit. Item conquirentur ex iſta pecunia XII uel XVIII milliones auri, qui pro iſta expeditione creduntur ſufficere; modum colligendi autem intelligetis, cum res ipſa reipublicae ueſtrae innotuerit. Item pro iſta pecunia conducentur equites Galli et Langobardi, pedites, *Lanzknecht*, Svviceri et Bohemi, fiet exercitus ducentorum millium hominum, item erit ſumma

Q 3 ma

ma cura prouidendi exercitibus commeatum per uiros bonos et prouidos mercatores; modum autem quo iſta fiant, aliquando omnem latius ex ſcriptis magnorum principum intelligetis. Item ſecundum Papae conſilium rex Angliae, Scotiae, Daciae, Portugalliae, Flamengi, pars Galliae Maſſilienſis et Ianua et Veneti claſſem in mari fortiſſimam ponent, atque in omni loco armis et commeatu iuuabunt terreſtrem exercitum; Imperator et rex Gallorum erunt duces terreſtris exercitus. Multa alia ſunt in capitulis, quae uel non recte percepi, uel obliuio ſuſtulit, uel quae cito intelligetis poſt illa. Hoc unum uos latere nolo, quod omnes Chriſtianos reges ad hoc negotium ualde bene diſpoſitos uideo, et quod certam et indubitatam inter eos habituri ſumus pacem in fauorem illius expeditionis. Haec ideo libentius uobis ſcribo, ut cum ſedulo in genere deliberatiuo uos exerceatis, habeatis materiam noſtri ſaeculi et temporis praegnantiſſimam, in qua multa et utiliter et docte diſputare et pro communi Chriſtianitatis utilitate adinuenire et exquirere poteritis. Item credo, iſta noua apud uos praeterita nunc eſſe, et ex mercatoribus longe exactius omnia audiuiſſe. Scripſi iſta nedum currente, ſed uolante penna, more obſcurorum uirorum; nolite ea irridere, ſin ſecus, talibus obſcuris epiſtolis carebitis, ſi iſta apud uos manifeſtiſſima non ſunt, communicetis ea Domino noſtro praepoſito, cui me plurimum com-

commendabitis. Si qua magna poſt illa apud nos fient, uos participes faciam. Valete. ex Linz ultima Decembris anno 18.

Oblitus fui ſcribere cauſam, quae noſtros principes contra Turcum ita inflammat. Turcus poſt illam uictorioſiſſimam uictoriam habitam contra Soldanum miſit quendam Baſcha, quem appellant, Barbaroſſam, qui expugnauit regem Tunes, obſedit regem Trameſentiae et propter magnum nomen Turci quaſi omnes Mauri usque regnum Phes defecerunt, ſequentes uictoris fortunam et auram popularem, quae omnia in maius, ut noſtis, extollit. Haec facta ſunt menſe Octobre, et Marchio Orani ex Africa ſcripſit imperatori, et ſubegit quosdam regulos, qui prius perſoluerunt regi Hiſpaniarum XXIV millia ducatorum.

XXX.

EPISTOLA VINCENTII OBSOPOEI.

Rogat Bilib. ſententiam de ſua Homeri uerſione.

I.

Ecce! iterum nugas, uir clariſſ. ſed quid aliud aeque facerem ego, quam nugarer, homo rebus ſeriis minime appoſitus. Primum Homeri libellum a me uerſum uides, eum tuae cenſurae ſubiicio, ut tuo iudicio ſtet aut cadat. Si uideor hoc parum tempeſtiue facere, cogites uelim, eo tua cohortatione me impulſum eſſe. Iam magno emerim aliqua ex parte

ſaltem mea, tibi probari uni omnium literatiſſimo. Cui ſi placuero, fieri non poteſt, ut aliis diſpliceam. Scio, quantum tuo iudicio apud doctos omnes auctoritatis obtineas, apud me certe, non quia ita te amo, quem tamen ſumme omnium et amo et ueneror, ſed propter eruditionem tuam et raram et ſingularem, tuum iudicium nihil non ualet et poteſt. Oro ergo tuam humanitatem, ut hosce meos uerſiculos, ubi per negotia tua tibi licuerit, obiter perluſtres, in quibus etſi nihil eſt, quod Homericam maieſtatem referat aut redoleat, ὀυ μὲν ἀλλὰ καὶ τογε ἐγχέιρημα καλῶς ἔχειν, qui tuus eſt candor, haud dubie teſtaberis. Vale, uir clariſſ.

XXXI.

EPISTOLA IO. LANGI, AVGVSTINIANI.

Diſputationem Lipſienſ. mittit Bilibaldo, eique ſacrarum literarum ſtudium commendat.

Τὸ χαίρειν ἐν τῷ χρῷ. Lipſicam illam diſceptationem, doctiſſime Bilibalde, ad tuam humanitatem mitto, quo tu quoque pro tua genuina prudentia iudices, quis horum trium pugilum ſacris ſit propior. Me non praeterit, quam ſis tu ſacrarum etiam literarum ſtudioſus, quinimo doctus quoque. Turpe foret erudito homini, legem Dei doctrinamque ſui ſeruatoris ignorare, qui tam multa etiam hominum ſcita uel de imbricibus diligen-

ligenter ediſcit, parui lucelli gratia. Valeat tua humanitas in Chriſto ſeruatore communi, ἄκυσα. Erphurdiae die diuo Thomae ſacro a. MDXVIIII.

XXXII.

EPISTOLA MICHAEL. DE KADENN, SYNDICI NORIBERG.

Differit de negotiis ſuis; item de tribus libris caerimoniarum.

I.

Meum fuit et adhuc eſt ſemper, pater et Patrone cariſſime, ueſtrae deſeruire dignitati, propter quod ſtudui ſummo affectu rei mihi commiſſae Dom. Andreae Kunhofero enarrare effectum omnem, cum inde opera uſus eſt ſollicitando in dies, quo modo et meliori res noſtra fieri poſſit. Retulit enim is intentum dignitatis ueſtrae opportunius perfici non poſſe, quam per ſupplicationem ad ſummum pontificem ſub forma confeſſionalis cuiusdam praeſentandam ſignandamque; hoc etiam mihi placuit. Videbimus igitur duo, dignitatis ueſtrae uoluntati ſatisfaciamus. De antiquitatibus ſuis mirabilibus Romae dubium non eſt, quin etiam habeamus; ſub manu etenim impreſſoris adhuc usque ſunt, ſed ſpero antequam dies Martii XV appareat, opus hoc et graece et latine ſummopere fore elucubratum, Ceterum noui quicquam reperi,

Q ri,

ri, tres libros cerimoniarum ſcilicet Romanorum ſacerdotum dolis et aſtutiis pleniſſimos, quamuis etiam ſummus pontifex ſub poena excommunicationis prohibuerit, nemini hoſce libellos accommodari. Attamen Dom. Marcellus, bibliopola Romanus, amicus meus ſingulariſſimus, fidem dedit, ſeſe comparaturum et mihi clanculum, pro pretio licito, ſubminiſtrare uelle, ac ſi quid boni, digni doctique Romae inueniam, ob honorem dignitatis ueſtrae hoc ipſum ſacculo meo immittam, ac Nurbergam conferam. His bene ualeant dignitas et praeſtantia ueſtra totaque Domus Pirckameri. Ex urbe 3 Martii anno 1520.

XXXIII.

EPISTOLA V. VARNBVLERI PROTONOT.

Commendat Pirckheimero D. Caſpar. Martt. Syndicum in iudicio Camer. imp.

I.

St. Pl. Viſo tabellario Norico ad te amicum et neceſſarium praecipuum duo occurrerunt ſcribenda; unum, ut, licet tardius, tibi gratias agerem ob Plutarchum dono miſſum, qui cum a te, uiro omnium facile humaniſſimo ac fido interprete peregre adueniſſet, merito ſumma gratitudine a me acceptus eſt, quem ego uiris bonis ac doctis legendum porrexi, mihi non parum blandiendo,

Digitized by Google

do, quod tu uirorum conſummatiſſimus eo mihi eſſes fauore iunctus, ut aliquando amicitia me amplecti te non pigeret; quapropter me tibi plura debere fateor ingenue. Reliquum eſt, cum Doctor Petrus Kirſer, qui aduocatus et procurator ſpecialisque ſyndicus ueſtrae Reipublicae in Imperialis Camerae conſiſtorio aliquandiu fuit, propediem (ut fama eſt ipſeque fatetur) omnibus cauſis ſe exonerare, a dictoque Conſiſtorio omnino diſcedere intendat, procuratorem ſeu ſyndicum a Senatu ueſtro rurſum eligendum, qui in officio loco dicti Kirſers ſuccedat, doctore Gaſpar Martt aptiorem ſcio neminem, cum modo inter procuratores dicti Conſiſtorii inter primarios primus reputetur, impenſeque ſit doctus, ac uigilantiſſimus cauſarum patronus. Accedit, quod inter omnes praefati conſiſtorii doctores ſeu procuratores unus uix exiſtat, qui non aliquando contra rempublicam ueſtram partes defenderit ſententiasque eiusdem impugnauerit; Gaſpar uero praefatus ſumma animaduerſatione cauſas et partes uobis ac ueſtris ſententiis aduerſantes fouere ſemper renuit, et nunquam illis hactenus aliquo procurationis patrocinio adſtrictus fuit, uerum cauſas aliquorum appellatorum, qui poſt ſententias a uobis latas, forſan plus aequo moleſtantur, exactiſſima diligentia tuetur. Quapropter ipſum doctorem Gaſpar in hoc negotio omnibus ſui ordinis praeferendum cenſeo, quem etiam tibi (aliis tuis compatriciis gratum et acceptum facere) unice commendo,

do, adeo ut te duce, dicti Syndicatus prouinciam aſſequi poſſit. Experieris enim tibi, tuis, Reipublicaeque ueſtrae ita optime conſultum. Haec tibi beneuolo ac familiari animo (quo tibi Reipublicaeque Noricae ſemper deuinctus ſum) ſcripſi, ne forſan ſiniſtra aliqua machinatione quis alius minus idoneus huic muneri praeficiatur. Vale, decus Noricorum, et iterum cum amiciſſimo Alberto meo Thürer uale. Datum Maguncia Ipſis id. Februarii Anno MDXV.

XXXIV.

EPISTOLA P. STAHEL. D.

De Iudaeorum foenere uetito.

Dom. Wilibaldo Pirckhamer, uiro conſulari Nurembergenſ.

Iudaei peccant exercendo uſuras etiam contra Chriſtianos, ut prohibetur in c. poſt miſerabilem de uſur. Et quamuis ipſi putent oppoſitum per id, quod habetur Deuter. XXIII c. ubi dicitur: fratri tuo non feneraberis, ſed alieno etc. quia dicunt, quod contra gentes alterius fidei liceat eis fenerari, ad idem ſit textus opp. in c. ab illo XIV, qu. IV, ubi dicitur, quod contra hoſtes poſſimus licite exercere uſuram, cum licite poſſumus aduerſus eos gladio militare etc. Sed certe Iudaei ex hoc non excuſantur a peccato, exercendo uſuras contra Chriſtianos, primo per id, quod ha-

habetur Deuter. XXVIII c. ubi dicitur; fenerabis gentibus multis et ipſe a nullo fenus accipies, et additur ibi: aduena fenerabit tibi et tu non fenerabis ei. Et dicit propheta: ille habitabit in tabernaculo tuo, qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, et ſic lex antiqua indiſtincte prohibet uſuram. Nec ob. prima auctoritas, quia illa non facit, niſi per contrarium ſenſum, et arg. a contrario ſenſu non ualet, ubi contrarium eſt alibi expreſſum, ut in c. a nobis II de ſen. exc. Nec ob. ſecunda de hoſte, quia chriſtiani non ſunt hoſtes Iudaeis, quia eos tolerant ex humanitate, ut in c. etſi Iudaeos deinde etc. ergo Iudaei peccant exercentes uſuras contra chriſtianos. Ita dicit et tenet Ab. Sic. et communiter doct. in c. poſt miſerabilem de uſ. Idem tenet Io. de Ana in c. I col. ult. et in c. conqueſtus in ult. col. de uſ. ubi in d. c. I iate dat alias nobiles ſolutiones ad d. c. ab illo, ubi habetur, quod merito poſſis habere uſuras ab illo, cui iure nocere deſideras. Et qualis fuit permiſſio ſecundum b. Thom. in lege antiqua moſaica accipiendi uſuras a gentibus, ſicut fuit permiſſio libelli repudii et alias ponit ſolutiones bonas ſecundum theologos, ut ibid. et tandem reſidet cum opinione communi, quod in nullo caſu uſura ſit permiſſa. Et in d. c. conqueſtus col. ult. diſputat contra malam, imo friuolam opinionem Iudaeorum Laur. de Rudolfis et etiam ualentem theologum M. Greg. de Arimino et plures alios, ut ibi, quos reſcribe-

ſcribe-

ſcribere iurisconſulto forte eſſet non minus taediosum, quam laborioſum. Idem contra Iudaeos tenet Car. Flor. in cl. I de uſ. qu. XIX, ubi ad propoſitum eſt etiam uidenda qu. XI et XIII. Haec ſuccincte uolui magis pro honore, quam lucro capitis uituli ſcripſiſſe ad dom. meum merito uenerandum. Data bona uenia.

XXXV.

EPISTOLA WOLF. PLICK D. ERFORD. SYND.

Sciſcitatur, quid reſpublica Noriberg. de ſacris reformandis decreuerit.

S. P. D. Vir praeclariſſime, promotor ac fautor optime. Quamuis ueſtrae Excellentiae minus cognitus ſim; cogit tamen me amor quem ad doctos omnes gero, licet indoctus ſim, ad Excellentiam ueſtram ſcribere. Inſuper reipublicae Erfordianae neceſſitas poſtulat, ut praeſenti tempore omnia bono conſilio agantur, et ut ſe policia noſtra ueſtrae tanquam praecipuae et prudentiſſimae conformet; quare obnixiſſime rogo, quantum liceat ueſtrae Excellentiae, manifeſtare et ſcribere, me literis certiorem reddat, quo in ſtatu omnia Nurmbergae gubernantur. Primum: an Imperatoria maieſtas etiam mandatum nouum conſulatui ueſtro inſinuari fecerit, ut Lutheranam doctrinam abiiciant et praedicatores a Lutheri doctrina deſiſtere nolentes ciui-

tate

tate propellant, reliquos huiusmodi doctrinae inhaerentes, ut ab eorum propoſito deſiſtant, pie informent. Secundum: an Conſulatus denuo ceremonias Romanae eccleſiae celebrare cum miſſis, ueſperis et aliis officiis diuinis permittat et ſeorſim: an monachos et monachas in monaſteriis eorum, prout antiquitus, cum eorum apparatu habitare permittat ſeu aliquid de eisdem immutatum iterum antiquum progreſſum habere patiatur. Tertium: an cor Romani imperii, ut puto, foederati ſeu conuentio Sueuorum ſint in armis, ſeu ad bellicum exercitum parati. Et ubinam iſtius cordialis conuentionis conſiliarii modo inueniendi ſint. Demum: quo tendat eorum inſtructus exercitus. Iſtius inquiſitionis ineptae taedere nolit, uerum, quantum licet, et Excellentiae ueſtrae conſtat, me certificare, quod et Excellentiae ueſtrae in ſingularem laudem et gloriam tribuam, et quantum in me erit, umquam gratias agam, et ſi dabitur, referre ſtudebo. Datae Erfordiae Anno Milleſimo quingenteſimo uiceſimo octauo. In octauo Februarii.

XXXVI.

EPISTOLAE LAVRENTII BEHAIM, CANONICI BAMBERGENS.

I.

De auctoribus epiſtolarum obſcurorum uirorum.

1517. April. 27.

Salutem. Percepi literas tuas una cum iudicio M. Ortwini. Gratias ago magni-

gnificas. Illud iudicium, quod nobis monſtrauit D. Stabius longe excellentius, lepidius argutiusque uidetur. Vellem, ut inprimeretur. Eſt hic D. Iacobus Fuchs, frater Decani, uir doctus et elegans, qui totus eſt Reuchliniſta. Is mirabiliter delectatur lectione harum materiarum contra theologiſtas factarum. Eſt optimus amicus meus et intimus Vlrici Hutteni. Credo etiam, ipſum non nullas compoſuiſſe epiſtolas obſcurorum uirorum, uel ſaltem non abfuiſſe longe. dum nonnullae illarum ſunt compoſitae. Ipſe ſemper mihi communicat noua de hac materia, quando ea habet. Ego literis proximis ſcripſerim ad te, non me intelligere, quomodo incideris in illum libellum obſcurorum, quia tunc non legi, niſi II quaterniones de illa materia. At poſtera die, cum ulterius legi, bene intellexi, quod non uituperii cauſſa, ſed ut ſignificaret Reuchliniſtas. Et ille Huttenus, qui forte auctor eſt, uel maioris partis illius libelli ſeu epiſtolarum, ipſemet ſe, ut ſcribit, inſeruit; ſibi ipſi obloquens, quaſi ſit magnus truffator ſeu beſtialis, ut forte euitaret ſuſpicionem auctoris. Ego non ſatis poſſum mirari de ingeniis hominum, quam argute uituperent illum Ortwinum et malos theologos et artiſtas etc.

II.

Huttenus conſcribit Bambergae quartam inuectiuam in Duc. Wurtemberg.

1517 Aug. 21.

S.

[illegible]. Intellexi ex tuis, amicorum dulciſſime amiciſſimeque, multa noua, quae quidem omnia lluc tendunt, ut nullam, meo iudicio, pacem portendant. Deus Dominus igitur ſit pro nobis et non erit quis contra nos. Salutaui D. Huttenum, qui et te reſalutat. Confecit intra paucos dies et quartam contra D. Wirtenberg. inuectiuam et quidem acrem. Suaſi, ut poſt publicationem eius ſe bene, ut circumſpectus, cuſtodiat, ne ſibi, quod et Ciceroni, quod abſit, contingat. Si D. Caſpar Wirt, ueſter ſyndicus, qui eſt uel fuit Auguſtae iſtuc uenerit, ego quoque, licet ualde indiſpoſitus, ad uos conuolabo. Dedi D. Io. Schöner faſciculum ſuum. Eſt male contentus, quod non eſt impreſſum modo ſuo, ſed ipſe tibi ſcribet defectum ſuum. D. Hutteno dedi literas ſuas, qui paullo poſt rediit ad me et dedit mihi legendam illam materiam et uiſus eſt mihi non multum probare, quia dixit: quod ſit bene aduertendum, ne quid edatur, quod parum conducat honori et maieſtati Reuchlini, prout ſe tibi ſcripturum pollicitus eſt. Sed ego arbitror, quod ideo non uelit, quod edatur, quia cognoſcit, quod etiam alii ualeant eo ingenio uel ſtilo, quo ipſe uſus eſt in epiſtolis obſcurorum; uidetur enim palam non negare, ſe illas epiſtolas edidiſſe, et quidem, ut mihi uidetur, non ſatis prudenter, propter periculum, quod praedicatores ſibi ſubornare poſſent, quamuis ſint phariſaei. Vale.

III.

Huttenus Bamberga diſcedit. De epiſtola nuncupatoria Luciani piſcatori praemiſſa.

S. Quae de homine Hutteno ſcribis, aſtipulor tibi. Ex uultu quaſi noſcitur. Legit mihi ultimam ſuam inuectiuam, quam in ducem Wirtemberg. ſcripſit. Certe uafer eſt. Nam multa, quae mera ſunt mendacia (et ipſe faſſus eſt) inſeruit in illa. Conſilium etiam meum requiſiuit: an ſibi ſeruiendum ſit epiſcopo? reſpondi ſic: ne forte alicubi in collocutione effutiret, me ſibi diſſuaſiſſe et inde mihi, ſi ad aures praeſulis perueniret, aliquid malum oriretur. Sed diſceſſit, neſcio quo. Dialogus ille mihi ſatis placuit; nam dedit mihi H. ad legendum. Sed quod ad Reuchlin mittas, neſcio, ſi probem. Scis enim, qualiter egerit tecum, epiſtolas tuas faciendo imprimi; alioquin bonus uir habetur. De Luciani frontali epiſtola, quod et illi me inſerueris comparesque illis doctiſſimis: profecto quia me longe ab illorum ſtudiis abeſſe ſcio, ne forte irriderer (niſi quod maximus ſtudioſorum fui, ſum et ero amator), melius foret, me illaudatum de illa delere, ne forte tuus in me amor acre tuum peruertat iudicium. Cepi quandam duram prouinciam reuidendi translationem Ciceronis officiorum de todeſco in todeſcum i. e. de malo in peius, quia uideo errorem parere errorem. Nam utrobique aliquando non ſequuntur non modo textum, ſed

ed ne ſenſum quidem textus. Et ſic quaſi ter-
iam facio todeſcam etc. Papa, ut intelligo, mpoſuit poſt abſolutionem concilii Lateran. lecimam uenialem per III annos ubique, reſtituit et Carolum S. Georgii et ſuum Baronellum fecit ſuſpendi. Et fecit 64 Cardinales et reſeruauit adhuc X in pectore ſuo. O fecundum pectus Florentini hominis ſiue ſerui Dei.

IV.

1517. Oct. 21.

De Carmelita quodam Reuchliniſta, cui nomen Röttelſtein.

Audio, quod hic eſt quidam religioſus, qui ſcribit uel ſcripſit quendam libellum ad te, qui dolet, quod iuriſtae et theologi in tantum facti ſint inimici et niſi prohiberetur, forte iam legiſſes. Sed credo omnino edet et tibi dicabit, nec eſt contra te. D. Iacob Fuchs et D. Decanus, frater eius omnino uoluerunt, ut monſtrarem eis defenſionem Reuchlin et feci. Sunt enim noſtri partiſani.

1517. Nouembr. 8.

Mirabilem laudem tibi ex hac translatione (*Luciani*) comparaſti. Omnes mirantur ingenii tui uires ac dicendi acrimoniam. Sed nolo plura de hoc ſcribere, ne adulari, cuius tamen nullus mihi fructus apud te eſſe poterit, uidear, quippe qui me noſti intus et in cute iam pridem noueris: ſed hortor, ut et tandem edas in publicum illas II Nazian-

Digitized by Google

ziani orationes, ut ſicut theologaſtros dialogo praedicto notaueris, ita ex orationibus diuinis eosdem inſtruas. Vndique igitur eſt, ubi gratia habenda.

Tu cupis ſcire, quisnam ſit religioſus ille, qui ad te libellum iam componit, tibi, ut credo, dedicaturus, dicam, ſed uelim taceas, donec ſit abſolutus et tibi praeſentatus. Eſt quidam Carmelita et lector in monaſterio hic Carmelitarum; eius notitiam non habeo, niſi facietenus, tamen fertur doctus, et D. prouincialis Muffel petiit, ut ſibi transmitterem, ad conſpiciendum, defenſionem epiſcopi Nazareni et miſi et credo, quod adhuc plura addet ſuis ſcriptis, hac defenſione lecta. Non imprimetur libellus ille, prohibente ipſo prouinciali, niſi forte tu iuſſeris et probaueris. Dabo operam, ut uideam et tibi de contentis in illo ſcribam, et ne cures. Dicitur, quod ſit bonus Reuchliniſta. Tranſiuit hac quidam curialis et bonus uir ac praelatus, ueniens ex urbe, uadens in Saxoniam, qui certiſſime nobis retulit, quod papa in hac cauſſa et controuerſia impoſuerit ſilentium. Si uerum eſt, cito ſciemus. De Hutteno adhuc nihil ſcio, ſcrutabor tamen, ſi breui ſit hic affuturus.

1517. Nouembr. 16.

Salue. Vidi libellum illius Carmelitae. Inuehitur in Pepericorn qui ipſe inuehitur in Reuchlein et qui ſuſcitat illas diſcordias inter theologos et bonum Reuchlein et laudat Reuch-

Reuchlein de ſcientia ſua et uituperat Peperi-
cornium et adhortatur Maximilianum ad pa-
cem faciendam. Quid multa? eſt deuotus
tui et tibi dicabit illum libellum tui in illo faci-
ens mentionem cum ſumma laude, nec in-
primetur, niſi forte te iubente. Et non in-
docte ſcribit, nominatur ipſe Io. Röttelſtein,
lector, et eſt natione Sueuus.

Velim intelligere, quae ſit iſta conſuetudo
ueſtra iſtic teſtandi coram deputatis, *vor den
genannten II.* quos credo eſſe perinde atque te-
ſtes teſtamentarios. Et hoc uelim ſcire, an
adhuc, ut ualeat teſtamentum, oporteat, ut
teſtamentum remaneat in manibus ipſorum.
Et an per ſolam ablationem teſtamenti de ma-
nibus ipſorum, teſtamentum illud cenſeatur
ruptum uel non. Itaque ſi quando fuiſſet ab-
latum teſtamentum et eis non reſtitutum, cen-
ſeatur ruptum. Super hoc cupio tuum reſpon-
ſum, et an talis modus teſtandi ſit ex ſingulari
priuilegio uel longa conſuetudine?

V.

*De Fab. Zonario, Doct. Medicinae, Reuchli-
niſta.*

1518 Febr. 9

Salutem. Latorem harum D. Doctorem me-
dicinae Fabium Zonarium, ut-
pote iuuenem eruditum et doctum, tibi eius ro-
gatu, commendo. Reuchliniſta enim eſt et tibi
totus deuotus. Scripſit enim multa et uaria rhy-
thmice contra Colonienſ. Ortwinum, Thunga-

et Hochſtratum, more et ſtilo obſcurorum uirorum, quae tibi affert legenda. Ridebis et hominis ſales probabis. Quodſi frater meus illa legeret, excommunicando diabolo ipſum (niſi poenitentia condigna ſatis faceret) daret. Quid multa; dignus eſt noſtra ſocietate.

XXXVII.

EPISTOLA SEBASTIANI SPERANTII BRIXIENS. PRAEPOSITI.

Negotium quoddam apud commiſſarios regios adiuuat. Laus Pirkheim. inſignis.

Magnifice ac praeſtantiſſime uir, Domine et amice obſeruandiſſ. Venit huc ante paucos dies Wolfgangus Stromer, communis amicus, ad dominos commiſſarios Regios pro negotio D. Ieronymi Holzſchuher contra duos fratres de Furtenbach nihilque in ea re ſollicitudinis et ſtudii praetermiſit, ut a dominis commiſſariis obtineret, quod Domini Nurnbergenſes deſiderabant. Cumque res iſta uideatur ſatis iuſta agaturque ibi de non negligendo Sacr. Caeſ. et Cath. Maieſt. intereſſe, Domini Commiſſarii negotium iſtud omni fauore ſunt complexi, ſcripſeruntque ea de re opportune S. D. H. et oratori Regio, facturi etiam hic in Germania contra hos Furtenbacher id, quod aequitas expoſtulabit, et ultra haec etiam Maieſtatem Caeſaream de his omnibus reddituri certiorem, ſicuti ex relatione

Stro-

Stromerii Do. V. cognoſcet, qui cum etiam operam meam ſuper credentialibus literis Magn. Dominor. urbis Nornbergenſis ſenatorum in hac re interpellauerit, ego tam lubens et promto animo, quod per me fieri potuit, in huius negotii expeditione praeſtiti, quam Dominorum Nornbergenſium ſoleo eſſe obſeruantior, ſcilicet de me bene meritorum et quibus ne dum in hoc, ſed quibuscumque aliis negotiis, operam meam, quantulacunque ea ſit, apud Caeſ. Mai. et hos Dominos meos Commiſſarios ita polliceor, ut nullum ex me officium fruſtra deſiderent. Iucundiſſimae praeterea mihi fuere, quas idem Wolfgangus de Dom. V. mihi eſt impartitus ſalutes, eo gratiores, quo Dom. V. Sperantii ſui aliquando recordari cognoſco. Fuit ex multis annis tantum mihi uiſendi Dom. V. deſiderium, et praeſertim, ut ſtudia et lucubrationes ſuas luſtrarem et iucundiſſima conueratione ſua fruerer; uerum iniqua ſors hactenus iſtud mihi inuidit, tametſi amplius, quam ad diaetam proximam in aduentu Regis, ut exiſtimatur, Norimbergae aeſtate prima futuram, inuidere non poſſit, ubi forte ea, quae tanto tempore intermiſſa ſunt, pro renouanda ueteri inter nos amicitia occaſio dabitur. Tametſi etiam praeſentia mea homini, uerſanti continuo in honeſtiſſimis literis, nihil iucundi afferre poſſit, maxime cum noſtrorum Curialium uita, honeſtis literis inimica, non poſſit ſtudioſis, niſi exoſa et tamquam ab eorum commercio pe-

nitus aliena uideri. Quod libera fronte de me ut fatear, neceſſe eſt, qui tanto nunc tempore inter hos aulicos tumultus uerſor, ut uix aliquando literas me uidiſſe meminerim. Propter quod te longe beatiorem uniuerſa doctiſſimorum uirorum admiratur turba, cui uni, quod multis negatum eſt, conceſſit natura, ut pro fertilitate ingenii tui ita omnia tecum compoſueris, ut inter ciuiles cauſſas etiam literas et non niſi doctiſſime et ſollicite tractes, ut nemo melior et acutior in tractandis negotiis ciuilibus, nullusque in literis exornandis conſpiciatur te frequentior et doctior. A quo unum iſtud optatum fere cupio, ut tuarum aliquando lucubrationum me non pigrueris facere participem cum ut exercitatior ingenio euadam, tum ut reliquis laudatoribus tuis, quos ubique gentium innumeros habes, et ipſe poſtremus accedam. Licet antiquiſſimum mihi ſemper alioquin fuerit inſtitutum, pro mea in te obſeruantia, quotiens tui memoria habita eſt, id extollere in te, quod omnes docti admirantur et praedicant, ſed ne tibi aurem uellicare uidear et finem cauillis meis ponam, hoc unum de me tibi perſuadeas uelim, obſeruantiorem tui Sperantio eſſe neminem, qui hoc totum, quod poteſt et quicquid eſt, tibi ac tuis compatriciis tradit et offert.

Reliqua, quae de occurrentibus hic circumferuntur, nouitatibus, Wolfgangus noſter coram exponet, quem etiam, ut tui aman-

mantiſſimum, tibi ex animo commendo. Datum Inſpruck, I Decembr. MDXIX.

Ricius noſter te plurimum ſaluere iubet.

XXXVIII.

EPISTOLA RVDBERTI A MOSHAM, I. V. DOCT. DECANI PATAVIENSIS.

Suum in Bilib. et Eraſmum ſtudium declarat. Laudat ciuitatem Noriberg.

S. D. Eruditione tua et humanitate, Doctiſſime Pyrckamere, quam nuper mihi, uetere noſtro amico Wolgango Stromerio praeſente, exhibuiſti, commonitus et adductus ſum, ut non dubitarem, te literis meis interpellare, praeſertim cum tibi coram eam operam pollicitus ſim. Neque enim committere uolo, ut amicitia ſemel tecum inita a meque toties deſiderata inerti aliquo ſcribendi ſilentio uel diminuatur, uel aboleatur. Et ſi quando ſcribendi argumentum nullum fuerit, ſcripturus tamen ſum uel hoc ipſum nihil eſſe, quod ſcribam, tametſi id uix unquam accidere poſſe uidetur. Vt enim amicus ſemper habet, quod cum amico communicet et colloquatur; ita non fere unquam defuerit ad amicum ſcribendi materia, imprimis quidem cuius ingenium et mores tibi uehementer probentur. Conſtitui iampridem Eraſmum Rotherodamum pro familiaritate et conſuetudine, quae mihi cum eo ſub Caeſaris Karoli corona-

Digitized by Google

tionem interceſſit, epiſtola, pro noſtra te nuitate conſcripta, ſalutare, ne noſtri prorſu ſubrepat obliuio et tam diuturnum ſilentium iam contractam dirimat amicitiam. Quod certe iamdudum praeſtitiſſem, niſi tum ſubruſtico pudore, tum difficillimis grauiſſimisque occupationibus impeditus hactenus fuiſſem, quibus ab hoc humanitatis officio retardatus eam tantam ceſſationem reſarcire conarer. Epiſtolam hic una mitto fide tua transmittendam, quae ut perferatur cures diligenter, te etiam atque etiam rogo. Stromerum noſtrum ſalutare honeſtiſſime uelim, cui ſimulac meis uerbis nunciari cupio, ut uxorem mihi inquirat elegantem pariter et diuitem Nurnbergenſ. ut ſi quando pigeat ſtatus eccleſiaſtici, Nurenbergam confugere poſſem, ueluti ad euangelicum aſylum tutiſſimum. Nam ea ciuitas et reſpubl. ex multis, quas ab ineunte aetate colluſtraui, maxime placet, et adeo quidem, ut mallem honeſta mediocritate eſſe ciuis Nurenbergenſis, quam ſingulari pompa decanus Pataujenſis. Vale Patauiae 23 Maii An. 1524.

XXXIX.

EPISTOLAE KILIANI LEIB, PRIORIS REBDORFFENS.

I.

Laudat Bernh. Adelmann mittit monimentum quoddam hebraicum. Huttenus obiiſſe dicitur.

S. P. D.

S. P. D. Inter nos, niſi memoria forſitan excidit, dudum conuenerat, epiſtolis temperare ſcribendis, neque horas, quae cito nimis nimisque labuntur, oſtentandae eruditionis deperdere gratia. At nec tibi, uti experior, memoria lapſum eſt. Nam et tu ſatis iam ſuperque extitiſti deuotus Harpocrati. Sed tantum ſat eſt, rumpendaque parumper ſilentia. Quod me ſaluum eſſe uelis, nihil ambigo. Ambigo tamen non nihil, ſi credere poſſis, quod te uelim undeuis fore beatiſſimum. Bernardus ille uenerabilis nobilisque de Adelmannsfelden, uir bonarum artium literatarumque et ſciens et amator, me pridem in Dryoſpolenſi templo amice ſatis et humaniter ſuo dignatus eſt alloquio, interque dicendum tui quoque quum recordaremur, intellexi, quod amareris ab illo, eumque propter haec, quem ob uirtutum merita prius amabam, hinc amplius coepi diligere. Nuper e Ratispona ad me delatum eſt hebraicum iſtud, quod hic uidebis incluſum, commentumne dicam, myſteriumne, dubito. In cupri lamina poſt exactos urbe Iudaeos repertum aiunt.

Ego quid uerba ualeant, teneo; uerum ſi quid altioris negotii ineſt, inſitue, mecummet cogitabundus agito. Si potes aut ſi licet ex doctiſſimis Capnione uel Paulo Ricio, Oecolampadioue exugito. Noſſe cupio, ſi Vlricus de Hutten ſuperſit. Nam nuper dum eſſem Moguntiae, humanis illum exceſſiſſe audii,

dii, audiique dolens, cum ipſum magnoper uiuere et optime uiuere malim. Hominis demiror ingenium, ſed noſtras eſt, Francus eſt, et forſan patriae me fallit communio. Non fallit, quoniam uir ingenio, et eo accerrimo mire praeditus eſt. Nepotes tui et eorum uenerandus genitor inprimis, una feliciter ualeant. Ipſa papyrus parca teſtis eſt, me uoluiſſe ſcribere parce; uerum ſic accidit et uſu uenit, ut qui ſilent diu, dum loqui coeperint, diu non deſinunt. Vale die S. Calixti anno 19 ex Rebdorff.

Veniam tribuas, optime Bilibalde humaniſſimeque, quod ad te hanc te indignam trado chartulam. Crede mihi et feſtinus nuncius, qui feſtinandi impos uiriumque inops eſt, et foeni cordi, quod nabat in pratis, ſollicitudo me diuerſas ducebant, immo rapiebant diripiebantque, in partes. Vale iterum et feliciſſime.

II.

Deſiderat Bombergi uetus teſtamentum, hebraice et chaldaice editum, auidiſſime.

Saluus ſis, clariſſime Senator humaniſſimeque. Vidi, quas nouiſſime ad Thomam meum (matre nuncia) dediſti literas. Illae te referebant plus ſolito laborare podagra. Doleo, tibique, mi Bilibalde, ut par eſt condoleo. Dudum uidi Georgii Vallae pergrande uolumen, ubi inter tot doctrinarum et ſiluas et nemora, etiam, ni fallor, illius morbi

re-

remedia tradit. Legiſti, non dubito. Vellem, ſi uſpiam quid artis delituiſſet, aut eſſet obſitum, euelli et prodere, quo tandem ea liliberarer moleſtia. Ego, qui nil poſſum aliud, illum orabo, qui ſolo ſermone reſtaurat uniuerſa, uti te tanto dolore liberet. Dum hyeme praeterita Herbipoli eſſem, librum uidi, miratu dignum, dignumque haberi. Vetus ſcilicet inſtrumentum, hebraica chaldeaque preſſum linguis ſimul et quorundam gentis illius doctorum adiecta commentaria, ac Targum, quod Ieroſolimitanum appellant. Haec omnia Daniele Bombergo, Veneto, autore, uno ſunt preſſa uolumine. Oro ſcias, quanti uendatur, habeaturne Norimbergae. Hebraeorum aliquis exiſtimabat ſatis competenti pecunia uendi Venetiis. Agam, ſi quando eo mihi potiri liceat. Qui ſi mihi obuenerit et Croeſi et Mydae diuitiis conferam. Schedulam tua manu graece ſcriptam, in pera nobili, qua noſtrum donaſti Thomam reperimus, his incluſam remitto. Rogamus, eam nobis latine etiam loquentem reddas, uti cognoſcamus, quam recte ipſam nos intellexerimus. Soſpes ſis et ualeas proſpere, obſeruande Senator. Ex Rebdorff anno etc. XX die diui Marci.

III.

Oecalampadii conſilium proſpere ut eueniat, precatur. Librum, quem diximus, mittendum urget.

Sal-

Saluus eſto, Senator optime. Fugitiui ad me uenere tui, quos, uti merentur, habebo. Habebo autem humaniter; nam grati ſunt placentque. Oecolampadii factum necdum cognoueram. Illi, ut par eſt, proſpera imprecor. Nam ut res ſecunde eueniat, neceſſe eſt, gratia bona comitetur, et amica fortuna. Potes, Bilibalde mi perhumane ſenator, potes, niſi fallor quaerere e Venetiis, fac, intelligamus, quo, quantoue uel aere uel argento liber ille ueneat. Crede nulli Hieronymi, nulli talem uidere Origenes, nec Aquilae. Oro bene ualeas. Ex Rebdorf anno etc. XX Sabatho poſt dominicam Cantate.

IV.

Ingolſtadii in Reuchlini congreſſum uenit. De Petri Galatini opere et Bombergi codice.

S. P. Thomas noſter et ego pridem Ingolſtadii eramus. Nam iſtic mihi negotium fratrum meorum cauſa fuerat. Salutauimus igitur noſtram Capniona, ac tribus ſiue quatuor horis laetabamur pariter; ea etenim die, qua ieram, redii. Capnion reuertenti mihi Petri Galatini mirabile opus domum deferendum legendumue tradidit. Opus ipſum paſſim Chaldaica Ionathae Ankelique translatione interſpergitur, cui intelligendae liber, quem cupimus, mire conferet et ſingulari erit adiumento. Amici igitur oficium facies, id, quod ſemper facis, ſi egeris, ut e Venetiis quam primum habeamus. Si ſpes eſt, pretium amicorum quempiam Ve-

ne-

retiis expenſurum, quoad codex ueniat, bene eſt; ſin iam ſolui oportet, ſcribe et e uestigio mittam. Scribas, oro, ei, qui librum accipiet, apud bibliopolam agat, ne quid uolumini deſit, cum hic non ſit, unde perfici queat. Nudius ſextus quiſpiam mihi retulit, abbatem Sancti Egidii Apoplexia tactum. Verum, ut tu ſcribis, Apotheſi tactus eſt. Sic nihil in rebus eſt ſtabile; et ſola uirtus pulchre conſiſtere praeſtat. Quam recte diuus noſter Paulus admonuit: qui ſe exiſtimat ſtare, uideat, ne corruat. Et doctus ille Plato: Nimia, inquit, libertas haud in aliud uidetur, quam nimiam in ſeruitutem conuerti. Tu, uale clariſſime Senator. Et placeat Deo noſtro clementiſſimo ita ualeas, uti te ualere percupio. Ex Rebdorff anno etc. XX. 3 Iulii

V.

Declinat commiſſarii partes, officiali Eyſtetenſi aegrotante.

S. P. Clariſſime uir. Ego me tuae Claritudini multis nominibus et noui et fateor deuinctiſſimum. Verum ipſa tua probe nouit humanitas, eam inter amicos eſſe debere legem, ut amicus ab amico non niſi poſſibilia expoſtulet. Ego ingenue profiteor, iurium me peritia non eſſe praeditum, neque unquam eiusmodi (quo me nunc onerari deſideras) functum eſſe officio. Cur ergo indoctus humeris pondus excipiam, ſub quo corruere oporteat? Non ſunt mihi notarii, non ſcri-

ſcribae, quorum opera hanc tantam rem queam dirigere. Officialis Eyſtetenſis ultima laborat aegritudine, quocum ſi eſſet incolumis, hunc non grauatim, pro Dei gloria iuſtitiaeque fauore, laborem fueram ſubiturus. At quoniam nuncius feſtinat, et, iam feriis praeſentaneis nihil agi, nihilque negligi poteſt, oro, per amicitiarum iura, non moleſte feras, ſi ego quid mihi agendum ſit, quidue deceat per paucos dies conſulam memet atque inſtruam. Nam deinde tuam claritudinem ſuper hoc tanto negotio, quid animo conſtituerim, faciam certiorem. Bene uale, Clariſſime uir, et ualeant inſignes illi patricii Geuderi noſtri, quibus fauſta precor omnia. Ex Rebdorff. anno etc. XXX Iulii die XV.

Ego (mihi crede) ab ore Domini Decani audiui: ſe in ea, qua de agitur cauſa, meram ueramque adminiſtrare uelle iuſtitiam, idque dum primum Auguſtae (ubi tum aderam) illi eius rei iudicandae fuiſſet praeſentata commiſſio.

VI.

Officiali iſto e uita migrante, nouo conſilio opus eſt.

S. P. D. Clariſſime Vir, ſcripſi pridem Dominationi tuae praeſtantiſſimae Officialem Eyſtetenſem detineri aegritudine extrema atque grauiſſima, ob quam et illi commiſſionis literas reſignandas aperiendasue tradere non potui. Erat enim languor ualidiſſimus,

quo

quo et uictus uir ille paulo poſt ultimum diem obiit. Accepiſti a me proximis literis cauſas, quare mihi non uideatur conſultum, uti onus illud ſolus ſubeam, in eadem nunc quoque perſto ſententia, ne inſignium uirorum illorum Geuderorum actio ſub me, huiusmodi cauſarum, inexperto iudice periclitetur. Tua nunc Claritudo iuris conſultiſſima conſulat, utrum res differri poſſit ac debeat, donec alter officialis ſubſtituatur? Quid proinde claritudini tuae in hac ipſa re uidebitur agendum, cum opportunum erit, ſignificet. Optime ualeat Dominatio tua praeſtantiſſima. Ex Rebdorff. Anno XXX Auguſt. die quinta.

VII.

Calumnia a Bilibaldo depulſa.

S. P. D. Accepi, uir clariſſime, literas humanitatis tuae, audiui uirum, abs tua claritudine miſſum, et expoſui ore, quae pridem literis tuae indicaui praeſtantiſſimae Dominationi in mei excuſationem, cur ſcilicet eius negotii, quo de agitur, nequeam onus aſſumere. Vir ille fuſius referet omnia, qui reuera in ſolicitando me, atque in cunctis, quae hactenus res ipſa cauſaque poſcebat, nihil intermiſit, quod ſui uideretur officii. Erat pridie in Marieſtain dedicationis eccleſiae feſtus dies. Illuc inter alios et Sigismundus Vindvveg uenerat, cumque per occaſionem claritudinis tuae interueniſſet memoria, breuibus illi, quae de ipſo ad tuam praeſtantiam fama

detulerit, indicaui. Haeſit homo atque obſtupuit ac ſtrenue, quae claritudini tuae nunciata ſunt, dixiſſe ſe non denegabat modo, uerum et nomen praeſtantiſſ. Dom. tuae eo ipſo, quo claritudo tua utitur, aduerſus quosdam maleloquos tutatum ſe aſſerit argumento, quod ſcilicet, Dei dono, opes Claritudinis tuae tantae ſint, et ea te praeditum prudentia, ut facultates tuas ipſas qualicunque non ſatis integro ſtudio uel arte nolis adaugeri. Credo autem, quod et ipſe quam primum datis ad tuam Claritudinem literis pro ſeſe rationem reddere non obmittet. Praeſtantiſſimam Dominationem tuam felicem eſſe ſemperque ſaluam deſidero. Ex Rebdorff Octobris die tertia. Anno etc. XXX.

XXXX.

EPISTOLAE IO. VOEGELINI, ASTRONOMI VIENNENSIS.

I.

Lector mathematices conſtituitur, uariosque libros mathemat. explicare iubetur.

Salutem in Chriſto. Iure reprehendi poſſem, quod poſt ueſtram beneuolentiam mihi, cum eſſem Nurinbergae, multis modis a V. D. abunde declaratam, tot annos nihil literarum ad D. V. dederim, praeſertim cum eadem tractet nunc ſtudia. Sed id fecit pudor ruſticus, fateor. Saepe

ſe enim me iamiam ſcripturum deterruit nunc conſcientia paupertatis, ubique neglectae, nunc quod pudebat tam delicatis auribus praebere litteras incultiſſimas. At fronte modo perfricta occaſionem nactus ſcribo, ueniam deprecans diuturno meo ſilentio, et literarum ruſticitati. Rex noſter gymnaſium Viennenſe reformaturus negotium quibusdam integerrimis ſimulac doctiſſimis uiris negotium commiſit. Hi me aſſumſerunt ordinarium lectorem Mathematices. Praeſcripſerunt libros legendos Sphaerica Theodoſii, Mileum ſiue Menelaum de triangulis ſphaericis, magnam Ptolemaei compoſitionem, Aſtronomicon Gebri, Geographiam Ptolemaei, quadripartitum Ptolemaei, tabulam primi mobilis Ioannis de monte Regio, adhibitis demonſtrationibus linearibus, tabulas eiusdem Ioannis directionum addendo apodixeis gromicas, motuum planetarum tabulas ſiue Alphonſi ſiue Blanchini, aut alicuius alius. Ad hanc rem expediendam ſatis eſt mihi ſupellectilis, niſi quod male careo triangulorum ſcientia Ioannis de monte regio. Quapropter oro, uir humaniſſime, qui per uitam ueſtram perpetuum reipubl. ſiue litterariae, ſiue ciuilis, ſiue denique eccleſiaſticae patrocinium, usque in ſenectutem continuatum, ſtrenuiſſima opera peregiſtis, Mathematicae, ut ſoletis, adeſſe uelitis, hoc eſt, curare ut triangulorum ſcientia in lucem ſi non chalcographorum, publico tamen aere prodeat. Nam ego libros

Digitized by Google

mihi imperatos lecturus, cogor chalcographo ſeptem floren. Renenſ. tribuere, ut is ſphaerica Theodoſii ſuis impenſis excudat. Quodſi nolit ueſtra prudentia edere, oro, ſi fas eſt, faciat me ſui conſilii participem. Rogo etiam atque etiam D. V. ad Ioannem Tſcherte ſcriptura, ſaltem in eius literis mihi ſignificet, quidnam nobis expectandum ſit de Ptolem. Geographia. Ingenue et candidiſſime Domine, mitto munera calabri hoſpitis, hoc eſt, elementale meum, quod edidi ſimul et ſcripſi, ita enim chalcographi importunitas et temporis anguſtia poſtulabant. Vbi Theodoſius fuerit abſolutus, mittam eum ad D. V. obſeruandiſſ. Bene ualeat D. V. Viennae. Ex collegio ciuili 27 Ianuarii Anno Chriſti 1529.

II.

Mittit Theodoſii ſphaerica, cura ſua, edita.

S. P. Mitto ad Dom. V. Theodoſium, quem dum res noſtra melius habebat, edere placuit. Rogo D. V. boni conſulat. Ego pauper hoc bello pauperior ſum factus. Habui Ptolemaeum ex ueſtra editione, eo ſum priuatus. Si V. Dom. unus ſupereſſet et nullus amicus mihi praeferendus, eo donandus, relictus eſſet; rogarem, ſi oportunum eſſet, eum mihi donari, ita tamen, ut de primo libro Ptolemaei meum ad Veſtr. Dom. iudicium mittam, et gratitudine animi compenſem. Introductionem in magnam Ptolemaei

maei compoſitionem breui uulgabo, et D. Veſtrae muneri mittam. Bene ualeat D. V. Ex Vienna ipſo die S. Nicolai Anno Chriſti 1529.

III.

Molitur opus Aſtrologicum. Ptolemaei libr. I petit.

Salutem a Chriſto Ieſu. Molior librum, omnia prope complexurum, quae pertinent ad apotelesmaticam aſtrologiam, tum uulgata, tum quae a plerisque praeterita ſunt, iudicaturo tamen admodum neceſſaria. Cumque eam partem, quae ad eclipſes pertinet, tractarem, immінebat ſolaris ille defectus menſis Martii. Calculaui itaque digitos ſuperficiales eius deliquii et puncta inclinationum, quae a plerisque neglecta uideo aut negligentius tractata. Deinde per occaſionem a quodam amico rogatus, ſupputaui eccentricitatum ſemidiametrorum, deferentium orbium et epicyclorum planetarumque etc. milliarias quantitates. Illa tametſi ueſtra dominatione indigna, miſi tamen, ut intelligat, beneficium ſuum apud me non interiturum. Inſuper ut me amice uel errati, uel ſi qua admiſſa eſt, negligentiae admoneat. Interpretatus ſum publice 14 capita primi libri Geographiae Ptolemaei, ſperans, me uel ſic moturum Regiae maieſt. commiſſarios, ut partem meae mercedis darent, de qua integro anno et dimidio nihil acce-

cepi. Poſtquam uero neque mihi, neque aliis lectoribus fuit ſpes reliqua, deſinimus legere. Inter docendum nonnulla obſeruaui, quae plurimum optarem, ut coram ueſtra dominatione narrare liceret. Sed cum fieri non poſſit, rogo, ſi non impudens uideor, V. Dom. mittat uel ad me, uel ad Ioannem Tſchertte, primum librum graeci Ptolemaei, aut eum curet exſcribendum, ut meum iudicium de ea re ad D. V. perſcribere poſſim atque D. V. deinde, ut uideretur, ageret. Certus enim ſum, ſi modo D. V. meam ſententiam probauerit, in ueſtram translationem primi libri, ſeorſum imprimendi, commentaria facere, quibus is liber illuſtratus, notior Germanis fiat. Rogo, non ſine rubore, D. V. ſi quem habet, ſuae translationis Ptolemaeum mihi det dono. Nam nihil eſt, unde emam. Feci libellum de triplici mortariorum bellicorum, quae uocant, uſu. Si D. V. eius rei uidendae teneretur deſiderio, mitterem. Bene ualeat D. V. et me ſuſcipiat. Ex Vienna 15 Maii Anno Chriſti 1530.

XXXXI.

EPISTOLAE IOANN. TSCHERTTE.

Ptolemaei Geographiam grati animi ſignificatione accipit. Euangelium latius ſerpit. Presbyter quidam Pataulenſis uxorem ducit.

S. P. Redditae ſunt mihi iam pridem tuae literae humanitatis plenae, quae me adeo

Digitized by Google

adeo oblectarunt, ut uix dici queat. Nam ex his perſpexi, me abs te magni fieri et mirifice amari, ſed nimirum ſi amor reciprocus perhibetur. Cum ego te tum propter eximias animi dotes, tum ob ſingularem morum grauitatem, uitaeque dexteritatem, ab eo die, quo te cognoui, ſuſpiciebam, uenerabar, diligebamque; modo uero cum aperte, me rediligi, animaduerto, adeo alte meus erga te amor radices egit, ut quo adſpirauero, numquam me tui capiet obliuio. Porro quod me Geographia Ptolemaei munificentiſſime donaueris, licet eam nondum uiderim, ſed hodie ad datum harum mihi praeſentabitur, munere me mirum in modum grato donaſti, tum quod ipſum demum per ſe amplum eſt et ſpecioſum, tum quod abs te, tanto uiro, mihi datum. Pretioſiora etenim conditio dantium munera efficit, pro quo cum nihil modo reddere te dignum prae manibus habeam, gratias interim et quidem ex animo tibi habeo, habeboque, dum ſpiritus hos rexerit artus.

Quod de Sphaeris armillaribus abs te et communi noſtro amico Alberto Dürer deſignatis, meam cenſuram expetis, neſcio, cur mihi harum rerum experti, tantum tribuis, ut ego tantorum uirorum cenſor eſſe debeam, niſi quod inſigniter me amando in hoc caecutias, alioquin oculatiſſimus, nihilo ſecius tamen cum eas uidero, ne te huius rei deſiderio fraudem, quidquid ſenſero, te quam primum certiorem reddam.

Quod ad rem Euangelicam attinet, non ſecus hic, quam (uti ſcribis) iſtic multi ore Euangelium profitentur; opera uero charitatis erga proximum (quae ſunt fructus Euangelii) nemo amplectitur; hoc tamen nos exhilarat, quod in dies magis ac magis ad nos pedetentim ueritas ſerpat, iamque paulo liberius de Euangelio nobis liceat loqui, quam prius. Det Deus ut omnes lumine uerbi ſui quam citiſſime illuminemur.

Quod uero te aberraſſe ais in quodam mihi commendato, licet nomenclaturam eiuſdem ſupprimas, coniicio eum non improbe, quem putes, quippe eum, cui propter tuam commendationem, quae potui, feci exhibuique, ſed cum aliter, quam prius de eo ſentias, diuertam et ego ab eo tuae ſententiae aſtipulaturus.

Nos hic nouitatum nihil habemus, praeter has, quae iſtac perferuntur, hoc unum tuae D. ſignificare libuit, presbyterum quendam ab Epiſcopo Patauienſi carceri mancipatum aliquamdiu fuiſſe, ob id, quod uxorem duxerit, qui ex carcere purgationem ſui et rationem contracti matrimonii aſſignando huiusmodi ſcripturam, cuius copiam tuae D. transmitto, Dominis de Regimine dedit. Quaeſo uelis eam reuidere et an ſufficientes ſint cauſae per eum adductae pro matrimonio contracto, me certiorem reddere. Emiſſus tamen eſt e carcere et abire iuſſus pro arbitrio.

Mitto

Mitto cum his unum ex articulis, quos prouinciales Auſtriae in conuentu reliquarum hereditariarum Auſtriae prouinciarum Auguſtae piis ambaſiatoribus proponendos principi noſtro remiſerunt, ex quo facile deprehendi poteſt et nos Euangelium ſitire.

Miſſae ſunt Doctori Vrſino literae Budam, nam modo illuc conceſſit. Interim uale, meque ut coepiſti, redama. Noſtrum Dürer ſaluere uehementer cupio. Datum Viennae 22 Nouemb. Anno 1525.

II.

De ſphaerarum proiectione diſſerit.

S. D. Quas ad D. tuam uiceſ. ſec. Nouembr. dedi literas, puto eidem eas eſſe iampridem redditas. In his equidem habui tuae D. ob Ptolemaeum mihi donatum (licet ea tempeſtate a me nondum uiſum) gratias, quas potui, maximas, ſed poſtquam ad manus meas peruenerat ac diligentius a me perluſtratus fuerat, multo maiore gratiarum actione mihi uiſus eſt dignus. Quocirca quidquid in ſuperioribus literis, quod agendas gratias pro eodem libro mihi et liberaliſſime et munificentiſſime dato aut neglectum aut praetermiſſum eſt, his cumulatiſſime actum eſſe uelim, eundemque in tuae D. memoriam uti ſingulare pignus noſtrae amicitiae perpetuo ſeruare curabo, heredibusque meis ſeruandum mandabo. Proiectionis tuae D. et communis noſtri amici Alberti Dürer ſphaerarum reuidi diligentiusque perſpexi et quae de his ſentio prout

ſubſequitur annotaui, quamuis cenſuram meam de tantis ingeniis feciſſem minime, niſi priusquam ſphaeras eas uidiſſem, ad requiſitionem tuae D. ob amorem, quo eidem afficior, compulſus fuiſſem, quae de his ſenſero me plane dicturum, proinde promiſſo meo ſatisfacere uolens ſententiam meam his aperio, quam ut D. T. boni aequique conſulere uelit etiam atque etiam rogo.

Inprimis ea ſphaera, quae ſolum lineamenta cum characteribus habet, eſt meo iudicio cum ſuis exterioribus circulis recte proiecta, quamuis alia ſphaera, quae ad perſpectiuam ſecundum longitudinem et latitudinem declinata eſt, etiam ex iisdem circulis ſit facta, attamen non uidentur mihi omnes circuli recte facti et praeſertim zodiacus. Praeterea globi in utroque ſphaera ſunt ad medietatem in rotundum proiecti, quod tamen in illa diſtantia et uiſione pyramidis a ſuperficie nequaquam fieri poteſt et hoc ob id: nam omnis ſectio Pyramidis obliqua in ſuperficie erecta cauſat ſeu deſcribit etiam obliquam figuram in eadem ſuperficie, ſed cum in illis uiſionibus ab utroque ueſtrum proiectis, ſint ſectiones obliquae, conſequitur, figuras in ſuperficiebus in rotundum deſcribi non poſſe. Quod ex eo patet: nam punctus Pyramidis eleuatus eſt ſupra centrum ſphaerae inter Cancrum et aequatorem, itaque linea a pyramide tranſiens per centrum ſphaerae obliquae non cauſat angulum rectum in ſuperficie, et haec eſt

ratio

ratio potiſſima, cur in hac proiectione corpora non poſſint eſſe rotunda. Alterum eſt, quod in his corporibus ſolidis perſpexi, quod ad medietatem uiſionis proiecta ſunt, ſed id perſpectiua fieri non ſinit. Nam nullum corpus ſolidum rotundum etiam quacumque uiſione per pyramidem ad medietatem uideri poteſt. Licet quanto remotius punctus pyramidis a corpore diſtet, eo plus et magis uideatur; attamen ſi diſtantia usque in infinitum etiam protraheretur, non tamen globus ad medietatem uideri poſſit; ratio huius: nam pyramis tranſit ex unico puncto; itaque in illo puncto omnes lineae uiſiales ſeu radiales concurrunt; ſi itaque concurrunt, tunc numquam paralleli aeque diſtantes efficiuntur. Si autem globus ad medietatem deberet uideri, oporteret illud fieri per parallelos aeque diſtantes; ſed hoc pyramis nec dare, nec ſufferre poteſt.

Quod autem dicti globi ad medietatem uideantur, licet hoc uidere ex 180 gradibus, qui ibidem ſecundum longum et latum deſcripti ſunt. Cum itaque globus in illa accepta uiſione et diſtantia non ſit rotundus, nec ad medietatem uideri poſſit: conſequens eſt, quod tot circuli in longum et latum proiici non poſſint, uti in ſphaeris illis proiecti ſunt. Sed quo ſuperius dicta clarius et ad oculum demonſtrentur, rem ipſam ad manus accepi et ex fundamento tres ſphaeras delineaui, accepto itidem puncto pyramidis in medio cancri et aequatoris ac in debita diſtantia a ſuperficie ad

instar

Digitized by Google

inſtar proiectionis ueſtrae, quas ſphaeras una cum his D. tuae transmitto et ita perſpectiuae nec quidquam addidi, nec ademi, ſed, quemadmodum ipſa docet ac demonſtrat, ita hic effigiaui. At ad ueſtram intentionem totum zodiacum non feci idque ob id; nam ſi eum ad inſtar ueſtri feciſſem, fuiſſet plus nimio amplus et texiſſet inferiorem circulum poli zodiacus, proinde ſuperiorem medium praeterea deſuper proieci. Quo autem zodiacus maiore amplitudine proiiciatur, delineaui cancrum ſurſum ad partem alterius ſphaerae, ſed eo plus texit globum, quod ad oculum patet. Et quamuis in illa uiſione ſi diſtantiam pyramidis prorogaſſem, omnino aliam proiectionem facere potuiſſem, ita ut plus de circulis ac globo uideretur, tamen ad medietatem uidere globum eſt impoſſibile, prout ſuperius oſtenſum eſt. Transmitto D. tuae una cum his corpora proiecta primae, ſecundae et tertiae regularitatis, quae in aliquibus caſibus acutioris et difficilioris proiectionis ſunt, quam ſphaerae, ſed non accipiunt tantum laboris, quos labores, licet occupatior, libenter deſumſi, quo tuae D. gratificarer, nihil eſt enim tam arduum, quod non pro eadem ultro ſubirem. Globus is, quem D. tuae Norembergae dedi, eſt etiam longe difficilior factu hac ſphaerarum proiectione. Nam in eo eſt eleuatio poli 50 et declinatio 30 graduum ad partem. Cum imaginibus in zodiaco unius ſphaerae minime ample proceſſi, fretus prouerbio noſtri Alberti

Digitized by Google

berti Dürer (*es ſend gut eerber Leut*) cuius manu et habili et aſſueta uehementer in hac proiectione mihi opus fuiſſet, quo lineamenta in circulis melius effigiaſſem, nam minus recta deductio linearum has res facile uitiat et dehoneſtat. Et haec uelim iuxta mentis meae captum de his ſphaeris dixiſſe, nihil omnino dubitans, utrumque ueſtrum et diſertius et copioſius de his nedum diſſerere, ſed et melius et acutius ſphaeras facere poſſe, quam ego. Tamen maximopere rogo, D. tua uelit iudicium ſuum de his ſphaeris a me factis per ſuas literas mihi ſignificare. Velim Albertus Dürer unam ad inſtar meae ſphaeram faceret et ubi ego ob inhabilitatem manuum defeci, ipſe melioraret et cum umbra pro ſuo ingenio cohoneſtaret.

Scriberem nouitates, ſed apud nos omnia uetera. Nam nihil noui hic habemus, niſi quod inde a uobis ad nos affertur et his D. tua ualeat, cui me etiam atque etiam commendo. Albertum noſtrum plurima ſalute impertior. Datum Viennae 5 die Februar. anno etc. 26.

XXXXII.

EPISTOLA IOACH. CAMERARII.

Scire cupit, quo latino uocabulo ſyngrapha appelletur.

S. Quod me negotium, cum nuper apud te eſſem, meo cum fratre agere uolebas,

lebas, de tuis uerbis egi diligenter. Is quod ad ſe attineret, ſolutionem eius pecuniae minime dixit morari, quamquam ſyngrapha peteretur, quam parum aequum praeſtari uideretur. Animaduertit etiam, cum, quae mecum locutus eſſes, ei exponerem, pleraque ſecus, atque res eſt, fuiſſe ad te delata. Quae tamen ut ut ſe haberent, pecuniam accipere praeſentis temporis reſpectu dixit uelle ac ſyngrapham, qua debitorum fides liberetur, iam ad nos miſſam arbitror. Hanc me non poſſe latino uocabulo dicere, quamquam turpe eſt, tamen ignoſci mihi poteſt homini tantum in ſcholarum umbris hactenus uerſato, quique nondum in lucem ſua ſtudia proferre, quod facere neceſſe eſt recte ſtudioſo, conatus eſt. Quare tibi, uir clariſſ. magnas gratias habebo, ſi interea, quo nomine id genus συγγραφῆς proprie appellare poſſim, me docueris homo iſtarum rerum et latinarum literarum peritiſſ. itaque a nemine hoc potius quaerere uiſum eſt. Id uero ipſum ut auderem tua non ſemel atque iterum, ſed per mihi ſaepe humanitas cognita ac perſpecta fecit. Qua tu, quaeſo te, uir clariſſ. ne me complecti ceſſes, ego ne parum debita obſeruantia reſpondere uideri queam, pro uirili adnitar. Vale, uir Clariſſ. VIII die Decembr. a. XXV.

XXXXIII.

XXXXIII.

EPISTOLAE VITI BERLERI.

I.

De Italorum ingeniis et ſtudiis, ac praecipue de Bapt. Egnatio.

S. D. Quantam laetitiam uel potius uoluptatem literae mihi tuae attulerint, Bilibalde uir clariſſime, tacitus cogito mecum potius, quam ut ſcripturo mihi uerba nunc ſuccederent. Es tu homo certe humanitate nemini ſecundus, quod ad me, licet longo locorum ſpatio ſeparatum, occupatiſſimus ipſe literarum aliquid dare non intermiſeris, et ita amanter te mihi inſinuaueris, ut nihil ad beneuolentiae cumulum addi poſſe contenderim. Quas, Bilibalde, tibi tanto pro munere grates, quae reddam meritis congrua dona tuis? De Italorum ingeniis non inficias eo, quin illa ſint uegeta et ingenuarum artium ſatis foecunda; non tamen usque adeo in ea re mihi excellere uidentur, ut complures ex noſtratibus, non ſolum non aequare Latialem illam mentis acrimoniam, ſed etiam longo poſt ſe interuallo relinquere uideantur. Peregrinatus ſum iis iam aeſtiuis ſtudiorum uacationibus paulo liberius, mores hominum et urbes propius inſpecturus grammaticos plerosque ſalutaui, audiui non parum multos. Sed quid tum? en (quod pace aliorum dixerim) ſolus Baptiſta Egnatius

in

in Venetorum florentiſſima urbe inuentus eſt, qui graeci latinique ſermonis mira facundia reliquis omnibus longe praeſtabat. Adiutu eius ac opera rariſſima quaeque ac uiſu digniſſima toto quatriduo illic ſum diligentius contemplatus. Fecit is inter loquendum tui ſaepius quam honorificam mentionem ac tandem cum me diſceſſurum pulcherrimo quodam chartaceo munere prius donaſſet, id crebro inculcabat: Bilibaldum tuum, immo meum, immo noſtrum, mi Vite, meo nomine ſalutabis plurimum. Non poteſt dici, Bilibalde, quam homo ille ſine controuerſia doctiſſimus te colat unice obſeruetque reuerenter, quod ideo ſcripſi, ut intelligeres Germaniam noſtram quoad illam ingeniorum beatitatem non in poſtremis collocatam eſſe. Quod ſi, ut ſcribis ueriſſime, Germanis munera, quae Italis, ob doctrinam proponerentur; (quis enim uirtutem complectitur ullam, praemia ſi tollas?) protinus omnia iam eſſent alba; ſed heu nos uentus paſcit, paſcuntque inania uerba ob idque male cum literatis agitur uiris. Deſertae ſunt patronis Muſae. Vix unus ex Germaniae principibus ſtudiis dat molle otium animumque a curis extricat, ut nihil de lodice paranda attonitus aliquid emoliatur, quod poſteris quoque gratiam conciliare poſſit. Sed prohibent me cetera Parcae farique uetat Saturnia Iuno. Quod apud uos literae mirum in modum florere incipiant, gaudeo communi patriae non mediocriter, quandoquidem futurum ſpero, ut tremens iam prope

ac

ac uacillans barbaries intra breue tempus tota pellatur. Quod ut fiat, tui quoque muneris erit, interim autem Luciani libellos, quos parturis ut quam primum enitaris, Lucinam ipſe ſupplex inuocabo, ut opem huic operi pulcherrimo ferat, quo ii qui, manſuetiora ſectantur ſtudia, ex horum foetura fructus capiant uberes atque iucundos. Vale et me ama. Nempe tuus Verlerus eri , dum uita manebit atque tuum nomen tempus in omne colet. Iterum uale. Ticini XVI Septembr. anno XVIIII.

II.

De rebus ſuis nonnihil exponit. 2 Reuchlin. et Hutten. rebus humanis ereptos luget. 3 Diſcordi Germaniae pax reddatur.

Salue. Liberaliſſimi mores candidumque illud pectus tuum, non niſi gratiis ac anicitiae natum, Bilibalde doctiſſime, hoc egerunt nuper, ut ego inſigniter auderem, poſthabito omni pudore, quiddam per literas erubeſcere neſcias, quod praeſens uix expoſtulaſſem, abs te petere fuerim auſus. Tuum erat gnoſcere homini, ſuo ſemet ipſum pede alioqui diligenter metienti; ita mihi omnia tecum garrire inque ſinum tuum libere, quicquid habeam aut curarum aut nugarum effundere licitum putaram. Neque dubito, quin in hanc rem Bilibaldum, hoc eſt, amicum illum, nulla ex parte ceſſatorem, totum effuderis, niſi fortaſſe tanta ſuperſtitione teneatur, ut religio illi ſit in Viti ſui negotio mendaciolis

aliquot abuti. Quod multis iam menſibus ſcribendi ad te officium intermiſerim, neſcio, quibus uerbis ſim cauſam meam acturus, ſi negotia cauſarum (id quod ſolent fere deſides) quando mihi non ſit tantus negotiorum tumultus, quibus undique diſtringar, uereor quam maxime, ne ſi id praetexam, tota ſim cauſſa facile caſurus. Tui mellitiſſimam memoriam obrepſiſſe mihi, quum eorum, quos charos habeas, obliuionem uera amicitia non admittat, non eſt, cur in hac quoque re patrocinium aliunde petere habeam neceſſe. Vnde igitur, inquis, tam diuturnum ſilentium? ſi nec occupationes tuae, quae nullae ſunt, neque ulla obliuio amiciſſimi hominis memoriam tibi excutere potuit? Audi, Bilibalde, id quod ſane res habet, quur enim manifeſta negabo? ſum procraſtinator ita mirificus, ut uix ſit alius quiſpiam, quem mihi in re tam egregia anteferri, nedum conferri, facile patiar. Et ſunt tam alta montium cacumina, quibus medius circumdor, ut annus interim praetereat, quo nullus concedatur ad tam eximios amicos ac patronos literis meis exitus, quos tamen omni officiorum genere proſequi par erat. Vnde uel hoc ſolo nomine locum iſtum male odi, quod perraro occurrant, qui aut hinc ad uos aut iſthinc ad nos commeent. Ita dum maxime officioſus uideri cupio hominibusque bene de me merentibus hac ſaltem re gratificari, quum nihil praeſtatur poſt longiuſculam exſpectationem, fit, ut ii inciuilitatis,

illi

illi uero ingratitudinis me accuſare non ceſſent. Si forte quemadmodum ualeam, quaeris, Deo opt. max. auctore, ſat bene habeo, tibique ſicut optimam, ita longaeuam, ualetudinem imprecor, quo poſſis foecundiſſima animi tui fetura ſtudioſorum diutius locupletare paupertatem. Ego, ſi ſcire cupis, alterum ferme menſem uenationi ita ſtrenue fui deditus, ita in opere alioqui non iniucundo detritus, ut quum ſingulas res diligentius contemplor manumque operi nonnumquam adhibeo, factum eſt, ut uenator ſim iam prope modum bonus et eques non omnino peſſimus. Rides tu fortaſſe, dum ea legis, at rideres, ſat ſcio, multo etiam magis, ſi me equo impigre terram pedibus concutienti inſidentem, ceruumque pleno curſu per inuia quaeque inſequentem uideres. Quo animi aeſtu reuerendiſſimi Bambergenſis eccleſiae olim praeſulis mortem pertulerim, tute me etiam tacente, conſequi potes. Eram tunc Viennae, nulli minus, quam huic rei intentus, ecce! nuncius adeſt, illius mortem et eam quidem ex inciſione nobis ſignificauit. Quo alii animo fuerint, nihil moueor ego, ſit per me ſuum cuique pulchrum; me certe tanto dolore affecit, ut conſolationem fere nullam eſſem aliquam diu admiſſurus. Et quid ni dolerem, Bilibalde mi? onerauerat ille me quondam immodicis promiſſis, ut Carolo, illius ex ſorore nepoti, quocunque proficiſceretur ſtudiorum gratia uel comitem uel ducem potius me ipſum exhi-

hiberem. Et Carolus calcaria, ut id agerem, inceſſanter admouebat. Reuocabar ex Lipſenſi Academia, parebam non ſine maximo meo incommodo, interim uero non aliter, quam Aeneas alter Virgilianus terra iactatus et alto. Quid aliud ſupererat, quam ut tantorum laborum fructum et eum quidem mihi promiſſum demeterem aliquando? tam amplae ſpes mihi perbelle placebant, ſatrapam me eſſe putabam aliquem et aurei montes animo concepti iam me propemodum ferocem reddiderant. Sed (o fallaces hominum ſpes!) eam criſtam mihi depreſſit unius capitis iactura et eſt haec fortunae non mediocris inuidia. Quid de Carolo mihi ſperandum ſit, ne te multis morer, audi, per Muſas et gratias te oro. Erant ſacerdotia illi minuſcula duo, egi cum eo per literas, quantum id fieri potuit, diligentius, fecerunt hoc, me etiam neſciente, amiculi cumplures, ut aetati meae paulatim iam ingraueſcenti conſuleret, poſt tot exantlatos labores, poſt tam diligentem ſibi plerisque annis nauatam operam, par eſſe, ut iam miſſio mihi concedatur, quo liceret per otium poſthac ſtudiis frui. Reſpondit illico: ſe habere iam, quibus ſit eo beneficiorum genere gratificaturus. O gratum diſcipuli pectus! o dubiam, imo nullam potius inter mortales fidem! ita adſunt iſthic uultures, qui multis etiam ante menſibus cadauer aliquod futurum praeſentiant. Vtinam hoc alie-

no

Digitized by Google

o ac non mei ipſius exemplo diligentius prae-
idiſſem.

Quod quum factum non ſit, quis me
rohibet, quin uocem illam ſerae prudentiae
imioque meo incommodo eruptae emittam,
:ilicet: *non ſic putaram.* Diſpeream, niſi cen-
es et eo amplius illud hebraei poetae uatici-
ium mecum tacitus ipſe ſubmurmurauerim,
uo ſerio admonet, ne principibus ac homi-
um filiis confidamus, in quibus nihil eſt
ım firmum, tam ſtabile, tamque durans, quod
on ſit aliquando, et id quidem breui, in tan-
s felicitatum ſomniis emigraturum. Ioannes
.euchlinus, uir ob trium linguarum peritiam 24
nmortalitate dignus, hoc proximo iam men-
: uitam cum morte feliciter commutauit. Id
uod mihi tam acerbum fuit, ut multis annis
ullius hominis digreſſus me diſcruciauerit gra-
ius. Video tamen cum illo optime actum,
uod ab hoc ſaeculo non minus ſcelerato, quam
erumnoſo, ſit plane exemtus. Rumor item
pud nos longe lateque ſparſus eſt, et ita ſpar-
ıs, ut non parum multis fidem iam quoque
ecerit, Vlricum Huttenum, uere nobilem
ıuenem, et hunc quoque diem ſuum obiiſ-
e. Quod ſi res ita habet (ſolet enim
onnunquam rumor et uariare et augere, quod
eſtum eſt), doleo illud ingenium, illam in
itroque dicendi genere felicem uenam tam
nmaturo interitu defeciſſe.

Ita dira fati neceſſitas optima quaeque de-
netit, peioribus usque ad taedium relictis.

Fuit mihi cum homine non uulgaris, neque omnino noua familiaritas, utpote in Lipſenſi olim gymnaſio non poenitendis auſpiciis contracta, ubi quum illic adoleſcentulus ferme bonas literas non omnino infeliciter profiteretur, ita mihi primo ſtatim guſtu placuit, ut ſpem illico de homine conceperim et amplam et raram. Vitio illi uertebatur, quod acerbius non nunquam ſcripſerit, quod conuitia conuitiis accumulauerit, quod pleroſque inſectaretur odio plus quam tragico. Sit ita. Sed prouocatus, ſed iuuenis, ſed non niſi quando calamus incaluerat, qua tamen re neminem maiori, quam ſe ipſum, grauabat inuidia.

Si id uitium eſt, habet id cum multis commune. Non poſſumus omnes Chriſtum et principem et doctorem noſtrum referre, qui maledicentibus non uiciſſim maledixit, ſed pro probris amarulentis ſalutarem nobis doctrinam rependit. Vtcumque ſit, umbris illius tenuem ac ſine pondere terram opto, ſpirantesque crocos et reliqua, quae ſequuntur.
3. Vix credis, Bilibalde mi, quam me horum temporum tumultus offendant. O Dii Deaeque, quae! inſanas uerſat diſcordia mentes itane animus praeceps per omne relabitur facinus? itane ueluti furore quodam perciti in quemcunque obuium repente cornua obuertimus? nonne muti tibi uidentur Germaniae noſtrae principes, qui tales rerum humanarum peſtes tacite ſpectare poſſunt? Ego quum audio illis manus amputatas, hos crudeliſſime occiſos deumque

ho-

hominumque fidem implorare, quid ali-
ud cogitandum eſt, quam Marios Syllasque
ab imis Tartari ſedibus euocatos eſſe? Pom-
peius in iras hinc furit, hinc Caeſar ueſano ac-
cenditur igne. Eſt tanta crudeliſſimorum ho-
minum ſaeuitia, ut pro ſua libidine, qua in
quosque obuios graſſantur, ſatisfactum ſibi
nequaquam putarent, niſi (o rem indignam!)
in miſerarum mulierculrum miſerrima corpu-
ſcula quoque ſaeuirent. Et uidet iſta deus,
nec fulmina torquet ab alto. Iraſci quando
iuſtius ille poteſt. Sic odio plus quam Vatiniano
tumultuamur, quaſi extrema nobis ſpes in eo
ſit collocata, et tamen cum haec agimus,
perbelle Chriſtiani nobis uidemur, quaſi haec
noſtra religio longe quicquam aliud deſideret
magis, quam concordiam, qua ſola
ſublata Chriſtiani non ſumus. Libens
hoc loco ipſemet mihi temperabo, ne
in principes immodeſtius quid proferatur,
quum ſciam, non eſſe rem ludicram, cum
Ioue iocari, quem euocaſſe parum rite con-
ceptis uerbis exitio olim fuit, ſed me miſerae
plebis miſeret et piget quorundam plus quam
turcicae tyrannidis. Franciſcus de Sickungen
ſi Caroli Imperatoris aut conſilio aut iuſſu, id
quod plerique ſuſpicantur, tam atroces ſuſci-
tauit tumultus, habebit fortaſſe, quo ſe ſe tue-
atur; at ſi ſuis ipſe auſpiciis rem tam arduam
ac ſeditioſam tentare fuit auſus, deum mihi
iratum imprecor, niſi haec ſcintilla, tam par-
uo initio coorta, incendium uaſtiſſimum ſit

Digitized by Google

aliquando paritura; ſolet enim, qui fumus eſſe coepit, illico ignis fieri; et talis ignis, qui paullatim irrepens non extinguatur facile; ſolet malum, quod ab initio tam leue negligebatur, ſi ſit auctum, in graue Chriſtianae tranquillitatis diſpendium erumpere tandem. Quum haec et alia tacitus quandoque mecum ipſe cogito, ſoleo uehementer mirari, cur reliquae Germaniae et ciuitates et principes non idem in ſuis regionibus, quod Eluetii populari tantum freti conſilio in ſua terra fauſtiter praeſtant; at ipſi dum publica curant commoda, rem publicam habent pacatam; nos priuatis tantum inhiantes nec publico, nec priuato fruimur ſatis commode. Aut ego mentior, Bilibalde, aut aliquis malus genius bene concordibus animis iratus hunc amarorem rebus humanis infundit. Sed quid ſi flagitia noſtra, quibus Deum quotidie irritamus, haec mereantur, et merentur procul dubio. Neque enim, ut Flaccus ait, per noſtrum patimur ſcelus iracunda Iouem fulmina ponere. Quid alii arbitrentur, diuinare non poſſum. Ego puto principes in hoc iam publico congreſſu nihil omiſſuros, quo huic tam ſanguinolentae tragoediae finem aliquando imponant, cuius ſpectatores muti nimis fortaſſe diu extiterunt. Sed quid tum? ſi conſultent grauiter, exſequantur uero numquam. Concilium indicitur, ſtatuitur locus, diſpiciuntur ſingula, et ea quidem ſolenni quodam ritu, ſed dum in dies alius alium expectat, dum quisque

iter

Digitized by Google

ter adornat ſuum, dum de ordine, quem hic
ut ille conſulendo capiat, longior eſt diſcep-
atio, dum hinc atque hinc in medium con-
ulitur, bona, crede mihi, temporis pars fru-
ſtra effluit; ſed de hoc plura nunc nec licet,
ıec libet ſcribere, quandoquidem illa mihi
neique ſimilibus deplorare tantum, adiuuare
enitus non conceditur, Deus optimus ma-
ximus tales tandem Germaniae principibus
mmittat animos, ut nihil putent eſſe in tota
ita pernicioſius, quam Chriſtianos populos
nutuis inter ſe latrociniis aut bellis digladiari.
nterim uero dum illa aut negligentius tractan-
ur, aut omnino negliguntur; fortaſſe bonos
aucleros imitari praeſtat, qui poſteaquam ma-
e altius ingreſſi ſunt, tanquam ex ſpecula ali-
qua taciti uentos tempeſtatemque ſonoram
ntentius contemplantur, donec coelum ali-
quod ſerenius apparuerit. De negotio Lutheri
ix auſim ſcribere, quae ſentio; ita nunc ui-
les a plerisque ad calumniam trahi ea, quae
inceriſſimo etiam animo ſunt aut ſcripta aut
licta, interpretanturque in eam, quam ipſi
elint, partem, cum quo tamen hominum
enere non pugno, ſint per me unicuique
ibera, modo recta, iudicia. Perlegi nuper
llius libellum in Henricum VIII, Angliae re-
em, editum. Si cui iſte ſcribendi modus
lacet, placeat; nihil improbo aliorum ſen-
entias, mihi certe tam acerba inſectatio cum
n omnibus honeſtis ſtudiis, tum praecipue in
acris probari neque poteſt, neque debet.

Faueo Luthero plurimum, Euangelica lux adeo mihi cordi eſt, ut mihi nullo tempore unquam aliquid fuerit in uotis magis, quam ut negotium hoc, qualitercunque ſit coeptum, in Ieſu Chriſti ac euangelicae ueritatis gloriam cedat. En! habes literas bene longas, Bilibalde, quibus praeteriti temporis ſilentium nimia loquacitate, ut puto, egregie compenſaui. Extorſit has partim rei indignitas, partim uero humanitas illa tua humaniſſima, qua fretus nihil non mihi licere tecum putabo, quas tamen non recuſo, quo minus damnes, imo ne legas quidem, ſi ita ſit commodum. Hunc modo meum tam propenſum in te animum non improbes. Quod ſi te id facturum animaduertero, ſat pulchre procedit; ſin gratiam etiam iniero, felicitatis me partem aſſequutum putabo. Vale, uir incomparabilis. Ex Wieſenſteiga VIII die Octobr. a. 1522.

Vitus Berlerus ex animo ac toto pectore tuus

XXXXIIII.

EPISTOLAE IAC. MONTANI.

Coenobii Moilenbecc. cauſam afflictam commendat Bilibaldo.

Sal. d. pl. Et theologiam Gregorii et literas tuas ſuauiſſimas accepi, reſiduum quoque infandi calculi. Habeo tibi gratias agoque immortales, qui me et arctiſſima dilectione complecteris, et muneribus tuis

uis dignum exiſtimas. Quo fit, ut euulgata iam ac celebri nomine propagata, qua ne proſequeris beneuolentia, paſſim ii, qui ope conſilii tui indigent, ſe tibi per me commendari deſiderent. Inter quos regulares coenobitae ſunt tribus tantummodo hinc milliaribus diſſiti, mihique ſingulari perpetuaque amicitia deuincti, quorum coenobium uulgari lingua Moilenbeck nominatur. Ii cum ſint maximis Caeſarum priuilegiis dotati, quibus recte legitimeque ad hanc usque diem ſunt uſi, ita ut nemini fraudi fuerit, tales Dei ſeruos habuiſſe uicinos, nihilo tamen ſegnius quidam in uicinia degens, e magnatum genere, contemptis maximorum principum praerogatiuis, poſthabita iuſtitia, excluſo Dei timore, omni ſpreta ratione, conculcatis literarum, ſigillorum, ac federum munimentis, denique diuinis humaniſque legibus funeſtiſſime ſupplantatis, ueluti alter Catilina ſeu potius Sylla bona quaedam non modicae aeſtimationis, quae ad praefatos coenobitas euidenti ac longaeuo iure pertinuerunt, hoſtiliter crudeliterque inuaſit, diripuit, ac ſibimet in poſſeſſionem tyrannicam uendicauit. Super qua uiolentia cum frequenter principum ac comitum noſtratium auctoritate atque prudentia res coepta ſit componi; nihil tamen effici potuit hoſtis peruicacia. Proinde cum deſperata ſit apud nos cauſae huius emendatio, tribunal Caeſareae maieſtatis adire, eiusque maximum robur implorare, praedictis coenobitis cordi eſt. Cuius rei cauſa tabellarius hic noſter iſtuc miſſus eſt, qui mi-

ci-

Digitized by Google

ſeram tibi tragoediam diffuſius exponet, incipiendaeque apud Gaeſareanum iudicem liti neceſſaria comportet. Tu, uelim, pro tua erga me integerrima caritate, infeliciſſimae cauſae per opem conſilii tui eatenus aſſiſtas, quatenus id te iure facere poſſe animaduerteris. Noſter hic Mercurius multa tibi ſuggeret expendendae liquido cauſae opportuna, quae literis exarare nimis longum foret. Sentiant, quaeſo, amici, quid mea cauſa facere, tum pro ſapientia ſcias, tum pro auctoritate poſſis. Nihil abs te impendii deſideratur, quo crumena tua uel uno ſaltem quadrante damnum faciat, conſilii duntaxat tui ſingularis expetitur prudentia, quam mihi meisque amicis ea fide expoſitam eſſe credo, ut maiore nequeam. Ob id prolixior eſſe in ſcribendo ſuperſedebo, ne et fidei erga te meae integritatem conuellam, et te maioribus curis implicitum diſtinere dicar. Vale feliciter in Chriſto Ieſu. Ex Heruordia ſexto idus februarii anno ſalutis noſtrae 1524

II.

Adoptionem amici alicuius, beneficii conſequendi cauſſa, confirmari optat.

S. D. P. Lator praeſentium, Doctor emerite, filius eſt cuiusdam magni amici mei, adoptatus ab eo in adiutorem (quemadmodum mos eſt facere papiſticis) et curatorem cuiusdam beneficioli, quod amicus ille meus poſſidet, ſed ob incurabilem, quo laborat, morbum, rite curare non poteſt, morti uicinior, quam uitae, atque ob id praeſen-

ſentium latori commodaturus eundem iſtuc miſit, confirmandae iſtiusmodi adoptionis et electionis gratia, ſi quo modo licite impetrari uel ab Cardinali uel a Caeſaris legato poſſet, id quod in eum finem, ut poſt mortem amici illius mei lator praeſentium uacans taliter beneficiolum retinere ac poſſidere, praeuio confirmatus priuilegio, ualeat. Equidem, mi Cariſſime Doctor, etſi neſcius non ſum, eum inſtituendi modum in centum illis articulis (ſi rite memini) non admodum probari; tamen amicis urgentiſſime inſtantibus obſequium denegare non potui, ſcientibus, me tibi cariſſimum eſſe, itemque perſuaſis, meas apud te preces ualere plurimum. Itaque ut conſilii tui induſtriam exploratiſſimam huic negotiolo paulisper accommodes, te uehementer rogo, rogaturus uehementius, ſi quouis modo de tua erga me fide ambiguus eſſem. Vale feliciter in Chriſto IEſu. Ex Heruordia Weſtphaliae. Kalend. Aprilibus anno ſalutis noſtrae 1524.

III.

Reformationis negotium Noribergae impediri audit. Heruordiae lux euangelica exoritur.

S. D. P. Tardante nuncio, atque in colligendis ſarcinulis reculisque ſuis componendis longiores nectente moras, alia ſuccurrunt ſcribenda. Ferunt, coeptam apud uos ſanctioris uitae reformationem, intercedente uulgo, in priſtinum recidiſſe morem. Id ſi ueritati contrarium eſt, peto mihi transmitti

mitti aliquod eiuſce reformationis exemplaria latina, ſi ſunt; ſin minus, uernacula, id eſt, duo aut tria. Audio quoque iſtic uenales proſtare libros polyphoniae muſicalis, quem cantum menſuralem uulgo uocant. Id ſi ita eſt, precor, me participem fieri quatuor uocum in totidem libellis excuſarum. Soleo enim nonnunquam eo genere animum longo feſſum ſtudio, refocillare, atque in priſtinam reponere alacritatem. Pretium, quod aſſignabis, de paupertatula mea libens perſoluam. Opuſcula quoque tua, recenter abs te interpretata, miro expectamus deſiderio. Verbum Dei, quantum coniectare poſſum, hac in urbe paulatim exoriri, atque ad nouam reformationem tendere uidetur, neque id ſine perſecutionis euentu, quae mihi, dum haec ſcriberem, cudebatur. Quae ſi procedet, prout inimicocorum crucis Chriſti rabies minatur, uideo fore, ut hinc cedam, quoad res et temporum ratio poſtulabit. Quid, ſi tum Bilibaldum meum inuiſerem, et eius humanitate perfruerer, eidemque parilibus ſtudiis ſolatio eſſem? Sed quid facio demens, qui amicum ultro ſeſe ac liberaliter offerentem ſatisque munificentiae partes implentem grauius onero? Faxit Deus, ut, quod euenturum eſt, in Chriſti nomine bene contingat. Vale feliciter in Chriſto IEſu. Ex Heruordia Calendis Februarii anno ſalutis noſtrae 1525.

Digitized by Google

IIII.

Commendat Bilib. impenſe magiſtrum quendam artium, medicinae cultorem.

Sal. D. Pl. Periucundae mihi fuerunt literae tuae, grata quoque librorum munera. Dici non poteſt, Doctor emerite, quantum admiretur tabellarius tuam erga me beneuolentiam, ita (inquiens) amanter interrogabat, accurateque ac ſolicite diſquirebat, quid ageret Iacobus, quo in ſtatu foret, qui ualeret, ut ſi filius etiam eſſet, arctius amari non poſſet. Ago tibi gratias, quas poſſum confertiſſimas, pro tam ingenti bonitate in me tua, cui parem rependere uiciſſitudinem omnino deſpero. Ceterum cum iam ex tuis ad me literis plurimi te amare inceperint, qui antea de te uel ſcriptis tuis nihil cognouerant. Singulari tamen naturae felicioris ductu, et admirabili ardore inſtinctus hic nuntius, qui tibi has meas pertulit literas, adeo in te propenſus eſt, ut cum uterque te amemus, neuter tamen alteri in te amando conceſſurus eſſe uideatur. Is itaque inſignis artium liberalium magiſter apud Erphordiam aliquot annis diuerſatus eſt, ubi medicinae quoque adeo diligentur nauauit operam, ut neminem ex adoleſcentibus in ea profeſſione ſimilem ei uiderim. Ne autem ibidem continuaret incoatum medendi ſtudium, ad quod mira dexteritate naturae dirigitur, duae res effecerunt. Parentum ſcilicet inopia et abrogatio Gymnaſii. Interceſſit inuidia quoque, de qua praeſens ipſe tibi re-

relaturus eſt. Quae quidem ſi non interueniſſet, pauxillum adhuc opis pro continuando ſtudio ad annui temporis ſpatium uel paulo amplius forſitan ſuppetiuiſſet; at nunc obtinente liuore innocens adoleſcens ab ſpe conceptae frugis deiectus ac omni praeſidio deſtitutus, ſeruire doctis ſtatuit, ſi quo tandem modo emergere, ac meliore conditione frui queat. Optaret autem uel apud medicum quempiam, uel apud pharmacopolam agere, ubi ex ſedulitate miniſterii et familiaritate patrisfamilias ingenii quoque dotibus deſideratus poſſet accreſcere prouentus. Omnium uero exoptatiſſimum et mihi et illi foret, ſi ita ſors ferret, ut praeſtantiſſimae dignitati tuae miniſtrare dignus uideretur. Videres, hominem ad tua reſpondere uota, ſeſeque felicem reputare, qui tuos calceare pedes poſſet. Quis ſcit, an diuina prouidentia per huiusmodi occaſionem aptum ſenectuti tuae ſolatium deſtinet, doctum ſcil. exceptorem et amatorem ſinceriſſimum. Itaque te, mi Bilibalde, cumulatiſſime rogo, uti adoleſcentem optimae ſpei deſtinatum, diſcipulum olim meum ac ſingulari mihi amicitia deuinctum, commendatum habeas promoueasque, ſi ullo modo uſque promoueri poteſt. Ego profecto mihi impenſum putabo, quicquid in illum abs te fuerit collatum.

Inuitus profecto feci, ut hoc tam infauſto tempore tuam praeſtantiam officio tam difficili onerarem, ſed tantus eſt adoleſcentis

in

in te amor, tanta fiducia, tantum ſtudium, ut neque prolixitate itineris, neque penuria uiatici, neque denunciatione ueſtratis belli dehortari eum potuerim, ne me cogeret, ut tibi moleſtus eſſem, cum me ſciam imparem meritis tuis eſſe. Proinde cum ita ſors tulerit, et in has ſim neceſſitatis inſinuatus anguſtias, ut non poſſim non commendare principi amico ſincerae fidei amicum, oro te per omnia amicitiae iura perque uiſcera diuinae bonitatis, uti iuues hominem humanitate tua dignum, ſisque illi patris loco, quem ille, poſt parentes, ſupra mortales uniuerſos et amare et percolere decreuit. Ita enim fiet, ut et ille deſiderata fruatur ope, et ego me haud fruſtra ſcripſiſſe gaudeam. De rebus iſta meis habeto. Quae in me cudebatur perſecutio, ea nunc, Chriſto ſuum defendente uerbum, nonnihil deferbuit, uireſque amiſit. Studiis ergo continuandis pulchre, Deo fauente, conſultum eſt. Gallorum regem ab Caeſare bello uictum captumque eſſe atque in Auſtriam miſſum, conſtans fama eſt, iamque arma toti Franciae prope diem magno apparatu inferenda comparari. Sic Chriſtiani, Chriſti nomine inſigniti, Chriſtum ſequuntur. Valetudinem tuam, fac cures diligenter, quam et ego una cum animae tuae ſalute quotidiano pertinacique precatu Chriſto commendare non deſiſto. Vale feliciter in Chriſto Ieſu. Ex Heruordia ſexto Kalendas Aprilis anno ſalutis noſtrae 1525.

V.

Euangelii cauſſa lente agitur. Fauet eidem epiſc. Leodienſ.

Res noſtrae mira uarietate uoluuntur; ita nimirum uariante uulgi ſententia, ut uideatur uerbum Dei iamiam prodire uelle, facereque illud, ad quod ab coeleſti patre emiſſum eſt. Intercedit tamen neſcio quae lentitudo, occulto quidem, ſed terribili Dei iudicio, ne celeriter fiat, quod iam diu factum oportuerat eſſe. Varii motus afferuntur ex Galliis, capto rege Franciae, et occiſo duce Lotaringiae. Leodienſe quoque territorium nouae reformationis inſtitutum iuxta euangelicam formam meditari dicitur, epiſcopo eius loci uiro doctiſſimo aſpirante, ac uerbum Dei per ſemet et pure diligenterque praedicante. ita profecto uidetur diuerſis in locis uerbum Dei, uelut ignis aedibus paſſim ſubditus, exoriri, atque nunc iſto, nunc illo igniculos ſuos loco expromere eiacularique. Orandus igitur nobis Deus eſt, ne auferat de ore noſtro uerbum ueritatis usque quaque, ſed ueſociter emittat illud et liquefacto corde noſtro totos ſuae nos religioni addicat. Vale feliciter in Chriſto. Ex Heruordia quinto Idus Aprilis. Anno ſalutis noſtrae 1525.

VI.

Oecolampadio ſuccenſet. Librum quemdam excudendum mittit.

S. D. P. Librum tuum, Clariſſime Bilibalde, quo caecutienti reſpondes Oecolam-

lampadio ſtudioſe legimus fautores tui, miramurque in homine doctiſſimo tantas ineſſe tenebras, ut ſimiles inueniri potuiſſe, ne ipſe quidem ante quinquennium credidiſſet. Verum quia iudicia Dei abysſus multa, et non eſt currentis, neque uolentis, ſed miſerentis Dei, agamus nos Deo gratias, quod ſua nos luce colluſtrauit, precemurque errantibus ueniam et miſericordiam. Honorificam tui nominis mentionem Lutherus facit in eo libro, quem ante aliquot menſes edidit aduerſus phanaticos ſpiritus Zwinglii et Oecolampadii, ubi huius in te illiberaliter graſſantis iniquitatem ſatis declarat. Tu (quae tua comitas eſt) graſſatorem Thraſonem fortiter excipies, et exceptum (uti feciſti) in triumphum duces. Dominus dabit tibi os et ſapientiam, cui reſiſtere ne ipſe quidem Sathan poſſet. Mitto tibi uolumen de auctoritate uerbi Dei, quem, precor, chalcographis ueſtratibus (ſi ullo modo potes) excudendum tradas, id quod apud nos certis ex cauſis fieri non poteſt. Labor noſter eſt, quem ſine ulla mentione nominis noſtri in publicum exire cupimus, tum ut Dei uerbum ſolummodo loquatur, tum ob declinandam excelſiſſimorum magnatum inuidiam, apud quos nomen Montani, tamquam haeretici hominis, mire foetet. Sic enim et uerbum Dei liberrimo gradu incedet, et ego interim in pace utcumque agens, alia, quae promotioni chriſtianae pietatis conducunt, meditari ualebo. Tu ſi quid tuo nomine breuiter prae-

ſcribere uoles ad lectorem, pro ut libet, facito, modo nomen meum ne prodatur. Grauari autem expenſas tuas hac in parte penitus nolim, ſi gratuito fieri nequit, ob uendibilis rei naturam, qua ſolent excuſores potiſſimum incitari. Alioqui remitti ad me archetypum, quam uel te onerari, uel nauſeantium impreſſorum ronchos et faſtidia pati malim, niſi aliter tibi fuerit uiſum. Tum enim ex tuo conſilio res omnis pendebit. Cura, quaeſo, ualetudinem diligenter, quam ego altiſſimo Deo quotidie commendare non deſiſto. Tragoedias Senecae audio apud Wittenbergam emendatiſſimo charactere uenum proſtare. Eae ſi iſtic uenales forent, quandoquidem illuc profecturus hoc tempore nuncius ſeſe nequaquam offert, eas mihi utpote ſummopere neceſſarias, coemi atque transmitti, aſſignato pariter pretio, quod alias bona fide perſoluam, optarim. Vale feliciter in Chriſto Ieſu. Ex Heruordia quinto idus quintiles anno ſalutis noſtrae 1527.

VII.

Anabaptiſtae uexant Noribergae Euangelii negotium. De Nazianzeni orationibus.

S. D. P. Literas tuas, Doctor celebratiſſime Bilibalde, laetus accepi, utpote diu et ardenter expectatas. Quod enim auide praeſtolamur, id iucundius, ueluti unguibus inuolando, aſſumimus. Valitudinem tuam, quae me tecum male habet (ut uideo) ita compoſito fers animo, uti uafro deſcribis ſtilo.

Nam

Nam more conſueto cum te ſcribis ualere, hoc eſt, aegrotare, quid aliud, quam animum tibi in Chriſto bene pacatum eſſe, tam libero animo, quam uafro eloquio demonſtras? Euangelii negotium iſtic anabaptiſtarum inſania diuexatur, atque (ut ſcribis) in dies magis inualeſcit perſequentium illud rebellio. Bene habet. Conualeſcit apud uos ſub inuolucro perſecutonis uerbum Dei et quo plus opprimitur, hoc minus a profectu impeditur. Nullo enim modo impugnaretur, ſi non adeſſet: quemadmodum et bellum ibi nullum eſt, ubi nullus comparet hoſtis. Quod ſi foris non ita, ut deſideramus, optatae frugis opulentia reſpondet, intus tamen egreſſum de ore diuini patris uerbum promiſſae uirtutis expers, Eſaia teſte, nullo modo permanebit; facile in nobis huiusce occultae frugis fidem interturbant ſcandala, quae Chriſtus neceſſario eſſe uentura, et haereſes, quas Paulus eſſe oportere tradit. Vt haec ita de uobis ſentiam, facit praeclarum ſenatus ueſtri edictum, quod nuperrime in lucem prodiit, faciunt inſigniter docti aliquot, ſub te Apolline, uiri, qui et iuuere hactenus, et iuuare deinceps remp. Chriſtianae pietatis poſſunt. Quocirca et ipſe bonae ſpei plenus ſum, et te bene ſperare hortor. Orationes Nazianzeni contra Iulianum, te interprete, in latinum uerſas, tuo munere olim accepi. Primum opus tuum contra Oecolampadium in defenſionem euchariſtiae dum paſſim rapientibus hinc inde amicis permitto,

perdidi. Aegrum ob id animum ac penitiſſime dolentem, altero transmiſſo conſolaberis. Sub incude cetera, quae habes, impatienter expecto. Hermannus ille medicus et medici filius, quem tu olim mea cauſa intra aedes tuas aluiſti, apud Hildenſemenſium urbem, defuncti medici, felici omine, opulentam ſortitus eſt uxorem. Vir quidam patricii ſanguinis apud Monaſterienſes degit, Arnoldus Bellholtius nomine, qui erga ſcripta tua miro fertur afficiturque ardore. Is cum tuam ad me proxime datam epiſtolam legiſſet, ita ardenter deſiderare coepit praedictas Nazianzeni orationes, ut ipſe neceſſe haberem id tibi literis ſignificare, ut hominem tuo dignum amore, tam deſiderato munere, demereri in animum induceres. Tu, quod ratio ſuadebit, haud dubie facturus es. Vale feliciter. Ex Heruordia quinto idus apriles anno ſalutis noſtrae 1529.

XXXXV.

EPISTOLA BALTHAS. DE WALTKIRCH VICECANCELL. IMP.

Pro muneribus gratias agit ad officia quaevis paratus.

Magn. Dom. amice chariſſ. Salutem et commendat. A tempore, quo D. tuam in diaeta imperiali Treuirenſi cognoui et inde Lucem-

cemburgii, ubi, quod adhuc memoria teneo, Salmonis capite me donauerat, ſemper mihi iucunda fuit eius conſuetudinis recordatio, quam etiam praeclarae ipſius uirtutis et ſummae doctrinae praeconium in dies iucundiorem effecere. Vnde uenit, quod nihil magis optarim, cum hic fui, quam ipſam inuiſere et dulciſſima eius perfrui praeſentia, ſed quia propter negotia et cauſas, quae me ita retinuere domi, ut pedem extra hoſpitium non mouerim, deſiderio meo non potuit ſatisfieri; quocirca praeſtantia tua id aequanimiter mecum ferat, nec minus animi, quam corporis aeſtimet praeſentiam. Pro pulcherrimo poculo deaurato, quod dono miſit D. tua non plane ſcio, quid referam, dum et munus et donantis erga me uoluntatem conſidero, niſi gratiſſimi animi mei promptitudinem, quam opere potius, quam uerbis declarare et occaſionem mihi dari cupio, qua meum experiatur ſtudium. Proinde ſi qua in re opera mea praeſtantiae tuae uel apud Caeſaream Maieſtatem, uel Sereniſſimum regem Ferdinandum ſeu quouis alio in loco uſui eſſe poterit, id mihi ſcribat aut ſignificet iam per Sebaldum Geyder, eius propinquum, mihi intimum, qui me comitabitur, et efficere curabo, ut re ipſa percipiat, quam cupiam ipſi gratificari. Et cum his me D. tuae defero, quam Dei benignitas longaeuam conſeruet et incolumem. Ex hoſpitio meo. Nurembergae die 8 Auguſt anno domini 1528.

XXXXVI.

EPISTOLAE IOANN. DE WIRSBERCH DECANI EYSTETTENSIS.

De libellis Bilib. in Oecolampad.

I.

S. V. P. Nihil muneris, praeſtantiſſime Domine Wilibalde, potuit mihi hoc tempore gratius offerri, quam hi tui in Oecolampadianas inſanias replicatorii libelli, quorum tres praeteritis diebus, me abſente, ad aedes meas delati fuere, e quibus unum reuerendiſſ. Dom. Eyſtettenſi, ſecundum Priori in Rebdorf tua ex parte, uti iuſſeras, obtuli, tertius uero, ut inter nos contractae amicitiae ſit aeternum pignus, a me praecipuus obſeruatur, quem, cum otium nactus fuero, quod interea non eſt datum, ſinceriter legam. Clementiſſimus Seruator noſter, cuius negotium agis, praeſtet, ut exploſis podagrae aliquantum ſtimulis, aequa fruaris corporis ſanitate, quo Chriſtianae reipublicae iam iam fluctuanti facilius tuo tibi tradito talento auxilia feras ſalubriora. Poſtremo uelim tibi perſuadeas, nihil eſſe, quod tui gratia non ſim quam ſtudioſiſſime facturus. Vale ex Eyſtett, die 26 Februarii 1527.

II.

S. V. P. Literas D. V. de data 8 Septembr. una cum epiſtola in Oecolampadi-

dium, mea et quorundam bonorum uirorum opinione, non minus doctam, quam neceſſariam iterum a V. D. emiſſam, hodie per quendam tabellarium mihi redditam habui, quam tamen his praeteritis diebus Auguſtae in manibus quorundam amicorum deprehenſam prius legeram; etſi quibusdam uidebatur V. D. a meta legitimae defenſionis exceſſiſſe, ego tamen nulla ratione poſſum hoc V. D. improbare conſilium, quo temerarii hominis compeſcere ſtudet audaciam. Ex Eyſtett. die 13 Septemb. 1527

XXXXVII.

EPISTOLA GEORG. SPORERI, CONCIONATORIS VORCHHEIMENS.

Beneficia a Bilib. accepta grato animo celebrat. Vxorem ducere recuſat.

S. D. Georgius Harthman, presbyter honoratus, cum hisce diebus, patriam conſanguineosque ſuos uiſitaturus, ad oppidum Vorchheim ueniſſet, Bilibalde doctiſſime, me tuo nomine adiit, atque plurimum ſaluere iuſſit, mihique Gregorii Nazianzeni theologi orationes duas, a tua Excellentia ex graeco in latinum uerſas, quas dono miſiſti, praeſentauit, quas et ipſe ſummo cum gaudio accepi. Nec profecto ſcio, quid optatius, quidue iucundius hoc tempore mihi contingere potuiſſet. Quando igitur accipio, tuam humani-

tatem mei adhuc memorem eſſe, cuius et ipſe in hanc usque diem immemor nunquam extiti: non potui mihi moderari, quin ſaltem breui uerborum complexu ad eum perſcriberem, qui de me quam optime meritus ſit. Ceterum cum temporis anguſtia uetet, omnia ſcriptis complecti, quae tecum colloqui animus geſtit, nec tuto literis omnia credenda ſint, praecipue hoc noſtro tempore, ubi quaeuis et pia et ſancta uituperonum calumniis obnoxia ſunt; in praeſentiarum tibi gratias ago atque habeo maximas, ob tuum ſolicitum, et bene in me affectum animum, quem prae te tuliſti, et in multis liquido commonſtraſti; haud enim oblitus ſum, quanta olim, dum Eſchenavv paſtoris officio fungerer, beneficia in me contuliſti, et quantam mihi beneuolentiam oſtendiſti, quorum omnium nulla unquam apud me obliuio erit. Nec, etiam ſi uellem, quod abſit, eorum obliuiſci poſſem. Non enim humeris illa, ſed pectore, domicilio mentis, incluſa geſto. Et quoniam uideo, te uirum ornatiſſimum, etſi aetate ingraueſcentem, aegritudinibusque uariis oppreſſum, graecae adhuc literaturae operam dare, ac communi legentium utilitati conſulere, non poſſum profecto non laudare bonitatem ingenii tui, praecipue cum id agas, ut non tibi ſoli, ſed ceteris quoque mortalibus natus uidearis. Deus Opt. Max. conſeruet, augeatque talentum, tuae humanitati diuinitus traditum, ut cum gaudio quandoque audias: Euge! ſerue bo-

Digitized by Google

bone et fidelis, quia in modico fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui, Amen.

De uxore ducenda, quod perurbane iocatus es, in mentem uenit, quod ſapientes quidam olim dubitabant, an ſapientis eſſet, ducere uxorem. Itaque et ego cum dubitantibus diutius pie dubitabo, an prudentis ſacerdotis ſit, uxorem ducere. Nolo tamen eos, qui iam duxerint, iudicare. Ego, quantum ad me attinet, uxorem non ducam, quia poenitere tanti non emam. Haec ut bono animo ſuſcipias, ac in meliorem interpreteris partem, etiam atque etiam rogo. Si prae ceteris negotiis tuis tibi licuerit, obſecro, ut ſuauiſſimis literis tuis me indignum diſcipulum tuum, iam uariis laboribus obrutum, quandoque ſoleris. Valeat bene tua excellentia, cui me commendo. Datae Vorcheim, anno a natali chriſtiano 1528 die uero Lunae, quinta Octobr.

XXXXVIII.

EPISTOLA MICH. CHREBERII, S. CRVCIS CANONICI, STVTGART.

Fratris ſupremum fatum nunciat.

In Chriſto IEſu ſalutem, gratiam et ſuam memoriam.

Me ſaepe adhortatns eſt frater meus Leonhardus, dum mecum ageret, ut tuam

Ex-

Excellentiam meis ſcriptis incultis uiſitarem, Ornatiſſ. ac humaniſſ. Bilibalde. At ueritus ſemper, ne minus opportune uenirent litterae meae ad te, uirum omnium occupatiſſimum, et qui a tota ciuitate nobiliſſ. Noricorum, ceu aſylum quoddam tum diuinae, tum humanae ſapientiae prudentiaeque ueneratur. Modo uero, optimi ſenii pater, iudicium Dei ac communis naturae ordo me cogit, tuae Dom. ſignificare ea, quae uix prae lachrimis exarare poſſum. Vicesimo ſeptimo enim die Auguſti, ſuperioris aeſtatis, chariſſimus idemque ſemper amantiſſimus frater meus Leonardus Chreberius iunior extremum diem clauſit, ac ſpiritum ſuum in manus Dei omnipotentis commendauit, in ciuitate Vngariae prouinciae Offen, ubi praeterita aeſtate ſcribam militarem ſub rege et archiduce Ferdinando, diſcendi gratia, egit, quem morbus ille, qui a medicis appellatur, aduſtio colli, *die Breune*, cum pleriſque aliis uiris egregiis, interemit Aetermo Dei iudicio ſic praedeſtinatum. Cuius pia anima requieſcat cum beatis. Id nobis per conterraneos ſuos certo ſignificatum eſt, tum eius bellandi induſtria, aliarumque rerum experientia mire laudata. Proinde, Clariſſime Domine, quem tu olim tam paterne fouiſti, inſtituiſti, et ut natum tuum unicum aluiſti, modo in Chriſto dormit. Spero maxime, ſtudium inſtitutionis tuae, quo in eum tam pie uſus es, non omnino periiſſe, ſed coram Deo optimo et clementiſſ. certam ſuam ha-

habere mercedem. Iuſtus enim quacumque morte praeoccupatus fuerit, inquit Sapiens 4 capite, in refrigerio erit. Placens Deo, factus dilectus, et uiuens inter peccatores, translatus eſt. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius. Decreuerat in animo ſuo bonus iuuenis, me ad futuram hiemen uiſitare, ſuosque parentes ſuo aduentu ſalutare; aliter autem Domino Deo uiſum eſt, cuius uoluntati diuinae nullus mortalium reſiſtere poteſt. Sit nomen domini benedictum. Siue enim uiuimus, ſiue morimur, Domini ſumus, inquit Apoſtolus. Ceterum Clariſ. Domine, rogo ac obſecro tuam humanitatem, ut ſiquid rerum fratris mei defuncti penes te eſſet (puto arcam ut olim retulit mihi), uelis eam per Andream Ruttell, famulum tuum etiam mei amantiſſimum, ad me curare. Scio lubens faciat, ut aut ad Eslingam aut ad Studgardiam ueniat per uecturam aliquam certam. Id obſequii in aeternum non obliuiſcar precibus meis, quas in dies habeo ad Deum miſericordiſ. patrem. Nouarum rerum nihil apud nos eſt praeterquam caritas ferme omnium frumentorum. Et uina pretio magno uenduntur praeſertim uetera. Plauſtrum uini uenditur pro XLII fl. dum modius tritici pro 18 ſs. Scit Andreas, quid contineat modius. Similiter et lumina et ſagimen in dies carius emitur. Sic nos Dominus uariis flagellis uiſitat ſemper, ut tandem erubeſcere incipiat populus ſuus cum propheta Ieremia. Gratia Domini tecum,

Vir

Digitized by Google

Vir integerrime, qui te nobis ſeruet ab omni malo. Amen Stutgardiae 2 Nouemb. anno Chriſti M. D. XXVII.

XXXXVIIII.

EPISTOLA IOANN. ÆSTICAMPIANI, THEOLOG. DOCT.

Libros quosdam ut Bilibaldus ipſi coemendos curet, rogat.

Salutem dicit. Opera tua uel potius officio perquamhumano, Bilibalde patrone honeſtiſſime, utar quam libentiſſime, quippe cum nullum magis ſolertem, magisque idoneum ad id negotium deligere potuiſſem, modo non reueritus primum eſſem in te grauitatem ſenatoriam, etiam ſententiarum et rerum, et quidem florentiſſime ſaepenumero dicendarum, adhaeç interpretandi transferendique rationem ac ſedulitatem, quae tamen, ut uideo, omnia cedunt liberali amici tenuioris officio, qua benignitate facilitateque tua non laetari admodum non poſſum. Renouabo igitur librorum coemendorum auctores. Suidas atque Lucianus, Demoſthenis orationes, Homerus et literae, quas uocant, Florentinae (nam Aldi non habeo) et Gregorii Nazianzeni opuſcula aere meo coemantur, Lipſiamque recta aut huc ſtatim, ſi fieri poteſt, mittantur. Pretium, cuicumque negotium dederis, gratuito remunerabo ac tamen beneficium

ficium rependi curabo. Vale feciliter, cum Doctore autem Scheurlo uel patris tui cauſſa in gratiam redi, etenim non amat ciues inter ſe diſſidentes, mihi quoque rem facturus pergratam; condiſcipulus enim meus Bononiae olim fuit et inter patronos meos ſemper recenſendus. Vittenbergae dat. die S. Iulianae uirginis, a. Dom. XVIIII.

L.

EPISTOLA IOHANN. OECOLAMPADII.

De Denckii fama ſiniſtra certior fieri cupit.

Gratiam et pacem a Domino. Si bene proſpereque tecum, eſt, quod gaudeo, mi Billibalde. Fert fama mira quaedam de Denckio, quem neſcio, an ultra debeam dicere, noſtro; certe non eſt mihi adhuc credibile, illum talem uirum, quem profecto ſi ſuſpicari licuiſſet, minus dextre functurum prouincia, neutiquam commendaſſem tam officioſe. Quodſi in homine falſus ſum, non tamen Chriſtiani officium denegaui. Multa et prophetas latuerunt, quid mirum, ſi et nos peccatores. Oro per noſtram amicitiam, ut ſciam, quare exactus ſit ab urbe ueſtra. Vale, uocant me campanae. Dominica quinquag. Baſileae.

II.

Ad BILLIBALDVM PYRCKHAYMER, Conſiliarium Caeſareum, Senatorem et Patricium Norimbergenſem, Io. Oecolampadii in Nemeſin Theophili prologus.

Pa-

Patrone Muſarum, decusque Noricae
Inſigne gentis, Billibalde, candidus
Adeſto ſpectator, tragoediae recens
Natae, tuique nominis fulgoribus
Ab aemulorum dentibus mordacium,
Tirinthii inſtar, nuncupatam uindica.
Iucundioribus quidem tu dignior,
Sed interim ne ſpreueris munuſculum,
Locupletior donaria inferam aurea.
Vide interim, quod pectus et quae mens tibi
Se ſe dicent, quam caſta, quam ſincera ſit.
Non ſpectat, ut plerisque mos eſt, commodum
Praeter neceſſitudinem. Virtus tua
Ingens, mihi ſe ſe offerens ſemper, facit,
Vt te patronum haud poenitendum deligam,
Nec his adhortor, quo periclitantibus
Virtutibusque ac Luteris feras opem.
Tute ipſe curris, uellicare aurem haud opus.
Omnes enim legunt, ut optimi ſenis
Et innocentis urbe et orbe teſtibus,
Reuchlins, diſertus uberi facundia
Obnixe agas rem. Nec modo procudimus
Εγκωμιαςικὸν tuis par laudibus.
Iam ſi qua ſpes lucri placet, uere unica haec,
Quum laxior cothurnus haud ſit anxius,
Animi impetum quibus eloquatur uerbulis,
Saepe et προσῆκον amans, ſonat blaſphemias,
Deſperet, omniumque mores improbet,
Vanos et inuidos abhorrens Zoilos,
Quaerit patronum et eloquentem et candidum,

Qua-

Qualem, colende Billibalde, plurimis
E millibus te ſeligo, qui candidus
Sis et diſertus. Carpet alter ethnicos
Induci in aedem altiſſimo deo ſacram,
Notabit alter in theatro Theologum,
Et carminis quaerendum erat aliud genus,
Nouitas et ipſa concitabit aemulos,
Et fabulae immutatio, quin fabulam
Dixiſſe, quam putant receptam hiſtoriam,
Crimen uidebitur, nihil Momis enim
Satis eſt ineptis, maxime aeuo hoc perdito.
Nos nec μυ reſpondebimus, freti tua
Praeſtantia. Spectator adſis, prodeunt
Cacodaemones, agunt tragoediam. Faue.

LI.

EPISTOLA TRANQVILLI PARTHENII.

I.

Aduerſa fortuna iactatur.

Crebro memoria mihi repetenti tuam ſingularem beneuolentiam, qua me nuper es complexus, quum iſtac iter facerem, teſtimonio atque commendatione dumtaxat Viti Verleri, uiri optimi meique amantiſſimi et tui obſeruantiſſimi, obrepere non parua ſolicitudo ſolet, quae me dies atque noctes exagitat, quod tuo liberaliſſimo erga me animo nequeam non eſſe ingratus. Erro procul a patria in extremis terrarum partibus, nonnumquam inter inhumanas gentes; ſine ſpe, ſine auxilio

adeo pertinaciter inſequente fortuna, ut ſaepe-numero uitae odium mihi ſuboriatur. Acce-ſerat peſtilens quaedam aegritudo, quae, omitto, quod uires eneruauerit, certe pul-cherrimum meum inſtitutum interrupit, quo (ſi licuiſſet per aduerſam ualitudinem) omnium a-micorum tuique in primis memoriam renouaſ-ſem, non obſcurum poſteris mei grati animi teſtimonium relinquens. Caeterum altiori cu-ra et grauioribus laboribus enitar, ut id, quod meis optatis inuidens fortuna intercepit, pro-pediem abſoluam. Tu interim eodem animo, ut coepiſti, es autem optimo et beneuolentiſ-ſimo, uel abſentis mei memoriam retinere ue-lis rogo. Vale. Ex Lypſia, III Nonas Ia-nuarii MDXIX.

II.

Excellentiſſimo Viro, D. BILIBALDO PIRC-HAIMERO, primario Senatori Norimber-genſ. Tranquillus Parthenius.

Qui colis Aonias felix, Bilibalde, Camoe-nas,
Maxima Germanae gloria nempe togae,
Taenariis redeat ſi Titus Caeſar ab oris,
Si probitas Neruae, Dite iubente, pii,
Phocion, et iuſto cantatus Ariſtides ore
Si uictis ſtygiis huc referantur aquis:
Non ullo cuidam cedet tua tempore uirtus,
Nec minor extremo eſt fama futura rogo.
Prima tuae placidae rara eſt clementia ſortis,
Iuſtitiae ueteres munere uincis auos.

Tu-

Tuque Philethaeis non inficiande corymbis,
Tu quoque Phoebea conſpiciende coma.
Eximio doctos ſectaris honore poetas,
Atque foues gremio pectoribusque tuis.
Quis neget, in ſummo uariarum culmine rerum,
Inter fortunae dona beata tuae,
Vincere te ſaeuae miracula ficta chymerae?
Diuitiis Croeſus, moribus ipſe Numa es.

LII.

EPISTOLAE GEORGII GEVDERI.

I.

Studiorum ſuorum, Romae coeptorum, rationes reddit.

S. P. D. Quae nuper admonuiſti, obſeruandiſſime auuncule, ſumma diligentia proſequar; ut autem quae uerbis pollicitus ſum, re aggrediar, adhortaris, ita implebo, ut rem uerba non poſtularint, ne expenſarum iactura inutilis fiat; emori enim mallem, quam iure ingratus appellari. Praeceptori (ut iubes) indefeſſe morem in cunctis geram. Romae iam doctores publice inceperunt legere; ſic quotidie lectiones ordinarias in iure et in graecis literis audio; conduximus praeterea uirum quendam, monitu Domini Andreae Cunhofer (qui ſe benignum admodum et officioſum nobis exhibet). Vir ille in domo noſtra ſingulis diebus lectionem in Chryſolora nobis legit. Pindarum tibi et Theocritum Ro-

mae emimus. Chryſoſtomi opera graeca nusquam inueniuntur. Ceterum altiſſima ſollicitudine impreſſorias officinas tum Romae, tum etiam Florentiae perſcrutatus ſum. Nihil tamen praeter ea, quae tibi mittimus, reperiri. Adſunt etiam uitae Plutarchi graecis nuper Florentiae typis impreſſae, quae Romae duobus ducatis cum dimidio, Florentiae duobus tantum ueneunt. Ego quidem patriae omnia debeo et naturalis amor me, ut eſt apud Ouidium, ducit et immemorem non ſinit eſſe ſui. At animo forti opus eſt. Statui itaque numquam in patriam redire, niſi uirtute ac doctrina bene decoratus. Conabor itaque tanto acrius, quanto patriae citius prodeſſe cupio. Vale. Ex urbe 16 Kal. Decembris MDXVII.

II.

Petit, ut praecepta ſua rhetorica ſibi mittat. Noriberga male audit propter Lutherum.

Redditae mihi cum patris iam fuerunt tuae literae, obſeruandiſſime Auunculc, gratae certe ac iucundiſſ. namque te mei adhuc tam beneuole memorem atque immutati erga me animi, miro certe agnoui gaudio, tum etiam quod approbabas, me in Caeſaris aula remanſiſſe. Volo etenim ego non minus ex tuo uoto meam regi uitam; uerum et doloris nonnihil attulerunt animumque meum non modice concuſſerunt, cum iniuſtam ac inſanam podagram, quam diu et ui ſumma aggreſſus,

ſus,

is, et tandem blandiciis ornatiſſimaque oratione (ut plorans Caeſar abſciſſum Pompeii caput) laudaſti, in tuas unquam potuiſti deducere partes, nec ullo modo profligare, quin etiam in tuum iam excidium cum ſaeuiſſimo calulo ſcribis caſtra ſociaſſe; aliae tibi technae xperiundae ſunt; malo eam tuo laudaſti. Deus, precor, ueſanos eius compeſcat furores; go, mi auuncule, quod minus addiſcam, um abs te abſum, quam ſi apud te eſſem, iam nelius ferme diſcerno; neque itaque quicquam raeter te facilius in patriam me reducem aget, uerum quandoquidem te aliter frui non icet; id ſaltem te etiam atque etiam precor, ut illum rhetorices modum, quem tu undique collegiſti, ac mihi iam tradere inceperas, transcribi, ac mihi huc transmitti cures, ſi totus faſciculus erit nimis magnus per ſexterniones mihi mittatur. Dixi de eo hic uiris duobus, qui apud nos non modici fiunt, illi iam ambo ardent eius deſiderio, meque uti eius copiam eis faciam, continue inclamant; tum prae cunctis te precor, uti encomium tuum podagrae mihi mittas. Lutherano furore mire hic confirmant, patriam noſtram exagitari, neque quicquam tam execrantur apud nos, quam Nurenbergam; erant iam ſaeuiſſimae literae conſcriptae, quae patriam a tali ſecta dehortabantur, ac ſummam ei perniciem extremumque excidium ac ſupplicium, ſi minus obediiſſet, a Caeſare indicabant; ſed illae neſcio quanam cauſa uobis non fuerunt miſſae.

Tu id uerisſimum crede, iam iterum multae in Germaniam mittuntur literae. De Lutheri negotio quid in eis agatur, nondum mihi ſcire licet. Dominus meus uxorem iam duxit et potentem et formoſam. Ego rem, ut potero, agam meam, quidquid acciderit te ſemper certiorem faciam. Vale, mi Auuncule. X die Iulii Anno MDXXIV in Burgos Caſtiliae.

IIII.

De amicis Bilib. in Belgis et praecipue de Alex. Schweis.

S. Non eſt ex meo animo, neque propoſito, obſeruandiſſ. auunculo, quod tam tarde poſt meam profectionem, nunc primum ad te ſcribo. Cupiebam enim id, ac conſtitueram maxime, ſed paulo poſt atque in aulam huc perueneram, illico cum Caeſare ad quasdam Hiſpaniae urbes proficiſcendum mihi erat, et tandem ad regem Galliae. De me ſi quid ſcire uis, fuit certe in Balacria ſeu Selandia diu uentorum iniuria commorandum. Senſi illic miram abbatis Midelburgenſis humanitatem, fuit et tui illic ab abbate, ab Nouiomago, et Borſela crebra, amica et honeſtiſſima mentio facta. Bis nauim eramus ingreſſi, totiesque reiecti, tertio tandem ſeptem diebus feliciſſ. aura in Hiſpaniam deuecti, a Caeſare et hero meo non inhumaniter certe exceptus fui. Non poſſem ego unquam tibi recte ſcribere, mi auuncule, quam uehementer meo aduentu laetatus fuerit Alexander Schvveis; mirum eſt me-

mehercle, ut gaudebat, tuas cum centies perlegiſſet literas, ac poſtea cum a me accepiſſet tuam (ut dicam.) Rhetoricam, quam ita amplectitur, ita exoſculatur, ita die noctuque ſinu fouet, ut non tam delecter aliquando hominis affectu, quam in aula erubeſcam. Is ad te ipſe iam ſcripſiſſet, ni tabellarii diſceſſus tam fuiſſet tarde indictus. Caeſaris enim et Domini mei negotia non ſatis accelerare poteſt, quod unum poteſt, totum ſi tibi tribuit, et tibi ex animo inſeruire cupit. E Caeſaris aula. Toleti die XX Octobris Anno MDXXV.

IV.

De nouis Hiſpanorum nauigationibus et inſulis nuper repertis.

Praeterea, obſ. mi auuncule, nullis ego uellem modis meae attribueres negligentiae, quod hucusque nihil ad te ſcripſerim de nouis Hiſpanorum nauigationibus atque inſulis nuper repertis. Toleti enim pauci erant huiusce rei experti, ac neminem melius me, eius rei Hiſpali inſtructum fore confirmabant. Huc itaque quamprimum ueni, ſumma certe cura perplures nauigationis huiusce peritos percunctatus ſum ac in primis Laſarum ueſtrum, qui hic ciuis Hirsfoglis negotia gerit; ſed cuncti uno ferme ore affirmant, iter illud ac nauigationem literis non poſſe complecti neque ultum recte inſtrui, niſi a nauium rectoribus (quos pylotos uocant) in charta (ut dicunt) mundi ei ad oculum oſtendatur, tu ſi quem melio-

liorem noſti modum, ad me quam primum ſcribe, ut tibi pro uirili ſatisfacere poſſimus. De inſulis uero nouis, uarioque fructuum, animalium atque aliarum rerum prouentu ac incolarum ritu quotquot libri huc usque conſcripti fuerunt (nullae etenim inſulae repertae, quae non copioſe etiam fuerint deſcriptae); eos ego omnes ſumma adeptus cura, per Hirsfoglos trans mare tibi quam potero celerrime mittam. Ceterum, mi auuncule, doleo equidem non mediocriter, ſic iſtic res geri tumultuoſe, et certe magis, quod moniales (uti nuper intellexi) uirgines trium illic aedium ad eum modum deſpectui habentur atque extremis ita iniuriis ac contumeliis excruciantur, ſed meum aliquando ſtudium atque officium efflagitarunt, curem, uti Caeſar in ſuam illas ſuſcipiat tutelam, ac ſenatui acerbis ac grauioribus ſcribat literis, ab omni ui iniuria ac ſycophantiis ſe uelle eas eſſe libras etc. Hiſpali XIIII d. Maii MDXXVI.

LIII.

EPISTOLAE VITI BILD.

I.

Mittit horologium ſolidum, a Stabio inuentum.

Gratiam et pacem a Deo Patre et Domino noſtro IEſu Chriſto. Vir praeſtantiſſime. Memor et laboris et induſtriae, quibus praeſtantia tua dudum inter me, et Ioannem Schonerum, ſeſe occupauit (etſi fruſtra), ut

fidem

Digitized by Google

fidem ipſe ſeruando promiſſa mitteret; idcirco quum ipſe ſuperioribus diebus penitiſſimis quibusdam amicis gratificando Horologia ſolida quaedam componerem, placuit et mentem meam gratam munuſculo praeſenti prae me ferre, etc. Eſt namque ultimum illud, quod integerrimus uir ille Stabius (cuius umbram Deo O. M. commendo) praeceptor quondam meus, parumper antequam ex hac miſeriarum ualle diſceſſit, inuenit, mihique communicauit. Plura ſcripſiſſem, Vir Clariſſime, ni celer nuncii digreſſus id uetuiſſet. Valeat t. p. in Chriſto, cum ſuis commendata. Raptiſſime, ex gurguſtiolo meo Benedictino Auguſtae V. diuum apud Hulderichum pridie Kalendas Maias anno ſaec. curr. 26.

II.

Reconciliatur Io. Schoenero. De altera Ptolemaei editione et libello in Oecolamp.

Gratiam et pacem a Deo patre ac Domino noſtro IEſu Chriſto. Literas tuas (et quidem ſuauiſſimas) Vir praeſtantiſſime, 3 Kal. Auguſti ad me ſcriptas, 18 Kalend. Septemb. recepiſſe ſcias, quibus lectis nimium exhilaratus, non ſolum ut munus amici recepturus eſſem, dudum promiſſum, uerum etiam ut ipſe omnium abiectiſſimus, apud tam praeſtant. uirum (te puto) id amicitiae, ac fauoris nactus fuerim, ut haud dedignatus ſis, iterum atque iterum cauſam meam cum Schoenero adeo fideliter agere, ut tandem felicem in deciſionem perduceres, qua pax Chriſti, ue-

ra et concordia, ueteri cum amicitia inter nos redierit. Nunc igitur, Vir Clariſſ. gratias tibi habeo quam maximas, redderem uices, ſincero ex corde, ſi, quocunque tibi gratificari potuerim, haberem. Sed quia, quod talem deceat uirum, habeam nihil, me tibi totum in ſeruitutem dedo. Age igitur cum Vito tuo, quicquid tibi placuerit et morem gerere ſtudebit usque ad animae et corporis diuiſionem. Vnum uero, Vir Clariſſime, quod te latere uolui minime, certiorem ſc. me, per Lucam Maronem redditum, generum tuum (uirum profecto omnibus uirtutibus conſpicuum), ſibi ſcripſiſſe, ſe, globum cum perceperit, ad eum miſſurum, et quem tamen hanc in horam ipſe non accepit. Ne igitur ſeminator omnis mali, Sathan ille, hoſtis humani generis, iterum diſcordiae quid ſeminare poſſit, praeſtantiam tuam humiliter exoratam uelim, operam dare uelit, ut globus mittendus ocyus mittatur. Adero mox Schoenero noſtro literis, quibus gratitudinem meam prae me feram, priſtinam renouando amicitiam, compenſaturus nihilominus, quoquo mihi poſſibili. Ceterum tuae ſecundae, in Ptolemaeum, editioni multum congratulor; nam (ut uerum fatear) perſpecta priore, ualde condolui tantis tuis laboribus. Vt qui tabellis geographicis, in multis dudum demptis iuncti fuerint; abominor enim admodum eiusdem Chalcographi indiligentiam (ut ita loquar) ſingulis pene ſuis in libris, Attamen laudetur Deus O. M. qui

ti-

Digitized by Google

tibi uires dedit, ut opus, denuo meliori forma emittendum, in manus recipere, non ſis dedignatus.

Vltimo, placuit mihi, (citra adulationem) tibi ſignificare, te apud plurimos multum fructus per libellum, quem in Oecolampadium noſtrum (dudum mihi amicum et quidem penitiſſimum, modo uero propter ſcripta in diuiniſſimum euchariſtiae ſacramentum non adeo dilectum) profundiſſimis exaraſti ſcripturis, gratia Dei effeciſſe in tantum, ut innumeros fere utriusque ſexus homines ad ueram hac in re fidem reuocares. Orant permulti Deum corde firmiter, et in primis Vitus tuus pro tuae praeſtantiae et animae et corporis incolumitate. Chriſtus Seruator noſter te diu conſeruet et confortet, ut, quod ſemel coepiſti agere, perpetuo in multorum ſalutem agas. Amen. Peroptant inſuper quam plurimi, ut eundem libellum tum latino, tum uulgari ſermone ſecundario in lucem, propter priorum omnimodam uenditionem, edere digneris. His me tuae commendo praeſtantiae fideliſſimum ut mancipium. Raptim ex coenobio noſtro Auguſtano S. Hulderichi et Afrae 8 Cal. Septemb. anno ſaec. curr. 26.

Si tuae placuerit praeſtantiae, Vir integerrime, mitterem ad te horologium pedale, quod per pedum menſurationes accuratiſſime horas noſtras uſuales demonſtrat; id enim ſu-

ſuperioribus annis ad latitudinem noſtram omni cum induſtria, quantum mihi poſſibile fuit, calculaui. Palladius enim uir ille induſtrius tantum planetariis horis obſeruatis (quas pluribus perplexus uidetur in dies indagare) ſuo pene Indiano polo deſeruiuit. Item ſciat P. T. ſaluiam diſtillatam ac parua in quantitate quotidie duas pene ad horas ante coenam potatam, non nihil remedii mihi contra arthriticam, podagram ac chiragram praeſtare.

III.

Mittit horologium pedale; De remediis quibusdam podagrae et calculo adhibendis.

Viuere Chriſtum. Conſolationes Tuae, ſuper crebris infirmitatibus meis, Vir praeſtantiſſime, laetificauerunt cor meum; tanto enim dulciores fuere, quanto a corde tuo, erga me fideliori emanaſſe crediderim. Et re-uera, uita hominis, uere Chriſtiani, per multas aeque tribulationes, atque infirmitates debet progredi, uirtus enim in infirmitate perficitur. Et crede mihi, Clariſſime Bilibalde, ſi talem haberem, ex proprio, prouiſionem, ut deſeruientes hilari, ac benigno animo, (iuſto deſuper accepto pretio) miniſtrarent, ego per totam uitam meam infirmari non abhorrerem; noui enim quid frequens faciat infirmitas, compellit cor redire ad ſe ipſum, praeſentia contemnere, futura deſiderare, diſſolui, et eſſe cum Chriſto. E contra uero ſanitas perpetua

petua euagationem mentis, diſſolutiones cordis, et nonnihil illecebrarum ſuggerere ſolet, quibus et Dei timor, et mortis anxietas, negligitur. Mitto praeſtantiae tuae Horoloigum, quod quidam pedale uocant, non ad horas tantum planetarias (ut Palladius ille obſeruauit) ſed ad integras horas, noſtrae latitudinis extractas. Et crede, me uix tantum habuiſſe uirum, ut tibi reſcriberem, infirmitate praeuentus, unde Georgio noſtro Hartmanno ſcilicet exarare potui minime, quin id, quod primitus deſcripſeram, mittere coactus fuerim. Sententiae tuae, qua cauſſam podagrae interiorem per euacuationes amouere ſoles (ut remota cauſſa, remoueatur et ejus effectus) quam lubentiſſime ſubſcribo. Indubitato enim (conceſſo, quo aliquod ſalubre pharmacum podagrae adhiberi poſſit), ſi materia peccans interius propulſa fuerit, facile, pax pedibus conceditur. Et quia tuis in literis ultro te offers, ut ſi tuum ſcire remedium (ex Mirrhae oleo confectum etc.,) peroptarem libenter me participem efficere uelles. Oro igitur humiliter, et ex toto corde, ut me participem eius facere digneris, mercedem apud Deum O. M. uita aeterna percepturus. Adſeris, et te calculo grauiter laboraſſe, ſed herbae cuiusdam liquore reſtitutum. O clariſſime Bilibalde, ſcias et credas firmiter, me multa mentis anxietate confectum, timere, ne et ipſe calculoſus efficiar, nonnulla namque in dies ſentio, quae calculum generant, ſaepius enim

maxi-

maximo cum dolore lapillus triangularis, per meatus urinales egreditur. Quapropter ſi auderem te exorare, exoratum te uelim, proſtratus humiliter pedibus tuis, ut mancipium uiliſſimum, ut ſi liceret, et Vito tuo hac in re auxilium praeſtares, herbam ſcilicet et ſucci extrahendi modum ſignificando. Manebunt me penes in aeternum (ſi tibi ita placuerit) ſepulta. Quae ſi tibi minime placita expetierim, expetitum uolo nihil; abſit enim, ut aliquo te offendam, quem ut alterum parentem et ueneror, ac omni proſequor laude et honore. Nouitatum, quas exararem, habeo nullas, tantum ut undique bella, ſeditiones, tumultus et caedes inſurgant. Deus O. M. gratiam et miſericordiam, cum patientia multa, ſuis clementer largiri dignetur, Amen. His praeſtantiam tuam, cum omnibus ſuis Deo commendo, meque commendatum habere uelit. Ex coenobio meo Sanct. Hulderichi et Aphrae, 4. Idus Ianuarias, anno ſaec. curr. 28

IIII.

Latitudo et longitudo urbis Auguſtanae definitur.

Gratiam et pacem a Deo patre et Domino noſtro IEſu Chriſto. Ago, (ſimul et habeo) tibi, Vir Clariſſime, gratias quam maximas, ſuper communicatis mihi quibusdam remediis ſecretioribus Deus O. M. tibi re-

retribuat, quae ipſe retribuere poſſum minime. Manebunt me penes, ſecreta credas firmiter. Latitudinem noſtrae Auguſtanae urbis, certo ſcias certius, eſſe 47 graduum 24 fere minutorum. Id enim plures ante annos accurate per 2 umbras (ut noſti) obſeruaui. Quia uero minuta parum a dimidio gradu diſtant, idcirco 47 accipere ſoleo, nec unquam in talibus errorem (ſaltem ſenſibilem) percipere potui. Longitudinem uero noſtram certiorem eſſe 32 grad. 40 cum minutis ſaepiſſime per lunares offendi eclipſes. Hic habes, clariſſime Bilibalde, quid ſuper noſtra aeque latitudine, atque longitudine compertum habeo. Vtinam tibi in aliquo gratificari poſſem, et cognoſceres, Vitum tuum, tibi profecto obſequioſiſſimum, Deo, et conſcientia teſte. His ualeat praeſtantia tua cum ſuis feciliter in ſeruatore noſtro IEſu Chriſto. Amen. Raptim ea die, qua tuas ſuauiſſimas percepi literas, puta 5 Idus februarias, anno ſaec. current. 28

V.

De herbis *heil aller Welt* et *Ehrnpreis.*

Gratiam et pacem a Deo patre et Domino noſtro IEſu Ghriſto, Clariſſime Bilibalde. Quod amico noſtro communi, Georgio Hartimanno, formationem horologii Palladiani mittere placuit, nolui praeſtantiam ſcriptis praeterire, eoque et nuper eidem umbras horarias miſerim, quin conſimilem offerrem

non

non, ut te talia latere crediderim, ſed ut Stabii noſtri obſeruationem haberes. Caeterum ſcias me oleo Myrrhae uſum, multumque inde commodi nactum. Id circo ſecundario tibi gratias ago quam maximas. Super herba uero, cuius liquore calculus curatur, dubius exiſto, eadem ne ſit herba, *Hail aller Welt*, et *Ernbreiſs*, diuerſae uel ſint; quaelibet tamen per ſe curatiua. *Ernbreiſſ* latine uocatur (ut quidam ponunt herbarii) Veronica. Sed *hail aller Wellt* offendere potui minime (ſaltem apud receptos et concordantes), quonam certo uocetur latino uocabulo, etſi quidam dicant ſcrofulam maiorem uocari. Alii, *vvundkraut*, tertii *Hünerdarm*. Addubito denique, in quibus eadem herba, poſteaquam contrita cum radice fuerit, ſit putrefacienda in uino ſcilicet alioue liquore, Oua quoque (in extrahendo myrrhae oleo) tegenda ſint (et quo), donec oleum ex myrrha reſolui coeperit, haereo. Tu, o Clariſſime Bilibalde, nodulos hos ſcriptis clarius diſſolue, ut ſciam quibus fidere poſſim, et quum tempus iam inſtet, quo flores ſuis in ſuccis pinguiores et quaeque ſalubriora promittant. Nouitatum, quas exararem, habui nullas, niſi periculoſiſſima utrimque inſtare tempora &c. His ualeat praeſtantia tua cum ſuis omnibus in Chriſto ſeruatore noſtro Amen. Raptim ex coenobio noſtro Auguſtano S. Hulderichi et Aphrae. 6 Cal Apriles, anno ſaec, curr, 28

VI

Digitized by Google

LIV.

EPISTOLA CHRIST. GVGELII, D.

ubiicit Bilibaldi cenſurae libellum de ſaluo conductu.

Mitto tibi, uir celeberrime, meas nugas in cauſſa ſalui conductus translatiui, ut uides, et ipſa declarat, collectas, in quibus uelim, ut lendo tempus teras et bonam partem otii atque diei, am melioribus ſtudiis, nobis aliquando, reipublie noſtrae et Germaniae profuturis, locare poteris, rdas, ſed ut, cum famem in hortis Zaſianis ſedaue, mihi quoque uoluptatis aliquid concedas, quod nen non aliter petitum a me intelligas, quam ſi ſenus etiamnum noſter aſſenſerit. Sordebunt autem n iniuria prae Zaſianis iſtis delitiis tibi hi noſtri cento, quos niſi illuſtrandos, imo ex integro renouans a noſtris commilitonibus, qui cenſorum nunc funntur officio, ſperarem, fieret, ut ipſe, ſi non uerſam molem peſſundarem, maximam tamen par huius qualisqualis rapſodiae reſtituerem, quid e ſis mihi in ea parte conſulturus, exactiſſimam m cenſuram expecto, ſed nolo tibi, quod prius teſtatus, ultro eſſe moleſtus, remitte, quandonque libuerit, me commendatum habe, Vir doſ.

LVII.

EPISTOLA ANDR. RVTTELLII.

ffleri, mathematici, effigiem numo aereo exprimennm curat.

P. Nec dum oblitus ſum, clariſſime uir, quod honorifice ſemper de Stofflero, magno illet docto mathematico locutus ſis, ſi quando de eo ideret mentio, licet de facie tibi ignoto, ſcriptis em et lucubrationibus ſuis cognitiſſimo. Verum a magnum illum uirum admirari ſoles, et tanta orum diſtantia abſit, ut a te uel numquam de facognoſci etiam poſſit, ego effeci apud ſenem ıc uenerandum, ut ſeſe nobis depingendum exhirit, ea ut plurimum de cauſa, ne cum pheretro do aſſiſtat, omnino, quicquid eſt eius mortalitatis,

Digitized by Google

tis, recondatur, et uel imago eius nobis ſubtrahitur. Illam itaque ipſiſſimam eius effigiem ad te mitto, ſi quidem promtiſſimi ingenii ſum tibi, quam ſcio fore gratiſſimam rem, offerre, et Schoenero etiam, qui plurimum a me petiit, dum apud uos eram, ut laborarem, quo imago illius reddi aliquando ei poſſet. Vt non tantum eius immortalem uultum, lucubrationibus cognitum, haberet, ſed mortalitatis umbra comite ipſum quoque amplecti poſſet. Porro quia aliis et nominis huius ſtudioſis gratificari libenter uellem, haud diſſentaneum mihi uiſum eſt, curare, ut illa effigies etiam numo aereo exprimatur, quemadmodum Alberti Dureri, laudatiſſimae memoriae hominis, imago exculpta eſt, id autem commodiſſime fieri poterit, ſi tu Matheum illum ſtatuarium, qui Durerium fecit, ad te uocaueris, ac rem diligenter ei, ut ſoles, demandaueris. De pretio et ſufficienti etiam ego curabo, et promtum exponam, quam primum abſoluta fuerit. Magnitudinem Dureri inſtar habere uolumus et inſcriptionem hanc, quam utrisque faciebus hic addi uult Stöfflerius. Quare ſi doctus addere famam et augere iuuat, ut certe tuum ingenium eſt, rogo ut hac in re adeſſe nobis uelis et facies rem te dignam, nobis uero, imo doctis omnibus gratiſſimam. Tu enim ſolus es, qui hanc rem optime executioni mandare nouit. Interim Deus Optimus Maximus ualetudinem tuam curet. Ego me tibi tuisque, ad uota promtiſſimum, exhibeo. Ex Tubinga MDXXX, Die XXVIII Maii.

Quaeſo matures negotium, antequam ſenex ille optimus moriatur, continue enim quaſi animam agere uidetur.

LVII.

Praeſtantiſſimo humanarum artium auctori, uiroque iuris conſultiſſimo VILIBRANDO PIRCAMER, Senatori Nurmbergenſium in primis Conſulari GEORGII SIBVTI, Daripini, hecatoſtichon, ob honeſtatem, doctrinam aduentumque ſuum comitumque ſuorum in urbem Colonienſem.

Conſilii famae, decoris, pietatis et artis
Aoniique gregis paſtor, uirtus, honor et laus.
Iam tua tornato canerem praecordia uerſu,

Si

Digitized by Google

Si mihi muſarum fons et ſi ianua Phoebi
Donarent dignam, tanto pro corpore, uenam.
Nam te praegnanti condignor carmine uatem,
Qui ſapis et noſti, Vilibrande perite, cohortis
Pieriae quid ſit? quanta conſurgere laude
lli conuerſum, ueros ubi labra liquores
mbiberint, et ubi proles eſt notior illis.
Nota magis nulli tua nunc eſt fama poetae,
Quam mihi, qui partim uiſu tua geſta notaui,
Et partim ſcriptis aliorum nempe uirorum.
Te docti coluere uiri, Te carmina Celtis,
Hoſpitium cui tu largumque bonumque dediſti.
Hoſpes es Aonius, muſarum magnus alumnus,
Et generale poetarum laudaris aſylum.
A teneris quorum didiciſti carmina cunis
n Latium miſſus, flores ubi carpere legum
Coepiſti, et uariis operam perſoluere rebus.
Ad Latii uoces, poſt ad graecas et hebraeas
Flectere te primum mira uirtute ſolebas.
oſt ad dicendi fontem, quo pulchrius unquam
Nil eſt audita, recta ratione dediſti.
Te mentemque animumque tuum dulci labra fontem
nctus et eloquii, quo nunc Ciceronis haberis
ilius, ut patet orandi tibi ianua ſemper
Muſarum fontes, quarum ſpes unica dici
mque tuis docto meruiſti pectore amicis.
inc cum patre tuo muſarum condere ludum
eniſti. Morum tibi nunc defenſio detur
ndoctus rauca quando iam uoce ſacerdos
Obloquitur uati uel muſis irrita blactrat
cilicet, ut quondam rabies ſaeuiſſima, quando
nſulſa uetitas intrauit mente cucullas
ourcidico ſacros maculauit et ore poetas.
um ſpes nulla fuit, patris nec uita ſuperſtes,
orum ſtultitiam quae nobis ulta fuiſſet.
aepe mei triſtes Heinrici labra querelas
runigeri dederant patrisque tui meditata
rtutem, quae coeleſtes aſcendit ad arces,
ſua Pieriae liquiſſet iura cohorti.
aepe etiam illius laudabat noſtra iuuentus
ra, quibus miro uiguit certamine ludus

Muſarum, cuius defenſor et ipſe fidelis
Illius, ſed cum gemitu non uita redibit.
Viuet cum Chriſto: tu duc, ſed pace, Camoenas
Cum rurſus tetro blactrauerit ore ſacerdos,
Quem Veneris feſtum, feſtum quem torquet Iachi,
Dedecus et crimen, ſcelus et turpiſſima mentis
Inſanies; inferre licet tunc iura paterna
Atque illos toto debes defendere corde
Victrices per te, Vilibrande, uireſcere lauri
Pircamer, hei poſſint, fac, neu marceſcere ſine
Grandis honor, primos meruit Nurmberga poetas
Cum fertur, domus et muſarum pulchra patebit,
Hic ubi uirtutum locus eſt, ubi ianua ſacrae
Auditur uocis puerique ubi uerba latine
Eloquio pandunt, ſacris redolentia ſcriptis
Et fiunt habiles poſt ad ciuilia iura
Et quascunque artes, illorum tu documenta,
Fac, age, confirmes, uerbis defende latinis
Te ſequitur praeſtans magna uirtute ſenatus,
Quem uariis ornas linguis, quem moribus, arte
Quem magna; ſolus quem tu ſuper omnia tollis
Ornamenta uirum, magno cum nomine diuum
Iam felix illis dicaris ſplendor in orbe.
Quicquid enim laudis Gabriel Baumgartner habebit,
Norica quo nondum produxit terra ſecundum,
Hoc tibi ſperandum eſt; cunctisque profecto diebus
Vt detur ſimilis forma proles memoranda.
Haec licet illius ſit laude ad aſtra ferenda
Proles, cum probitate ſua, uirtute probata et
Moribus, inceſſu et uitae tum flore pudicae,
Sicque tuae uirtus aſſurget maxima proli
Et ſpecies illi, quae ſit laudabilis omni
Viuenti, totidem pariter uirtutibus, ut haec
Quam mea non debet uerſu negligere quouis
Muſa loco, cum mens aderit, cum ſpiritus artus
Rexerit. Aoniae nobis cum dona ſorores
Sacra ferent, mea quis eſt praeſentata iuuenttus,
Illa ſuperueniet pariter ſpectabilis hora,
Qua uideam ueſtram formoſo corpore prolem
Oblatam muſis et quid uirtutis utrique
Sit datum, qualis detur uel gratia cuiquam.

Digitized by Google

O quid tantorum laudes cantare uirorum
Audebo, quorum mens et laus gloria multum
Conſilii, uirtutis, honoris et artis ubiqne
Sparſerunt, bellis etiam reſpublica tuta
Illorum ſuaſu, uitae ſi proſpera dentur
Fata Deum, nunquam ueniet uiſura periclum
Triſte duellorum uictrices ducere lauros
Sed potius credam, aduentus monſtrauit eorum
Nuper Agrippinam quando uentarat in urbem
Pircamer, Anthonius cum quo Tezel memorandus
Non ſtrepitus turmae, numerus non magnus equorum
His uiſus: duo conſilii ſed lumina magni
Ornatu miro laudato pectore portas
Vidit uterque (cohors quaſi pennata fuiſſet
Inducens equites) quorum laus, gloria uiuet.

Vale.

CORRIGENDA.

p. 58, c. l. 1 leg. deſcripſit. p. 95, c. pro *uineis*, leg. *niueis*. p. 107, c. l. 17 leg. Canonici et Senioris Monaſterienſis honore non minus, quam rarioris eruditionis laude conſpicuo, p. 109, c. l. ſciturus. p. 16 l. ult. l. querela. p. 41 l. 10 pro *Barthol. l. Virg.* p. 48 l. 13 l. *Reuchlini et praedicat. auctor.* p. 49 l. 22 pro Bononien. l. Louan. p. 75 l. 18 l. quod tu ſubiudicas; p. 47 l. 11 l. ἐκεῖνος. p. 110 l. 4 l. λωποδύτης. p. 119. l. 21 l. uobiscum. p. 133 l 15 pro fiat l. fuit. p. 140 l. 26 l. e ſolo L. aureorum.. p. 141 l. 17 l. ſummam aureorum C. p. 144 l. 25 l. MDXXIIII. p. 148 l. 1 l. te urgent. p. 156 l. 12 l. deducat. p. 177 l. 19 l. Aegocerota. p. 206 l. 4 pro noſtrae l. ueſtrae l. 12 l. Schletſtat. p. 223 l. 10 pro domino l. diuino. p. 224 l. 24 pro quam l. que. p. 269 l. 4 l. liberareris. p. 335 l. 8 l. 47½.

IN-

✽ ✽ ✽

INDEX.

Adelmann de Adelmannsfelden (Conradus) 89, c.
(*Bernhard*) 89, c, 144. uitam monaſticam meditatur 151, hoc mutat conſilium 153. Marſili Ficini conſilium contra peſtem latine uertendum curat 155, 157, Eckii mores uehementer improbat, 159, 163, 181, Lutheri cauſſam cordi habet, 168, 170, 174, 186, 191, 198, Comitis Nuenarii amicitiam ambit, 179, aſtrologiam ſpernit, 201, laudatur a Kilian Leib 267.
Aeſticampianus (Io.) uid. *Rhagius*.
Albertus, Archiepiſc. Mogunt. et Magdeburg. indulgentiarum tabulas pontificis promulgat, 167. Maecenas literatorum 211.
Alchymiae nomen hodie inane 218.
Amalarii lib. de diuinis officiis latet in bibl. eccleſ. S. Albani 55.
Apel (Ioh,) et Frider. Fiſcher canonici Würzburgenſ.
Apuleii liber de herbis excuditur, 72, c. 102, 103. uxores ducunt, inde moleſta contentio. 22, c.
Argentoratenſium reformationis ſacrorum initia, 129 ſq, 85, c.
Aſtrologiae uanitas 201.
Auguſtanae urbis longitudo et latitudo 334.
Auſtria liberius de euangelio loquitur 280.
Banniſſis (*Iacob de*) Bilibaldum a controuerſiis theolog. auocare ſtudet, 143.
Bartholin (*Richard.*) comitia Auguſt. a. 1518 deſcribit. 57, c.
Baſellius (*Nicol.*) cum Pirckheimero codicem Fulgentii communicat, 31, c.
Baſilii opera Auguſtae excudantur, 170.
Behaim (*Laurent.*) in epiſtolis ſuis ſe Reuchlinianum profitetur, 255, 99. c.
Bellbolt (*Arnold*) iudex urbis Monaſterienſis euangelii uindex 109, c.
Berler (*Vit.*) Lipſiae literas elegantiores tradit, deinde Epiſcopi Bambergenſ. nepotis ex ſorore ſtudia moderatur, 287, 262. 321 Reuchlino Hutteno et Luthero fauet, 298.

Ber-

Digitized by Google

Bernenſium refoımationi aduerſatur Cochlaeus. 63.
Beſalienſis(*Arnold*) comitiis Auguſtanis 1530 adeſt, 82.
Biblia hebraica et Chaldaica auctore Dan. Bomberg. Veneto edita, 269.
Bibra (*Laur. a*) ep. Herbipol. 172. 91, c.
Bigamia ſacerdotum concluſion. 28 reiicitur, 39, c.
Bild (*Vit.*) Coenobita Auguſtanus rei aſtrouomicae peritus. 328. 114, c.
Billicanus (*Theobald*, alias *Gerlacher*) euangelii praeco apud Wilenſes et Nordlingen. Zvvinglio poſtea adhaeret, 81, c. 121.
Bononiae ſeditio inter Germanos et Langobardos orta 21, c. 12.
Βιωκωλυτης, uox xplicatur 110.
Botanica perturbata, 104.
Braſſicanus (*Ioh. Alex.*) Iurisconſult. in Academ. Vindobon. 75, c.
Buel. (*Andr*) praepoſitns Spalatinus 32.
Calculus quibus remediis pellatur 107
Camerarius (*Ioach*) 285, 106, c.
Campegii Cardin. prudentia in cauſſa diuortii regis Angliae adhibita, 68. 78.
Campegii (*Io.*) lecturae in Pandectas, 21, c.
Campidunenſium controuerſia de ſancto oleo, 165.
Capito (*VVolfg. Fabrit.*) concionator commendabilis 49. 85, c. Argentorati ſacra emendanda curat, 128. ſq.
Cardinales 31 ſimul creati, 31. Cardinales 64 creati et 10 in pectore reſeruati, 259.
Caſſiodori Codex in Fuldenſi bibliotheca aſſeruatur, 46. alius Codex 45, 201.
Celſus (*Cornel.*) et Q. Serenus recens excuſi 107.
Ceratinus (*Iac.*) lector graecae linguae Lipſia diſcedit 213. ſq. 95, c.
Charitas, Bilib. ſoror, bonis libris legendis operam dat. 209.
Chelidonii (*Bened.*) abb. ad Scot. Vindob poematia. 239. 96, c.
Chlichtouei opus recens: propugnaculum eccleſiae 54
Choreae Italicae VIII deſcribuntur 21, c.
Chreberius (*Mich.* S. crucis canonicus Stutgard. 315. 111, c.

Digitized by Google

Clemangiis (Nic. de) 92, c.
Cochlaeus (Io. inuitus ita uocatur, quum ipſi nomen gentilitium Dobneck fuerit. 42, c. 64. rector ſcholae Laurent. Noriberg conſtituitur 4, c. Bononiam abit 10, c. querelas VII in Iuſtinianum Imp. conſcribit eaeque Caeſari, iuris reformandi cauſſa, ut exhibeantur temere contendit, 13 c. 2 ſq. 21, 158. domum reuocari optat 11 Ferrariam proficiſcitur Doctoris Theologiae gradum conſecuturus 20 iuri canonico operam dat 23. ſed lectiones publicae ſibi inutiles uidentur 19. beneficium eccleſ. in epiſc. Eyſtetenſi penſione grauatum, ipſi offertur 32, 36. Florentiam uiſit 37. Romae in practicam incumbit 39. Francofurti ad B. Virg. decanus conſtituitnr 30, c. 41. non per oſtium ouile intrat 186. Leuiter criminatur, Lutherum contra indulgentiarum nundinationes per inuidiam diſputaſſe 33, c. in comit. Vormat. 1521 cum Luthero diſputat 35, c. in comit. Norib. 1524 abb. Fontis ſalutis cauſſam contra Nordlingenſes dicit 36, c Cingularius quidam ipſi infeſtus 36, c. urbi Noribergae infauſtiſſima quaeque ominatur 37, c. Reuchlini et praedicatorum transactionis teſtis adeſt 48. Stutgardiae. 51, Coloniae 52, Confluentiae et Spirae conſiſtit 53 in S. Victoris eccleſia prope Moguntiam beneficium accipit 37. c. 55. caelibatum clericorum lepide defendit 63. a Georgio, D. Saxoniae receptus Dresdae commoratur 64. de ſacerdotum coniugio commentatur 67. in comitiis Auguſtan. 1530 in ſeptenorum arbitrorum numero eſt 44, c. ſcripta eius 47, 54, 38, c. 58, 63. 43, c. 54. 67, 76, 79. 200 character 14, c.
Concionatores Italici hiſtriones aut tragoedi clamoſi 10.
Concubinatus clericis, tributo quodam exſoluto, permittitur 86, c.
Conſtantienſis clerus migrat Vberlingam 64, c.
Cordatus (Conrad.) Bilib. opem implorat. 206. 94. c.
Crotus Rubianus 28, c. 26, 46, 199.
Curtiſani, ſiue curiales uſurpant beneficia eccleſ. 29, c.
D*enck (Io.)* anabaptiſtarum errorum defenſor ex urbe Norica pellitur 319.
Dioſcoride melius de ſimplicibus ſcripſit nemo 216. quomodo nomina quaedam herbarum Dioſcoridis nobis ſint explicanda 92, 106, 109.

Diſpu-

Diſputatio Lipſienſis 174. 248. 92, c.
Dolzig (*Io. a.*) mareſchall. elect. Sax. 96, c.
Dorpius Eraſmo reconciliatur. 189.
Dureri (Alberti) picturae Francofurti multo rariores, quam Lucae Hollandini. 47. ſphaeras armillares diſignat 279. mortem eius lugent multi boni uiri 84. c. 102.

Ebner (*Hier.*) 28, c. 21. 36, c.
Eckii (*Io.*) ſordida diſputatio 2, Cochlaeum numquam uere amauit 35. homo audax, garrulus ſophiſta, temulentus 125. 159, 163, 165. 181. 80, 90, c. Romam proficiſcitur tempeſtatem in Lutherum eiusque aſſeclas excitaturus 183. propoſitiones in eum de uino, uenere et balneo 80. praecipuus pacis et beliis arbiter habetur 81.
Egnatius (*Bapt.*) Venetorum doctiſſimus. 76, c. 287.
Emſeri (*Hieron.*) controuerſia cum Luthero improbatur 176, 177. encomion eius 56.
Epiſcopa pro epiſcopatu num dici poſſit 72.
Ephremi, Ediſſenae ecclef. diac. ſermo quidam latine redditus. 67, c.
Eraſmi (*Roterod.*) ſcripta uaria 54. 96, 101, 117, 145, 147, 156, 171, 189, 190, 193, Baſileam relinquere animum inducit 113, 219. laudat Lutherum 171. a magnatibus aulicis contra monachos defenditur 190. Noribergam uenturus eſt. Lipſiae theologi pauci eidem fauent 233. Bilibaldum magni facit 59. perpetuo calculo uexatur 113.

Faber (*Io.*) Auguſtanus contra Eckium Bononiae diſputat 91. uexatur a ſophiſtis theologis, ſed defenditur a Caeſareis commiſſariis 87, 88. 58, c.
Fabri (*Io.*) epiſc. Viennenſ. opuſcula, a Cochlaeo edita 66. 43, c. narratio de Balth. Hubmayr. 65, c.
Ficinus (*Marſil.*) laudatur 90. conſilium eius contra peſtem 155.
Fiſcheri (*Frid.*) canon. Herbipolit. epiſt. ad Pirckh. 25, c. 16, 28. uid. *Apel.*
Florentia urbs perpulcra 37.
Freculphi epiſc. codex hiſtor. 91. 63, c.
Fuchs (*Iac.*) canon. Bamberg. et Wirceburg. nonnullas epiſtolas obſcuror. uiror. concinnaſſe putatur 256. uxorem ducit. 100, c.

Digitized by Google

Fuggerorum potentia magna 161, 194, 195.
Fulgentii liber typis exſcribitur 47. 31, c.
Furſtenberger (*Phil.*) euangelii adiutor apud Francof. 31, c. laudatur. 43, 46.

G*alatini* (*Petri*) liber pro Reuchlini defenſione 270.
Georgius Dux Saxon. linguarum ſtudium improbat 220 in Lutherum ſcribit 69. Ferdinandum Regem Lytomeritiae conuenit 70. Auguſtae a. 1530 ad conſultandum de rec. imp. electus 84.
Germani Italis ingenio non inferiores 11, 288.
Germaniae ſors miſera 295.
Geuder (*Martin*) meritis grauiſſimus 74. 11, c.
(*Georg*) Romae moratur 323. Henr Comit. Naſſouii praefectus domus 88, c. 112. c. in Hiſpaniam et Belgium proficiſcitur 326. ad comitia Auguſt. 84.
Ioann.) cauſſa connubiali implicatur 44, c. 85.
(*Sebald.*) 3. 8. in Hiſpaniam abit. adeſt comitiis Auguſtan. 49, c.
Glareanus (*Henr.*) 112, 74, c. praeficitur collegio Baſileenſi 113.
Grauamina nat. German. 204. cauent de curtiſanis 29, c.
Gregorii Nazianzeni codex magni aeſtimandus 77, c. orationes laudantur 77 et paſſim. errores eius notat Cochlaeus 71.
Groninck (*Martin.*) Reuchlin' cauſſae patronus 19, c.
Gugel (*Chriſt.*) ICtus clariſſimus. 337
Guilielm. III epiſc. Argent. ſe Tabernas recipit 86, c.

H*aloander* (*Gregor.*) 110. 73, c.
Hartmann (*Georg.*) mathemat. Norib. 313. 110, c.
Heller (*Iac.*) laudatur 42.
Henrici IIII Imp. apologia. 31, c. 43.
Herba: *heil aller VVelt*, 335.
Herbarium deſcribendum, opera comit. Nuenar. 92.
Herbarum nominum quorundam explicatio a Bilib. petitur 72, c. 109.
Heruordiae euangelium exoritur. 302.
Heſiodi uerſus quidam explicentur. 3.
Heſſus (*Hel. Eoban.*) Noribergam amplo ſalario inuitatur 114. 200. Bilibaldo idyllia offert. 75, c. 116 quicum expoſtulat 115.
Heſſus (*Ioann.*) Reuchliniſta. 76, c. 116. in Italiam

abit

Digitized by Google

abit 118. Wratislauiae euangelium ſtabilit. 77, c. Bilibaldo ſuppeditat Gregor. Nazianzeni codicem 77, c. 79, c. indicat codices nonnullos bibl. Bamberg. 79, c.

Hieronymus num cardinalis fuerit? 147. Rufini uerſionem Gregor. Naz. non laudat. 148.

Hiſpanorum nouae nauigationes et inſulae nuper repertae 327.

Hochſtraten (Iac. de) in lite Reuchliniana cauſſa cadit 16, c. cum Eraſmo in gratiam redit. 189.

Holzſchuer (*Hieronym.*) 21. uir inſignis pietatis, 52. cauſſa eius apud commiſſarios regios agitur. 262.

Horologium ſolidum 329 pedale 332.

Hubmair (*Balth.*) anteſignanus anabaptiſtarum, Nicolſpurgi, erroribus diſperſis, captus Vindobonam deducitur comburiturque. 99. 65, c.

Humelberg (*Gabriel*,) medicus Veltkirchenſis, inertiam medicorum accuſat 103. remedium exhibet aduerſus podagram 66, c. calculum 108. fratris Michaelis epiſtolas edere inſtitut 72, c. ſcripta eius. ib. dubia in re herbaria. 106. 109. difficilis res familiaris. 104

Humelberg (*Mich.*) theologus Rauenspurg. condiſcipulus Beati Rhenani 64, c. Oecolampadii errores ualde improbat 94. epitaphium eius 99.

Huttich (*Io.*) 225 ſq. Ptolemaei excudendi curam agit 95, c.

Hypoſtaſis quid ſit? 47, c.

I*mhof.* (*Hieronym.*) Auguſtan. 152.

Indulgentiarum nundinationem Lutherus impugn. 33, c.

Ioannes epiſ. Roffenſ. Oecolampad. refutat. 53. 38, c.

Italorum mores praui, religio frigidiſſima. 2, 10. ingenia uegeta. 287.

Iudex quis in religionis cauſſis. 61.

Iuris principia incerta 5. 213. reformanda 17.

Iuſtinianus Imp. cum Nerone comparatur, 9, 16.

K*adenn* (*Mich. de*) Syndic Noriberg. Romae agit 249. in Hiſpania moribus eſt incommodis 98, c.

Kirſer (*Petr.*) aduoc. et procurator Camerae Imper. ſyndicus Noriberg. 251.

Kreſſi (*Anton.*) praepoſ. ad d. Laur. Norib. literae ad Cochlaeum 7, c. 12. qui eius iuſſu doctoris theolog. gradum accipit 18.

Digitized by Google

Kreſſ. (*Chriſtoph.*) ſenator conſular. Noriberg. defendit moniales Pilnreut. 66. Spirae uerſatur 53.
Kunhoffer (*Andr.*) Romae degit, laudatur 38. 249, 323.
Lang (*Ioh.*) Auguſtin. laudat Bilibaldi literarum ſacrar. notitiam. 248. 97, c.
Leeus (*Eduard*) non amice agit cum Eraſmo 197. 92, c.
Leib (*Kilian*) prior Rebdorffenſis, literarum hebraearum ualde gnarus. 267. 103, c. declinat commiſſarii partes in cauſſa Geuder. 271.
Leodius (*Hubert. Th.*) 73, c. 3.
Leonardus, theol, Doct. 241.
Limpurg (*Bar. de*) epiſ. Bamberg. 107, c.
Link (*Wenzesl.*) 170, 175, 181.
Lipſia peſtilentia afflicta 230. theologi Lipſ. non laudantur. ib.
Λωποδυτης, uox explicatur. 110.
Lorcher (*Iodoc.*) indulgentiarum nundinator. 167.
Lutherus (*Martin.*) uir Dei, 181. a Rege Britanniae, item et a Georg. Duc. Sax. Lipſiam inuitatus dicitur 172. in periculo et odio uerſatur 169, 186. praeſertim Romae 191. laudatur 198. ſcripta eius. 49, 69, 167, 171, 175, 235. paulo uehementior 231. 297.
Martt (*Caſp.*) Noribergenſibus Syndicus in camera imp. commendatur. 251.
Maximilianus I Imp. de bello Turcico conſultat. 244. monaſteria reformare conſtituerat. 50, c.
Medicorum errores 130. artis tractandae uitioſa ratio 283. δοκησισοφοι qui ſint? 224.
Melae (*Pompon.*) geographiam Cochlaeus excudendam curat eamque Bilib. nuncupat 9, c.
Melanchthon (*Phil.*) non amplius uult ſacras ſeu bonas literas interpretari 204. plura promiſiſſe fertur, quam praeſtat. 84.
Merspurg (*Io. Iac. d:*) 94, c. 205.
Miltiz (*Carol. a*) Noribergenſibus commendatur, qui ceu ſyndicus eorum cauſſas in curia Romana agat. 40. religionis diſſidii componendi cauſſa in Germaniam mittitur 174.
Moilenbecc. coenobium perturbatur. 299.
Monetae falſae accuſatio. 36.
Montanus (*Iac.*) Spirenſis, Heruordiae euangelii cauſſam tuetur. 107, c. commendat Bilibaldo

Digitized by Google

tate uerbi Dei conſcribit. 307.
Morum emendatio in comit. Auguſt. 1530. ſuſcepta 38, c. 59.
Moſellanus (*Petrus*) decus magnum Lipſ. acad. 230.
Mosham (*Rupert. a*) Decanus Patauienſis, religionis turbo. 265. 102, c.
Muffel(*Gregor.*)prouincialisCarmelitarum. 158. 100,c.
Naucleri (*Io.*) hiſtoria contemnitur. 145.
Nauſea (*Frid.*) plebanus generalis a capit. S.Barth. Francof. electus. 52. epiſc. Vindob. 36, c.
Noribergae ciuitas ſuperſtitionem profligat 225. aliis eſt exemplo 207. aſylum euangelicum 266 anabaptiſtarum inſania uexatur. 309. eius politia praecipua et prudentiſſima 254. male audit propter Lutherum 324. ad ſenatum ius patronatus cuiusdam beneficii in ep. Eyſtett. pertinet 32.
Nuenar (*Hermann Comes de*) praepoſ. Colon. Reuchlini et Lutheri patronus. 91, 179. ſcripta eius 47, c. 63. c.
Nuzel (*Caſp.*) ſenator. Noriberg. grauiſſ. 28, c. 7.
Obſopoeus (*Vincent.*) 97, c.Homerum latine reddit 247.
Oecolampadius (*Io.*) homo inconſtans, anxius et tetricus 182, 188. monaſterium ingreditur 192 Baſileam inuitatur 203. Bilib. Denckium. commendat 319. 3, c. eius prologus in nemeſin Theophili 319. inuiſus ob haereſin ac miſſae ſacrificium uult abrogari 57, 58. Bilib errores eius in euchariſt. refutat 57, 94, 121, 306. item Ioann. ep. Roffenſis 53. in Eſaiam bene commentatur 94. Gregor. Nazianz. in lat. linguam uertere ſtudet 72. 188. laudatur 210.
Oſiander (*Andr.*) Marpurg. colloquio adeſt 69 ei ſuccenſet Billicanus 122.
Pack (*Otto*) foedus principum quorundam fingit, ſibi funeſtum. 65.
Parthenius (*Tranquillus*) 321. 112, c.
Pellicanus (*Conr.*) Baſileam uocatur 203. 209. 94. c.
Peutinger (*Conrad.*) archigrammateus Auguſt. ciuit. 90. diſceptat cum Abbate Caeſar. de raptu Pauli 120.
Pflug (*Iul.*) Bilib. commendatur a Io. Heſſo. 118. 81. 83.
Phrygio (*Paul. Conſtantin.*) laudat Pirckh. et Noribergenſes 295. 97. c.

Digitized by Google

Phyſicum ſtudium commendatur 221.
Picus (*Io. Franc. comes Mirandul.*) Bilib. Theophraſti opuſc. mittit 20. 28, c. Gallos ſibi infeſtos habet. 35
Pillnreut. et S. Clarae Norib. coenobia conſtantiae laude florent. 66.
pirckheimer (Bilib..) bonarum artium primarius ductor 88. inſignia eius merita 125. 126. 309 nepotes ſuos graecis literis inſtituit 2, 12, c. et adhortatur ad probitatem 10, c. Neuhofium, ut peſtem effugiat, ſecedit. 92., c. miſſionem a ſenatu impetrat 216. permultos libros graecos latine uerſos edit, Xenophonta et Ariſtophanem 8, 235. 20, c. Ptolemaeum bis. 50, 109, 225 ſq. 329. Gorgoniam 80. 51, c. Luciani dialogus quosdam, piſcatorem, rhetora, nauim etc. 117, 163, 258 83, c. Gregorii Nazianzem opera 70. 238 77, c. anecdota uaria 20, c. eius rhetorica praecepta. 325. laurea triumphalis 160. Germania 83 Reuchlinum defendit 117, 258. botanices et rei medicae peritus 103. encomium eius 239.
Plick (*Wolf.*) Synd. Erford. 254. 99, c.
Prachtbectius (*Paul*) Ictus Lipſ. 231. 95, c.
Prierii (*Sylu.*) in cauſſa Reuchl. intercedit 140 replicat. in Luther. 169.
Ptolemaei geographia a Pirckh. reſtituitur. 112. opera Io. Huttich. 225. ſq.
Q*ueſtenberg* (*Iac.*) Leon. X P. cubicular. et ſecret 16, c. 33, c.
Quaicanum lignum arthriticos morbos pellit. 215.
R*egius* (*Vrban.*) concionator Auguſtan. 202.
Reuchlin(*Io*) uictoriam reportat, iudice ep. Spirenſ 16, c. 5. cum praedicatoribus transactionem init, ope Franc. Sickingenſ. 33, c. 48, 184. cauſſam eius Pontifex M, cognoſci iubet 146. Ingolſtadii agit. 270. laudatur 211.
Reuſch (*Io.*) medicus Lipſ. 229.
Rhagius Io. Aeſticampianus 218. 111, c.
Rha ponticum et Rhabarbarum quid ſit? 106.
Roetelſtein (*Io.*) Carmelita Bamberg. Reuchliniſta. 261.
Ruperti Tuicienſ. ſcripta 54. 55.
Rutell (*Andr.*) Pirck. amanuenſis 317. 116, c.
Sacerdotum conjugia impugnat Cochlaeus 75.
Sarmatiae uel Scythiae tabulae nouae 79, c. 119, 165,

Digitized by Google

Sbrulii (*Rich.*) epicedium in mortem Caeſaris. 171.
Schlupf (*Io.* alias *Repo*) 98. lepidum eius epitaphium 99.
Schoener (*Io.*) mathemat. 257. 329.
Schuueiſſ (*Alexander.*) ſingularis Pirckh. amicus. 83. 326. 113, c.
Sibutus (*Georg.*) 116. c. 338.
Sickingen (*Franc.* a) ſententiae Reuchlin. exſecutor 184. tumultus non inuito Imp. ſuſcitare dicitur 196.
Sleupner (*Dominicus*) antiſtes ad d. Sebald. Noriberg. ob ſecundas nuptias redarguitur 42, c. 62.
Solinus excudendus cura comitis Nuenar. 91, 92.
Spalatinus (*Georg*) ſcholae poeticae Norib. praefici cupit. 234. matrimonium ſuum excuſare uidetur 237, 96, c.
Spengler (*Lazar.*) Senatus Norib. grammateus 21. uir. multae auctoritatis, obiurgatur a Cochlaeo 74. 86 pro Luthero ſcribit. 196. Hieronymi epiſtolas in uernaculam trantuliſſe dicitur 146. 89, c.
Sperantius (*Sebaſt*). praepoſitus, poſt epiſc Brixienſ. 262.
Sporer (*Georg.*) concionator Vorchheim. 313. 110, c.
Speratus (Paull.) 105, c.
Sphaerae proiectio 281.
Spiegel (*Iac.*) Caeſ. ſecretar. 243. 92, c.
Stabius (*Ioh.*) mathemat. Vindob. 243. horologii cuiusdam ſolidi inuentor 329. 96, c.
Stadion (*Chriſtoph.* a) epiſc. Auguſt. 90, c. 160.
Stabel (*Petr.*) ICtus Noriberg. 252. 99, c.
Stegentin uel *Stoyentin* (*Valentin.*) I. V. D. euangelii in Pomerania inſtaurandi adiutor. 27, c. 22.
Straub (*Lucas*) Pirckeim. gener, 45 laudatur 47, 142, 330.
Stromer (*Henr.*) Aurbac. Medic. Lipſ. 210 ſq. 94, c. (*Wolff.*) ad commiſſarios Reg. Oenipont. miſſus 262. Reuchlinum conuenit. 101, c.
Sturio (*Io.*) 219. ſtudium phyſicum et medicum tractat 221, 222. 95, c.

T*anſtetter* (*Georg*) ſiue *Colimitius*, acad. Vindob. Prof. Aſtron. et medicus. 75, c.
Tezel (*Anton.*) conſulis Norib. literae ad Cochlaeum 5, c.
Theodoſii ſphaerica Viennae exuditur 276.
Thermae commendantur 153, 184.
Theurdanck. 165.
Thungen (*Conr.* a) epiſc. Wirceburg. 173. 92, c.
Transſubſtantiatio defenditur 54. 63. 65.

Digitized by Google

Tregarius (*Conr.*) Argentorati turbas excitat 131, 85, 6.
Trogus Pompeius repertus dicitur 46.
Tumultus ruſticorum 213.
Tſcherte (*Io.*) architectus Vindob. 276. 103, c.

V*adianus* (*Ioach.*) Doctor medicinae renunciatur. 243.
Valdeſius (*Alphonſ.*) Caroli V Imp. ſecretar Aug. Confeſſ. in hiſpanicam linguam transtuliſſe dicitur. 34, c.
Vallae (*Laur.*) libellus contra donationem Conſtantini M. 29.
Varenbuler (*Vlr.*) 83, 25 c. 98, c.
Venatorius (*Thom.*) antiſtes templi xenod. Noriberg. 124. laudat Bilibaldi uerſionem rhetoris Luciani 83, c. Reuchlin. apud Venator. Eyſtad. diuertit. 84. eius ode ad Deum 127.
Veneti in Marco Hutteni ridentur 1, excommunicantur, 19.
Verler uid. *Berler.*
Veronicae herbae uirtus eximia 107. 335.
Virdung (*Io.*) prognoſticon 168.
Voegelin (*Io.*) Mathemat. Viennenſ. 51. 103, c. edit elementale 276 et Theodoſ. ſphaericam ib. de mortariorum bellicorum uſu 278.
Vrſinus 117. 281.
Vſura uetita, argumentum diſputat. Bononienſ. 13, c. 91. Iudaeorum. 252.

W*alther* (*Hieronym.*) 66, 74, 120.
Waltkirch (*Balth. Merkel a*) Vicecancell. Imp. 310. 109, c.
Wenger (*Io.*) Medicus 51, 85.
Wirsberg (*Io. de*) decanus Eyſtett. et canon. Auguſt. commiſſarius in cauſſa quadam connubiali 45, c 110. approbat Bilib. libellos in Oecolampad. 312.
VVirth (*Caſp.*) ſyndic. *Noriberg.* 40. 49, 257.
Wolf. plebanus in Sygolzheim. combuſtus Enſish. 134.

Z*aſio* (*Vlr.*) ICto, Bilib. Gregorii Nazianz. orat. quamdam dicat 79, c.
Ziegler (*Iac.*) mathemat. et theolog. 86 c. in Morauia haeret 135, Lipſiam abit et opus contra Pighardos edit. 137.
Ziner (*Nicol.*) Rector acad. Senenſ. 138. Syndici partes ſuſcipit 87, c.
Zonarius (*Fab.*) Medic. Reuchliniſta. 261.
Zuinglii error in S. coena 75. 96. 133.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google